image
not
available

Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K K HOFBIBLIOTHEK
OSTERR NATIONALBIBLIOTHEK

*31. K. 30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# NOVA
# ACTA
# ERUDITORUM
## ANNO
## MDCCLXIX
publicata.

*Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio.*

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG, IO. BROEDELETUM, et P. MORTIER: Lugduni Batavorum apud LUCHTMANSIOS: et Amſtelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXIX.

Digitized by Google

WIEN

Digitized by Google

# LECTORI BENEVOLO

S.

CAROLVS ANDREAS BEL D.

SEREN. SAX. EL. CONSIL. AVL. POES. PROF. PVBL. ORDIN. ET ACAD. LIPS. BIBLIOTHECARIUS.

*L Volumen Actorum, quod iam tibi tradimus, poterat ſine praefatione ad te venire: nam et inſtituti huius noſtri rationes, paene ſaeculares, ſatis cuique notae ſunt; neque de tua erga nos benevolentia, quae adhuc aluit diligentiam noſtram, et acuit, ullam dubitandi cauſam habemus. Tamen, ne diſcederemus a more maiorum, maluimus te alloqui, Lector, quam, tacendo in limine, defeciſſe aliquo modo ab humanitate videri. Credimus autem, et hoc Actorum Volumine nos aliquam apud te gratiam merituros, propterea quod de libris retulimus, et bonis, et, ſi tempus, quo ad nos doctorum virorum beneficio allati ſunt, in cenſum veniat, novis etiam. Et eſt Collegarum, iuvandis litteris, ſtudium, ita certum et pertinax, ut non facile ceſ-*

*ſatura*

*ſatura Eruditorum haec Acta putemus; inprimis ſi, ut inde a biennio factum grati meminimus, et doctorum virorum, et Bibliopolarum, liberali facilitate, libris mittendis, et cito mittendis, ſuſtententur. Neque ſuccenſemus profecto doctiſſimis viris, qui, noſtro forte exemplo adducti, diverſis locis, latinas de Libris cuiusque diſciplinae relationes edere coeperunt, atque in eo inſtituto alacriter pergunt: quin potius gratulamur litterariae reipublicae naſcentia inde commoda, quae hoc fieri exſtantiora neceſſe eſt, quo plures ſunt qui talibus liberale otium ſtudiis impendant. Sunt in his,* de rebus in Medicina geſtis, *Commentarii, curante inprimis LVDWIGIO noſtro, Viro ſummo, atque artis medicae omnis conſultiſſimo, hic Lipſiae prodeuntes:* Acta *item* litteraria *ill. KLOTZII, quorum Volumina priora nos nuper vehementer commendare atque laudare meminimus. Multae multorum atque aſſiduae, ut in extollendis aedificiis, operae; ita ornandis atque augendis bonarum litterarum ſtudiis diverſorum hominum doctorum conſilia et ſuppetiae, quid poſſint, nobis certe non monentibus facile intelligitur. Cum igitur noſtra haec Acta tibi iterum atque iterum commendamus, Lector, hoc ita facimus, ut nemini partem benevolentiae tuae atque favoris invideamus, nobis autem praecipuam vehementer optemus. Vale.*

No. I.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Ianuarii Anno MDCCLXIX.*

---

*SPECIMEN EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM in Etymologicum magnum, maximam partem petitarum ex Codice Gudiano, qui Guelferbyti, in Sereniſſ. Ducum Brunſuico-Lüneburgenſium Bibliotheca adſervatur. Auctore L. KULENKAMP, Phil. Prof. Publ. Ordin. et coetus reformati Goettingenſis V. D. M.*

Goettingae MDCCLXV. typis Barmeyerianis, 6. plagg. quaternis, cum 2. tabb. aen. quae exempla ſcripturae Codicis exhibent.

Etymologicum Magnum, cuius de utilitate ad interiores litteras graecas inter eruditos non dubitatur, emendatorem interpretemque reperit doctiſſimum multaque lectione inſtructum, eumdemque ſedulum ac indefeſſum, qualem profecto deſiderat, Auctorem libelli. In quo de praeſtantia Operis, naevos quosdam ab eo propter argumentum, in quo ne doctiſſimi quidem ab errandi periculo et ineptiarum contagio tuti ſatis fuerunt, vix removendos, longe ſuperante, paucis praefatus, ad editionum recenſionem convertitur, et quatuor omnium maxime duarum, Venetae 1499. et Syl-



Digitized by Google

burgianae 1594. raritatem queſtus, citatis, qui de iis latius diſputant, auctoribus, optat, ut denuo vel ſine adnotationibus in eruditorum gratiam recudatur, melius de opere ipſo et aliorum commodo meriturum non negans, qui cunctis quae reperiri poſſint adiumentis in eo conſtituendo ornandoque utatur. Opem enim ſalutarem hic liber, ut qui maxime, deſiderat. Nam non ſolum peſſime habitus eſt ab librariis, ut virorum inter Batavos inprimis, aliosque populos, Graece doctiſſimorum conatus, tentamina obſervationesque teſtantur, ſed, quod vitium a ſe primum repertum Auctor opinatur, mutilatus etiam integrisque titulis orbatus. Cuius rei argumentum littera M praebet, hiatum circiter centum vocabulorum, Gudiani et Ultraiectini Codicis cum editis collatione facta, oſtendens. Ergo manum in tollendis tot corruptionibus mollem, in ſupplendis lacunis largam, in locis auctorum, vel ſedes gloſſarum, vel earum illuſtrationes continentium enotandis providam, in Scholiaſtarum veterum reliquorumque Grammaticorum, e quibus ſua vel depromſit vel locupletavit Auctor, verbis adſcribendis impigram dum exſpectat Opus, plus fere quam emendatricem, planeque creatricem manum deſiderat. Sed ad hunc laborem emolliendum, feliciterque perſequendum, praeſto ſunt a Mstis Codicibus praeſidia. Alios eorum Fabricius B. Gr. T. X. a pagina 22. commemorat, alios in aliis Italiae, Angliae, Galliae et Germaniae bibliothecis latere, Montefalconius in bibliotheca bibliothecarum MSS. nova ſcribit, alii ex Belgio arceſſi poſſunt, quorum omnium, nullus adhuc, quod propemodum fidem ſuperat, ad emendandum opus adhibitus eſt. Praeterea quaedam auxilia accedunt a Gloſſariis et Lexicis ineditis, quorum magnus numerus ex Montefalconii Bibl. Coislin. p. 231. ſeqq. et Fabricii l. cit. T. X. p. 51. indiciis exiſtimari poteſt. Ipſe Vir doctus, his emendandi libri curis intentus, nactus eſt Codicem, poſt Marquardi Gudii poſſeſſoris mortem, Guelpherbytanae bibliothecae illatum. Nactus eſt quoque Lex. MS. Cyrilli nomine notum

ex

ex bibliotheca Curiali Bremenſi, in membranis forma octopartita Seculo XIII. vel XIV. ſcriptum; cuius Io. Chr. Bielio, eiusque tum diſſertationi de lignis ex Libano, tum ſelectioribus in Heſychium notis, ex hoc lexico potiſſimum ſumtis, ſuaeque ab Alberto editioni inſertis, notitia debetur. Cyrilli tamen eſſe, dubium videtur. Inſcriptio enim, quae Cyrillo vindicat, ab aliena manu eſt, et, quod ab hoc opere, maximam partem e profanis ſcriptoribus collectam verborum farraginem complexo, alienum eſt, vocum ſacrae ſcripturae dubiarum interpretationem promittit. Acceſſit his apographum Lexici Msti Photii, quod olim Th. Galei fuit, nunc autem in bibliotheca Bodleiana Oxonienſi ſervatur, a Simone de Vries Daventrienſi ſuppeditatum, quod ipſum quoque deſcriptum diligenter, et emendatum, ad ſe transmiſſum preloque paratum, in diatribe Epiſtolica de Photii Etymologico M. Biblioth. Bremenſi Cl. V. Faſc. II. p. 280. inſerta, inter alia ad eius notitiam pertinentia ſcribit Io. C. Harenbergius. Quem ut librum edere velit, adiecto Auctorum a Photio laudatorum indice, ab Alberto iam confecto, Gloſſisque Sacris N. T. adnexo, vehementer optat A. Denique in manus eius venit alius Gloſſarii inediti Codex bombycinus in forma octopartita, a Nicodemo Monacho anno 1296. ſcriptus, quondam Thomae Bartholini, quem ab Abrah. Kallo, Ioh. Chriſtophori, Hebraicae linguae apud Hafnienſes Profeſſoris filio, accepit. Titulum gerit ἔξανος λέξεων, ab alia manu adſcriptum, quo titulo in bibliotheca regia Pariſienſi exſtare Gloſſarium Fabricius l. c. memorat. Hinc huic etiam Lexico additum putat. Sed nonne propius vero coniici poſſit, eundem eſſe utrumque librum? cum aliis Gloſſariis apud Montefalconium l. c. maxime vero cum lexico Io. Damaſceni, quod cum Bongarſianis Codd. in bibliothecam Bernenſem illatum deſcripſit nuper Io. Rod. Sinnerus, in Catal. MSS. Bibl. Bernenſis, quocum et in ceteris, et in eo quod utrumque Suidam et Etymologum ſequitur, convenit, cum eo igitur hunc ordinem ſervare cognovit,

gnovit, ut in unaquaque littera primum nomina ἀρσενικα, tum θηλυκα, deinque ουδετερα, poſtea ρηματα, tandem επιρρηματα, ita ſe ſequantur, ut A B quinquies repetatur, quam ad A γ procedatur. Ex his praeſidiis omnium firmiſſimum laudat Cod. Gudianum, cuius deſcriptionem a Bielio et Harenbergio factam, ex hiſce Actis Supplem. T. VI. p. 253. et bibl. Bremenſi Nov. Cl. V. Faſc. II. p. 280. repeti iubet, cui praeter formae et materiae libri, annique quo perſcriptus eſt, qui a nato Servatore 1293. fuiſſe colligitur, indicium, haec maxime notabilia addit. Gudium ſibi perſuaſiſſe auctorem lexici eſſe Photium, et Galeano, qui certo eius lexicon exhibet, codici ſimillimum, id quidem conſtare inter omnes. Eam opinionem refutaſſe viros doctos modo commemoratos, argumentorum defectum urgentes. Alterum eorum, Harenbergium, ab Heuſingero inductum, ſtatuere, nullam ipſo in libro Photii mentionem fieri, eiusque nomen a Gudio quaeſtus cauſſa praefixum. Sed hoc refellitur ex addendis litterae Ω in fine vocis Κυριος verbis his: ουτως εγω ΦΩΤΙΟΣ ὁ πατριαρχης; quamquam ex eo ad auctorem libri reperiendum nullam peti lucem poſſe recte monet. Conſarcinatores enim lexicorum, auctorum e quibus proficiebant obſervationibus nomina adieciſſe, quando auctores de ſe loquentes pronomen primae perſonae demonſtrativum uſurpaſſent, alio exemplo docet e Suida et Lex. Bernenſi ſive Bongarſiano petito, in quo utroque in v. παραδεισος leguntur, ἐμοιγε Ιωαννη τω Δαμασκηνω δοκει: quae non aſſecutus Kuſterus, ex Io. Damaſceni de Fide Orthodoxa II, 11. recepta eſſe putavit. Eum nihil ab Etymologico Ultraiectino Antverpienſi apographo differre, collatis tribus eius quatuorve plagulis, a S. V. Ravio ad ſe tranſmiſſis, ſe cognoviſſe adfirmat; nec a Pariſienſi diſcrepare, Ruhnkenii, in Ep. ad Heuſingerum a. 1763. data, diligenter eum ſe excuſſiſſe perhibentis, fide ſibi probari. Obloquitur etiam Harenbergio, Codicem Galeanum Gudiano praeferendum ſtatuenti, cum iſta comparatio non procedat, et uterque ſuis ſe bonis commendet.

Haec

Haec fere primam diſſertatiunculae partem abſolvunt. Altera additarum tabularum aeri inciſarum, exempla ſcripturae eiusdemque diverſitates et compendia exhibentium, expeditam lectionem demonſtrat, collatione ſimul cum Ultraiectino Cod. et Heſychii Gloſſario inſtituta, additis obſervationibus, et Gudiani Cod. uſu in ſupplendis editis declarato; in cuius quoque diverſitate et compendiis ſcripturae prae ceteris notabilioribus et Specimine III. exhibitis, exſcribendis occupatur. Tertia pars uſum Gudiani Cod. in emendando reſtituendoque Etymologico ſpeciminibus quibusdam, ut unumquodque ſe primum obtulerat, edocet. Ex his quaedam excerpſimus, libera lectoribus iudicandi poteſtate relicta. P. 22. in voce Ἐιρεσιώνη p. 303. lin. 18. edit. Sylb. corrigendum, ut iam vidit Sylburgius vocabulum κλωιας, et ab illo in φοίνικας mutatum, e Cod. Gudiano in κολλυρας refingendum monet. Nam κολλυρας eſſe panes vel placentas pueris dari ſolitas, ex antiquis Grammaticis, Polluce maxime, qui inter panis ſpecies refert, Suida, Heſychio, et Scholiaſte Ariſtophanis cognoſcitur. Accedit Lex. MS. Cyrilli Bremenſ. auctoritas in quo habetur: κολλυριτης· αρτος αζυμος quibus verbis reſpici putat ad 1 Chron. XVI, 3. ubi pro αμοιριτην Complutenſia referunt κολλυριτην. Denique ſcholia ad Ariſtophanis Plut. v. 1055, in quibus utrum λυρας an κολλυρας legendum eſſet, non decernebat Hemſterhuſius, ex hac obſervatione conſtituuntur, et viciſſim Etymologico factam emendationem adiuvant. P. 26. Sylburgii in v. Αβροδιάζομεν, pro quo is αβροταξομεν coniecerat, ſuſpicionem, Gudiano Cod. confirmari oſtendit, qui diſerte habet: αβροταζομεν παρα το βροτῳ μη τυχειν. P. 28. pro τα φρυγια, quod pag. 561. v. 12. legitur, ubi de Leſchis agitur, probat eiusdem codicis lectionem καταφύγια, et *confugia*, *ad quae confabulandi cauſſa ſe recipiebant*, interpretatur. Confirmatio repetitur ex Aeliano V. H. III, 1. ubi καταφυγειν ſic dicitur. In lectione συναιρειν conſentire etiam Gud. notat, ſed ſe accedere Sylburgii coniecturae, qui συνειρειν ſcribit, quod συναιρειν λογους

 fit

ſit *conferre rationes*, ut Matth. XVIII, 23. in quo Latiniſmum adgnoſcunt interpretes. Nihil certius eſt Viri docti coniectura eadem pagina, cum pro οινος, οινȣς τις ων, legendum putat οινος, οιονȣς τ. ω. Et ex υπεϛτον, quod Gud. pro ὑπότονον, ut editur, habet, nihil ſane aliud faciendum, quam quod idem p. 31. ſtatuit υπεϱτονον. Ibidem ex eodem Codice exſulantem ab editis titulum inſerit: Ἀδελφειος, διφθογγῳ· καὶ γαϱ αδελφεος εϛι, καὶ πλεονασμῳ τȣ ιωτα, αδελφειος. Rurſus Bartholinianus ſupplet Gudianum; is enim verbis, ιϛεον οτι τα εις δους ληγοντα praemiſſa haec habet: Αδελφιδους, ὁ ανεψιός. P. 36. ad vocabulum Κιχύς p. 513. in quo uberior rurſus eſt Codex Gudianus editis, multa non ſpernenda adnotantur. Corruptiſſima iſta Αλλ' ου γαϱ οι ενηεις εμπ́οδος ουδε τακτικος, animadverſo Homeri in his deliteſcente verſiculo, ex Od. XI. 392. Αλλ' ου γαϱ οι ετ' ην ις εμπεδος ουδ' ετι (ſic enim M) κικυς feliciter ſanantur, ac verſuum Homericorum ſimiles corruptiones aliquot exemplis indicantur. Mox poſt illa: τὸν ἰσχυρον κικυν καλει, inſerit κικι, hoc ordine: κικι, καὶ το κικιδιον, το εκθλιβομενον εκ τȣ κϱοτωνος λιπασμα, obſervat enim, haec ad illuſtrationem vocis κικυς nihil conferre. Vocabuli autem κικι notione Heſychii et Suidae verbis indicata, eiusque plantae deſcriptione ex Herodoto p. 146. ſuppeditata, recte putat intelligi poſſe, quantum opis Gudianus codex in emendando Etymologico M. praeſtet, ſi modo iuſta diligentia excutiatur, varietatesque eius debita illi negotio adtentione examinentur.

Extrema diſſertatio continet Ultraiectini Codicis iam commemorati cum Gudiano in aliquot locis, quae in editis quidem deſunt, inde a verbo Μακϱυνω usque ad vocem Μεγα, in utroque autem exhibentur, collationem, qua ſimul alterum alteri ſimillimum eſſe palam fit. Sed obſervandae lectionum varietatis larga materies. E coniecturis et emendationibus eleganter ſubinde inſperſis, paucas quasdam adſcripſimus. V. Μανια in Aeſchyli loco, quem Gud. ἐμμάνεις

ϛυλοις

ϛυλοις επιπλοις, Ultraiectinus vero εμμανες ϛημοις πεπλοις refert, emendatione utitur Auctor hac: εν μανοϛημοις πεπλοις, h. e. peplis *raro* vel *laxo ſtamine*. Mox ubi grammaticus declarat μανιαν eſſe αρχιωσιν και χαυνοτητα των φρενων contrarium que eſſe αγχινες, pergit, και αυτη η συνεχησις, εϛι συγκλεισις και οιον ενωσις φρενων; in his pro συνεχησις, quod uterque codex habet, legit συνεσις. Quodſi cetera, quae ad hunc librum illuſtrandum ornandumque ſibi parata eſſe ſcribit Vir doctus, cum eruditis communicare voluerit, dubium non eſt, quin omnes, qui litteris bene cupiant, vehementer obſtrictos ſibi ſit habiturus.

## ΙΩΣΗΦ ΜΟΝΑΧΟΥ ΤΟΥ ΒΡΥΕΝΝΙΟΥ ΤΑ ΕΥΡΕΘΕΝΤΑ.

id eſt:

## *IOSEPHI MONACHI BRYENNII QUAE EXſtant, cura EUGENII, Diaconi Bulg. nunc primum typis exſcripta atque edita. TOMI DUO.*

Lipſiae, in Officina Breitkopfia, 1768. in 8.

Vehementer laudandum eſt Cl. *Eugenii*, Viri doctiſſimi, qui apud nos, poſt magnas peregrinationes, litterarum et doctorum hominum amore ductus, inde ab annis aliquot commoratur, et diligitur, et colitur, conſilium, quo hucusque civibus ſuis, Graecis, litteras notiores amabilioresque reddere conatus eſt. Etenim varia ſunt, quae vir doctiſſimus hoc conſilio ſcripta edidit, quibus annumerandus quoque eſt liber, cuius titulum ſupra poſuimus. De quo libro ut eo accuratius dicamus iudicemusque, primum de docta, qua a Cl. *Eugenio* ornatus eſt, praefatione, videbimus. In ea enim de *Bryennii* vita, doctrina, et ſcriptis, diligenter diſſeritur.

ſeritur. Age igitur ex hac praefatione de Bryennio quaedam commemoremus. Natus is fuit Conſtantinopoli, quod iam *du Pinius*, *Io. Alb. Fabricius*, *Guil. Caveus*, *Wartonus*, aliique viri docti viderunt, et clare demonſtratum eſt a Cl. Editore ipſis Bryennii verbis, quae ſunt ex oratione eius, περὶ τῦ τῆς πόλεως ἀνακτίσματος, deſumta. Felix eius ingenium ex his *Georgii Scholarii* verbis optime perſpici poteſt: καλῶν τε Διδασκάλων ἄριςος μαθητὴς γεγονὼς, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐν Διδασκάλυ τάξει γεγενημένες. Conſecraverat quidem ſe Bryennius vitae monaſticae, at anno 1404. doctor eccleſiae Conſtantinopolitanae vocatus eſt; cui vocationi eam ob cauſſam obtemperare voluit, quod magiſtratui ſuo, Imperatori et Patriarchae, obedientiam eſſe praeſtandam merito cenſeret. In quo munere adminiſtrando tanta doctrinae ſapientiaeque documenta dedit, ut anno 1405. a Patriarcha, Vicarii honore ornatus, in Cyprum inſulam mitteretur. Et omnino ſaepius conſilio prudentiaque eius, magno ſuo commodo, utebatur eccleſia Graeca, in controverſiis et negotiis potiſſimum cum Latina. Reverſus tandem eſt ad vitam monaſticam, quae tamen nullo modo impedivit, quo minus Graeci, in iis quas diximus cauſſis, auxilio eius uterentur. Annus, quo vitam cum morte commutavit, certo conſtitui non poteſt; id tamen omni dubitatione caret, mortem eius intra tempus anni 1431. et 1438. accidiſſe. Nam anno 1438. non amplius eum in vivis fuiſſe, ex eo comprobavit Cl. Editor, quod Patres in Concilio Florentino congregati de eo, tamquam mortuo, loquuntur, eiusque e vita exceſſum vehementer dolent. Ad ſcripta Bryennii quod attinet, multos eorum codices manu ſcriptos in variis Europae bibliothecis inveniri, Cl. *Eugenius* refert, ſeque ipſum in Oriente, praecipue in monaſteriis montis Atho, multos eiusmodi codices tractaſſe atque excuſſiſſe. Sed non in omnibus omnino codicibus his manu ſcriptis idem eſt librorum Bryennii numerus. Quare ſcriptores quidam plura, alii pauciora Viri laudatiſſimi ſcripta commemorant. Codex, quo Cl. *Eugenius*

*nius* uſus eſt, quadraginta ſeptem ſcripta continebat, quorum viginti quinque priore Tomo, reliqua vero altero, exhibentur.

Videamus de illis, que primo Volumine comparent. Ac praefixa eſt huic Volumini ipſius Bryennii praefatio, qua olim ſermones a ſe editos ornaverat. Refert vero in ea, ſe ab Imperatore, Patriarcha, aliisque excitatum fuiſſe, ut ſermones ſuos ederet, talique modo doctrinae ſuae et eloquentiae memoriam conſervaret. Certe oratio vigeſima ita placuerat Imperatori, ut ſtatim eam litteris mandari a Bryennio cuperet, uti ex huius orationis inſcriptione patet. Argumentum ſermonum Voluminis huius ſi ſpectemus, omnes omnino doctrinam de ſacro ſancta Trinitate, atque inprimis de proceſſione Spiritus ſancti tradunt. Ac profecto in his ſermonibus omnia reperiuntur, quae ab hominibus eccleſiae Graecae addictis, ad probandam, quam de proceſſione Spiritus S. fovent, ſententiam, vel dicta unquam fuere, vel proferri potuerunt. Rationes, quibus utitur Bryennius, ſunt aut ex ſcripturarum ſacrarum oraculis, aut ex patrum ſcriptis, aut e rei natura deſumtae. De ſingulis nunc ſermonibus videndum eſt.

Et in ſermone quidem primo, ſecundo, et tertio, de perſonis S. S. Trinitatis agitur; quarto vero de proceſſione Spiritus ſancti exponitur, ita quidem, ut ſenſus verborum explicetur, et quid per *ſpiritum* et *proceſſionem* intelligendum ſit, demonſtretur. Quintus ſermo theologiam omnibus aliis doctrinis praeferendam eſſe, nec fidem Syllogismis, ut vocant, demonſtrari poſſe, oſtendit. Sermonis ſexti argumentum verſatur in eo, ut doceatur, linguae latinae paupertatem occaſionem ſuppeditaſſe falſae Latinorum de Spiritu S. doctrinae, quum v. c. *οὐσίαν* et *ὑπόστασιν* per ſubſtantiam exprimant. Sermone ſeptimo multa colliguntur Patrum loca, e quibus appareat, Spiritum S. a ſolo Patre procedere. Sic utitur Gregorii Nyſſeni, Ioannis Damaſceni, Baſilii, aliorum-

B que

que auctoritatibus. Sermone octavo plurima allegantur Patrum loca, in quibus ii anathemate percuſſi fuerint, qui aliter de Spiritu S. ſentirent. Sequente ſermone contendit Bryennius, ſi in ſcriptura ſ. dicatur, Spiritum S. a Patre per Filium procedere, nihil aliud intelligi, niſi χορηγίαν, communicationem, donationem Spiritus S. Sic enim pag. 156. dicit: Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τȣ̃ Πατρὸς δι' Υἱȣ̃ ἐκπορεύεσθαι λέγεται παρὰ πολλῶν διδασκάλων, ȣ̓χ ὅτι τȣ̃το ἐκ τȣ̃ Πατρὸς καὶ τȣ̃ Υἱȣ̃ ἐκπορεύεται καθ' ὑπόςασιν· ἄπαγε. ἀλλ' ὅτι τὸ ἐκπορεύεσθαι τȣ̃το, ὡς τὸ διϊέναι καὶ πέμπεσθαι καὶ δίδοσθαι ἐνταῦθα ἐξείληπται. Sermone decimo et undecimo pergit verba ἐκπορεύεσθαι διὰ τȣ̃ υἱȣ̃ explicare, ſenſu quidem eccleſiae Graecae placitis accommodato. Sermone duodecimo docet, exempla, quae hac in re demonſtrationis cauſſa afferantur, in Deum non quadrare. Sequente ſermone omnia inveniuntur Scripturae loca, quae de Spiritu S. agere Bryennius exiſtimat, et in quorum nullo proceſſionem Spiritus S. a filio doceri contendit. Sunt tamen in tanta locorum prolatorum multitudine, nonnulla ad rem nullo modo pertinentia. Quum vero animadverteret Bryennius, multa, eaque graviſſima contra hanc eccleſiae Graecae ſententiam proferri poſſe argumenta, vehementer ſe in iis refutandis torquet oratione decima quarta. Oratione decima quinta ad antiquioris eccleſiae patres provocat, eorumque non aliam, quam ipſius Bryennii, de Spiritus S. proceſſione, fuiſſe ſententiam probare nititur. Sequens oratio demonſtrat, omnipotentem Trinitatem, et per ſe ipſam, et per angelos, et per homines, multis modis nos docuiſſe, ſe trinam eſſe. Oratione decima ſeptima meris, ut vocant, ſyllogismis, λογικαῖς ἀποδείξεσι probatur, Spiritum S. non *perſonaliter*, προσωπικῶς, a Filio procedere. Oratione duodevigeſima variae quorundam, de quibusdam rebus huc pertinentibus opiniones proferuntur, et examinantur. Sermo qui ſequitur oſtendit, ex eo, quod dicatur Spiritum S. etiam a Filio *perſonaliter procedere*, permulta abſurda, μυρία ἄτοπα, fluere. Sermone vigeſimo recte de

Digitized by Google

de ordine perſonarum Trinitatis praecipere ſtudet Bryennius. Ultimus denique ſermo eam praecipue ob cauſſam notandus eſt, quoniam in eo omnem Graecorum de proceſſione Spiritus S. ſententiam exponere ſtudet, quamquam inſcriptio ſermonis paullo eſt obſcurior.

His ſermonibus annexi ſunt tres Dialogi, e quibus omnes omnino cognoſci poſſunt controverſiae, Graecam inter Latinamque olim eccleſiam ortae. Et in priori quidem Dialogo cum Maximo quodam, Latinorum partibus favente, (μετὰ τοῦ λατινόφρονος) de ſeptem quaeſtionibus diſſeritur. In altero Dialogo cum Romanis, qui tum Conſtantinopoli propter unionem Graecae et Latinae eccleſiae commorabantur, legatis, de proceſſione Spiritus S. ſermo inſtituitur. In tertio Dialogo cum iis, qui in urbe Conſtantinopoli Latinae eccleſiae fautores eſſent, diſſeritur, et cum contra Pontificis Rom. dominationem, tum contra Latinorum doctrinam, quam de processione Spiritus S. a Filio tradunt, a Bryennio diſputatur. In perpendendo huius Dialogi argumento, notari meretur locus, in quo circuli iſtius fit mentio, quem a Dorotheo, Dionyſii Areopagitae praeceptore, excogitatum eſſe, ac probandae Graecorum de Spiritu S. ſententiae inſervire, perſuadet ſibi Bryennius. De circulo ipſo tam copioſe diſſerit, ut iis, quae de illo in medium protulit, ſuppleri poſſint ea, quae Fabricius in bibl. Graeca de Hierotheo commemoravit. Figura circuli, cum ſex Syllogismis in eo contentis, perſpicuitatis cauſſa ad calcem huius Tomi expreſſa eſt.

Progredimur ad ſcripta Bryennii altero Tomo comprehenſa. Continet vero hic Tomus ſermones varii argumenti, e quibus praecipue lectu dignos cenſemus eos, quorum tituli hi ſunt: Εἰς τὸν εὐαγγελισμόν: εἰς τὴν σταύρωσιν τοῦ κυρίου: περὶ τοῦ τῆς πόλεως ἀνακτίσματος: περὶ τῆς μελλούσης κρίσεως: περὶ τῆς τοῦ Κυρίου σταυρώσεως: περὶ καρτερίας. Ex his ſermonibus optime magnum illud Bryennii ingenium, atque eloquentia eius non vulgaris, perſpici poterit.

De argumento praecipuorum Bryennii ſcriptorum diximus. Videamus nunc de utilitate, quam e cognoſcendis his ſcriptis exſpectandam eſſe putemus.

Et primum non contemnendum ex iis uſum redundare poſſe arbitramur ad eos, qui criticae ſacrae ſtudioſi ſint. Etenim horum multum interſit neceſſe eſt, cognoſcere aliquid de textu Scripturae S. quo uſus fuit Bryennius. Ac excutiendis illius ſermonibus, intellexiſſe nobis videmur hoc, vulgari eum pleriſque in locis lectione uſum fuiſſe. Interdum tamen recedit ab ea, quam noſtri codices habent, lectione. Sic verba 1 Cor. I, 8. ita Tom. I. p. 235. exhibet: *ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἀνεγκλήτους, ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Tom. II. pag. 352. locum Apocal. V, 12. ita habet: *ἄξιος ἐστὶν ὁ ἀμνὸς ὁ σφαγεὶς λαβεῖν δύναμιν καὶ θεότητα, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν, καὶ ἀνδρείαν, καὶ ἰσχὺν, καὶ δόξαν, καὶ τιμὴν, καὶ εὐλογίαν, καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν* etc. Haec verba, ob nimiam a vulgari lectione diſcrepantiam, memoriter a Bryennio recitata eſſe videntur. Et ſunt nonnulla alia loca, in quibus a vulgari lectione recedit; diſcrepantia tamen non ita magni eſt momenti. Nonnunquam illuſtrationis cauſſa textui vox eſt addita, e. g. verbis Ioh. III, 6. *τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι*, additur: *πάντως.* Verbis 1 Cor, X, 24. *μηδεὶς τὸ ἑαυτοῦ ζητείτω, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος*, apponitur: *πρὸς τὸ συμφέρον.* Neque vero ſilentio praetereundum eſt, allegatum eſſe a Bryennio celebrem illum vexatumque ab interpretibus locum, 1 Ioh. V, 7. de tribus teſtibus in coelo. Exhibet enim hunc locum Tom. I. Serm. 13. pag. 241. ita: *Καὶ τὸ Πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυροῦν, ὅτι ὁ Χριστὸς ἐστὶν ἡ ἀλήθεια· ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι.* Uſus igitur fuit Bryennius codice, qui celebri hoc Scripturae ſacrae teſtimonio non caruit.

Iam porro non ſpernendus ſcriptorum Bryennii uſus erit in cognoſcendis Patrum ſcriptis. Nam non ſolum plurima Graecorum Patrum, v. c. Gregorii Nyſſeni, Baſilii, Atha-

Athanaſii, Chryſoſtomi loca, ſed et Latinorum, e. g. Hieronymi, Auguſtini, commemorat. Et haec loca ſaepius ſunt ſat longa, ac ſingula unam interdum pluresve paginas replent. Legatur v. c. Tom. II. Sermo περὶ ματαιότητος, in quo commemorantur Baſilii, Gregorii Nazianzeni, et Chryſoſtomi verba, quae ſingula plures paginas occupant. Haec vero Patrum loca uſum habere poterunt hunc, ut ex iis videri poſſit, vel quomodo haec vel illa Patrum verba habuerit in codice ſuo Bryennius, vel quomodo intellexerit. Interdum tamen Patribus ſcripta tribuit, quae eis, docentibus recentiorum temporum Criticis, non erant tribuenda. Sic Symbolum, ob argumentum Athanaſianum vulgo dictum, Tom. I. pag. 280. Athanaſio vindicat.

Proderunt vero etiam Bryennii ſcripta iis, qui illorum, quibus vixit, temporum, hiſtoriam eccleſiaſticam cognoſcere velint. Enimvero multae iis inſunt narrationes, de controverſiis tum temporis inter Graecam Latinamque eccleſiam agitatis; de unione harum eccleſiarum, quam multi tum conabantur; de Patriarcha Conſtantinopolitano; de Epiſcopo Romano. Saepius etiam antiquioris hiſtoriae eccleſ. N. T. capita ex Bryennio illuſtrari poſſunt. Nam multis in locis agit de dogmatibus, quae in Conciliis oecumenicis ſancita erant; de ſymbolis; de haereticis etc.

Quid de eloquentia Bryennii dicamus? quae profecto pro ratione illorum temporum haud vulgaris erat. Sunt quidem interdum in eius Sermonibus loca, quae verae eloquentiae inimica eſſe, et laudi, quam ei tribuimus, maculam adſpergere videantur; certe argutiae, Tom. II. in Orat. περὶ συντελείας, de numero ſeptenario prolatae, verae eloquentiae minime favent: ſed traxit haec Bryennius a labe ſaeculi, adeoque hac de cauſa non tantopere vituperandus eſt. Compenſavit has maculas multis virtutibus, multaque nobis in Sermonibus ſuis loca dedit, quae verborum concinnitate,

nitate, elegantia, atque ornatu, mirifice delectare poterunt legentium animos. Certe confirmare de nobis poſſumus, animum noſtrum legenda, quam ſupra laudavimus, περὶ τῦ τῆς πόλεως ἀνακτίσματος, oratione, ſuaviſſime affectum fuiſſe, tanta ei ineſt elegantia, tantus ornatus.

Omnino autem ex Bryennii Sermonibus abunde perſpici poterit, quodnam ſit diſcrimen inter noſtrae Graecaeque eccleſiae doctrinam. Multum enim intereſt hoc diſcrimen accurate tenere, ne Graecae eccleſiae hominibus temere aliquid affingamus. Cognoſci porro poſſunt omnia omnino argumenta, quibus utuntur ad defendendam ſuam de Spiritu S. ſententiam, et rationes quibus confutant noſtram. Atque hoc uſum habebit hunc, ut argumenta, quibus in compendiis doctrinae utimur, diligenter examinemus, et ab iis, quae nihil probent, caute abſtineamus, rationes vero in contrariam partem allatas bene teneamus, atque ad eas accurate reſpondere diſcamus.

Haec omnia, quae de Bryennio diximus, ſi quis diligenter conſideraverit, non parvam ſcriptorum eius utilitatem eſſe intelliget, iisque edendis Cl. *Eugenium* non ſolum civibus ſuis, ſed et nobis gratisſimum feciſſe, nosque igitur viro doctiſſimo gratias debere obſtrictiſſimas.

## *HERRN PAUL VON STETTEN DES Jüngern, Erläuterungen der in Kupfer geſtochenen Vorſtellungen aus der Geſchichte der Reichsſtadt Augsburg, etc.*

id eſt:

## *PAULLI DE STETTEN, FILII, ILLUſtrationes quarundam, quae ad hiſtoriam Auguſtae Vindelicorum pertinent, imaginum: forma Epiſtolarum ſcriptae.*

Augu-

Auguſtae Vindelicorum, apud Io. Henr. Stage, 1767. pagg. omnino 264. in 4.

Gratiſſimum non ſolum civibus Auguſtanis, ſed et omnibus omnino hiſtoriae ſtudioſis, *Generoſisſimus Stettenius* fecit, edenda hac urbis Auguſtae Vindelicorum hiſtoria. Quid enim gratius optatiusque his contingere poteſt, quam cognoſcere hiſtoriam urbis, quae et floris ſui antiquitate, et rerum in ea geſtarum celebritate, artium vero etiam in ea excultarum dignitate utilitateque, tantopere nobilitata eſt? Deſcripſit autem *Generoſisſimus Stettenius* omnem rem ita, ut eam novem epiſtolis tractaret. Cuicunque epiſtolae praefixae ſunt quatuor figurae, a Godofredo Eichlero delineatae, atque a variis artificibus, I. G. Thelottio, Egid. Verhelſtio, Barth. Hübnero, Iac. Andr. Fridrichio, I. G. Saitero, Chriſtoph. Andr. Pfautzio, Eichlero iun. I. F. Reinio, Mart. El. Ridingero, et Ioſeph. Starklino, ſatis bene ſculptae. Quarum figurarum ſingulae exhibent factum aliquod ex hiſtoria Auguſtae Vindel. deſumptum. Videamus iam de ſingulis epiſtolis, et quae in illis praecipue notanda videantur, moneamus.

Et in *prima* quidem *epiſtola* conqueritur Auctor de nugis librorum chronicorum quorundam, qui urbis, cuius hiſtoriam deſcribendam ſumſit, originem, a remotisſimis Veteris Teſtamenti temporibus repetant. Quorum ineptias ut vitaret, primum in Videlicorum mores vitaeque rationem inquiſivit. Hi vero populi non in urbibus, ſed in domibus hinc inde diſperſis habitare ſolebant. Non erat qui iis imperaret, ſed pro lubitu eligebant ſibi duces, quibus in bello uterentur. Nam belli amore vehementer capiebantur, cuius gerendi ſi occaſionem non haberent venatio eos oblectabat. At quamvis Vindelicorum natio bellicoſiſſima eſſet, victas tamen Romanis tandem manus dare coacti ſunt. Quo facto Romani coloniam in Vindelicorum regionem deducunt, urbem extruunt, illamque Auguſtae Vindelicorum

licorum nomine inſigniunt. Factum hoc fuiſſe duodecimo ante Chriſtum natum anno, cum aliis refert Auctor, eaque occaſione modum, quo Romanorum coloniae in exteras regiones deducebantur, enarrat. Iam commemoratur hiſtoria S. Afrae, quam praecipuam propagandae inter Vindelicos Chriſtianae religionis cauſſam fuiſſe, dicunt. Fatetur quidem Auctor, narratiunculam de hac Afra non ſatis idoneis teſtimoniis probari poſſe: attamen placet ei, rem ipſam, quamvis firmis rationibus deſtituta videatur, pro vera agnoſcere. Figuras aeneas, primae epiſtolae praefixas, quod attinet, hi ſingularum tituli ſunt: Vindelicorum vitae ratio; eorundem ratio Deum colendi; deductio Coloniae Romanae; converſio S. Afrae.

Progredimur ad alteram epiſtolam, quam ornant hae figurae: Hiſtoria Attilae et ſagae; Sanctus Columbanus; Ottonis M. victoria ab Hunnis reportata; Vaſtatio urbis, per Lotharii, Imperatoris, milites. Narrantur vero in hac epiſtola res, per octoginta annorum ſpatium, a Saeculo nimirum quinto, usque ad decimum tertium, inter Vindelicos geſtae. Prima, quam Auctor ex hoc temporis intervallo profert, narratiuncula, admodum lepida eſt. Quid enim? Mulierem, adſpectu valde horribilem, eamque equitantem, Attilam, Hunnorum regem, quum Auguſtam Vindelicorum vaſtare vellet, a facto hoc deterruiſſe, refert. Quam quidem fabulam defendere non conatur, eam tamen ſibi vero valde ſimilem videri dicit. De ratione, cur hiſtoriolam hanc pro vera habeat Auctor, lectores ipſi ex his illius verbis iudicent: *Für die Wahrheit will ich nicht gut ſtehen, dann es giebt Leute, welche behaupten, Attila waere nie in unſere Gegenden gekommen. Indeſſen ſollte es mich verdrüſſen, wenn ſie nicht wahr waere, denn ſie iſt einmahl recht artig, und ganz unwahrſcheinlich iſt ſie eben auch nicht. Denn haeſsliche boeſe Weiber koennen einem wohl Furcht einjagen, ſie darfen nicht einmahl Hexen ſeyn.* Poſtea Suevi atque Alemanni urbem

urbem crudeliter devaſtarunt, ita, ut nihil fere ex magnificentia coloniae Romanae reliquum maneret. At poſt centum annorum, et quod excurrit, ſpatium, nova urbs exſtruitur; in hanc ſub finem Saeculi ſexti S. Columbanus venit, evangelium praedicat, multosque ad religionem Chriſtianam convertit. Chriſtiani a Francorum Rege epiſcopum flagitant; datur illis Sozimus, primus apud Vindelicos epiſcopus. Et omnino ſub regum Francicorum regno novas Auguſta Vindelicorum vires nacta eſt, quod praecipue de Caroli M. imperio praedicatur, a quo urbs ope et conſilio adiuvabatur, et contra hoſtes, Hunnos inprimis, defendebatur. At diviſo inter Caroli M. nepotes regno Francico, revertuntur Hunni, depopulantur Sueviam Bavariamque, et Ludovicum Infantem magna clade afficiunt. Quorum quidem ulteriores progreſſus Henrici Aucupis virtute reprimuntur, poſtea tamen, a Ludolpho, Ottonis M. filio, vocati incitatique, nova moliuntur. Sed fruſtra. Nam ab Ottone M. qui cum filio, intercedente Ulrico epiſcopo, in gratiam redierat, ad internecionem usque vincuntur, urbemque Vindelicorum non amplius perturbant. Magnatum temporis Ulrici, epiſcopi Auguſtani, erat celebritas, cuius adeo vitam Auctor non ſupervacue deſcripſit. Ac licet fabulae quaedam huic de Ulrico narrationi adſperſae videantur, quae hiſtoriam illius ſuſpectam reddere queant: veriſſime tamen *Cel. Schroeckhius* in Vita Ottonis M. iudicat, Ulricum fuiſſe virum, meritis cum erga regem, tum erga patriam, admodum inſignem. Poſteaquam vero hae turbae compoſitae erant, novis vexabantur Auguſtani, ortis inter Imperatores et Pontifices Romanos diſſidiis. Nam quum Auguſta Vindelic. Imperatorum partibus faveret, ab horum hoſtibus magnis ſaepe plagis affecta fuit. Quin ipſi Imperatores non ſemper urbi pepercerunt, quod Auctor Lotharii II. exemplo illuſtrat, a quo illam miſerrime fuiſſe dirutam conqueritur. Nova tranquillitate urbs Vindelicorum gaviſa eſt ſub Rudolphi I. imperio, qui illam praeſtantiſſimis privilegiis ornavit. Eadem



Digitized by Google

de cauſſa ſucceſſores Rudolphi praedicat Auctor, ex iisque potiſſimum Ludovicum Bavarum nominat. Denique qui per iſtud, quod hac epiſtola deſcripſit, temporis ſpatium, Vindelicorum mores fuerint, quaenam doctrinae eorum fuerit ratio, et quales artes coluerint, disquirit, horumque omnium miſerrimam fuiſſe conditionem refert.

Sequitur *epiſtola tertia*, in qua primum de modo, quo antiquioribus temporibus civitas Auguſtana adminiſtrata fuerit, exponitur. Et fuit Auguſta Vindelic. ex eo in primis tempore, quo migrationes populorum ceſſarunt; urbs libera, neque alios unquam niſi Regem German. et Imperatorem Roman. dominos agnovit. Fuſe quoque narratur, quae fuerit olim Senatus Vindelici conditio. Iam porro de moribus, quibus Vindelica gens Saeculi decimi quinti tempore praedita fuerit, diſſeritur, eosque tum urbaniores humanioresque, quam olim, fuiſſe probatur. Magna tamen adhuc dominabatur hoc Saeculo in litteris barbaries. Nam qui inſcitiae tenebris liberari vellent, Italiae academias accedere coactos ſe ſentiebant. Omnis autem omnino doctrina, non inter laicos, ſed in clericorum ordine erat quaerenda. Magnam tum inventa arte typographica litteris lucem fuiſſe affuſam, recte monet Auctor. Ceterum figurae, quae in fronte huius epiſtolae conſpiciuntur, hae ſunt: Conſtitutio tribunitiae poteſtatis; Vaſtatio arcis Wellenburgi; Erneſti, Bavariae Ducis, magnitudo animi, erga Georgium Remium comprobata; Sigismundus, Imperator, foeminis Vindelicis annulos diſtribuens.

Pergit Auctor *epiſtola quarta* ad oblectationes Vindelicorum, quas duplicis fuiſſe generis dicit, alias militares, pacificas alias. Ad militares refert inprimis ludum equeſtrem, et iaculationem Largam ſibi hoc loco occaſionem ſuppeditatam videbat Auctor, ſententiam ſuam de inventione pulveris pyrii proferendi. Plerique ſibi perſuadent, monachum quen-

Digitized by Google

quendam, e Franciſci ordine, a. 1378. huius pulveris auctorem fuiſſe. Quam opinionem *Generoſiſſimus Stettenius* refutat cum ex eo, quod Ambergae, Palatinatus ſuperioris, in officina armorum reperiatur tormentum militare, cui ſit annus 1303. inſcriptus; tum aliis rationibus. Monuit quoque nonnulla, lectu non iniucunda, de campanarum et horologiorum inventione; de arte argentificum aurificumque; de aquae ductibus; de arte pingendi, ſculpendi, ſtatuaria, aliisque. Figurae quae huic epiſtolae praefixae ſunt, ob oculos ponunt imagines rerum, quae quidem, ut et aliae quaedam in hoc libro, non omnibus omnino Lectoribus magni momenti videantur; at quum illarum adſpectu huius vel illius temporis hiſtoria in memoriam revocari poſſit, civibus certe Auguſtanis, omninoque hiſtoriae ſtudioſis, non ingratae erunt. En ipſarum figurarum titulos: Ludus equeſtris; Sibilla Langmantelia, Ludovicum, Bavariae Ducem, ab oppugnatione urbis arcens; Deprecatio Vitteliae, huiusque filiae, apud Ulricum Schwarzium, Conſulem, pro coniugibus ſuis facta; Ulricus Schwarzius in vincula coniectus.

Tranſit Auctor *epiſtola quinta* ad oblectationes Vindelicorum, quas pacificas ipſi appellare placuit, earumque cauſſas in mercaturae flore quaerendas eſſe dicit. Quare hiſtoriam mercaturae Vindelicae copioſe exponit, et, quum illa multa Fuggeriis debeat, horum originem diligenter indagat. Non minus largam oblectationibus Vindelicorum occaſionem praebebat frequentior Maximiliani I. apud illos commoratio, atque inſignis erga eosdem gratia. Saepius quoque urbem praeſentia ſua ornabat Philippus, Maximiliani I. filius, poſtea rex Hiſpaniae factus. Et quum illo tempore magna eſſet Matthaei Langii, e gente Vindelica oriundi, aulae Romanae purpurati, celebritas, vehementer placet Auctorem huius viri vitam diligenter deſcripſiſſe. Figurae epiſtolae quintae ſunt hae: Saltatio familiarum nobilium; Philippus, Archidux Auſtriae, cum Neidhartia, foemina Ulmenſi,



Digitized by Google

menſi, ſaltans; Peutingeri filia, puella quatuor annorum, Maximiliano I. adventum in urbem Latina lingua gratulans; Maximilianus I. feſtum inter pontificios diem circumgeſtationis corporis Chriſti cum Goeggingenſibus celebrans.

Quanta rerum, *epiſtola ſexta* propoſitarum, ſit gravitas, ex his figurarum titulis perſpici poteſt: Auguſtana Confeſſio; Sebaſtiani Schertlini expeditio in Comitatum Tirolenſem; Mauritius, Electoris dignitate ornatus; Mutata a Carolo V. Senatus Auguſtani forma. Tria autem in hac epiſtola tractanda ſumſit Auctor. Primo enim qualis fuerit doctrinae atque artium Saeculo decimo exto ratio exponit; mox Vindelicorum doctrinam, inde a Friderici III. tempore, magna cepiſſe incrementa refert. Quod qua ratione factum fuerit, fuſe monſtrat. Certè Conradi Peutingeri, Hieronymi Wolfii, Guilielmi Xylandri, Davidis Hoeſchelii, Marquardi Freheri, aliorumque nomina probant, litteras Saeculo decimo ſexto Auguſtae Vindelic. floruiſſe. Quidam enim horum virorum in hac urbe nati erant; alii vero eam praeſentia doctrinaque ſua illuſtrabant. Alterum quod Auctor hac epiſtola tractavit, eſt hiſtoria civilis temporum Caroli V. In quae, quum ſacrorum emendatio a Luthero ſuſcepta incidiſſet, diligenter diſſerit Auctor de rebus huc pertinentibus, Auguſtamque praecipue attingentibus. Tertium, de quo hac epiſtola agitur, eſt deſcriptio morum, quibus Vindelica gens Saeculo decimo ſexto praedita fuerit.

Progredimur ad *epiſtolam ſeptimam*, in qua primum Philippinae Welſeriae vita enarratur. Erat ea parentibus Vindelicis nata, atque a iuniore filio Ferdinandi I. inſcio et invito parente in matrimonium ducta. Quae, quum primum Ferdinando primo inviſa eſſet, tandem deprecatione prudentiaque ſua illius gratiam conſecuta eſt. Deinde hiſtoriam duorum fratrum Baumgartnerorum tradit Auctor, qui opulentiſſimis Vindelicis annumerati, at poſt intemperantia

rantia ſua ad ſummam inopiam perniciemque redacti ſunt. Poſtea tumultum inter Vindelicos, ob emendatum Calendarium ortum, enarrat, Myliique ſacerdotis, hoc Calendarium recipere detrectantis, fata deſcribit. Denique de nova Curia praeterito Saeculo exſtructa, et ſplendidiſſime exornata, tradit. Haec quatuor, de quibus in epiſtola ſexta exponi diximus, in figuris epiſtolae praemiſſis conſpiciuntur. Appendicis loco annexa eſt hiſtoria artificum, qui Saeculo decimo ſexto, et dimidia parte decimi ſeptimi, Auguſtae Vindelicorum floruerunt. Haec hiſtoria et varietate rerum, et diligentia, qua conſcripta eſt, vehementer placuit.

Ad funeſtisſimum progreditur Auctor *epiſtola octava* temporis ſpatium. Etenim enumerat miſerias, quibus Auguſta Vindelicorum belli tricennalis tempore obruta fuit. Conqueritur primo de ira Ferdinandi II. adverſus Proteſtantes, cum in aliis locis, tum Auguſtae Vindelicorum commorantes. Mox celebrat Guſtavi Adolphi, Sueciae Regis, adventum ad Vindelicos, et liberationem defenſionemque a magno hoc rege urbi praeſtitam. Quam tamen Vindelicorum felicitatem non diuturnam fuiſſe, queritur. Etenim Suecis prope Nordlingam victis, Auguſta ab hoſtibus Guſtavi Adolphi obſeſſa, expugnata, miſereque afflicta fuit. Tantis vero calamitati finem impoſuit pax Weſtphalica, quae quatenus Auguſtae Vindelicorum grata et fructuoſa fuerit, hic oſtenditur. Annexa eſt huic epiſtolae hiſtoria artificum Vindelicorum, qui altera Saeculi decimi ſeptimi parte vixerunt. Tabb. aen. quae in fronte epiſtolae apparent, ſunt hae: Urbs Guſtavo Adolpho tradita; fames durante urbis obſeſſione; Electio Regis Roman. Ferdinandi IV; Coronatio Regis Roman. Ioſephi I.

Reſtat *epiſtola nona* quae res, hoc noſtro ſaeculo Auguſtae Vindelicorum geſtas, recenſet. Ac initio quidem ſaeculi, urbs a Gallis Bavariſque obſeſſa atque expugnata, at exercitu Imperatoris Anglorumque ab iis iterum liberata eſt.

Quod poſteaquam Auctor fuſe commemoravit, ad recenda ea progreditur, quae ſub Ioſephi I. Caroli VI. Caroli VII. et Franciſci I. imperio, in urbe Vindelicorum acciderunt. Tabulae huius epiſtolae ſequentes ſunt: Nuptiae veſtitu Auguſtano celebratae; urbs a Gallis Bavariſque obſeſſa; iudicium Vicariatus imperialis; Carolus VII. feſtum circumgeſtationis corporis Chriſti diem cum pontificiis Auguſtanis celebrans. Adiecta eſt huic epiſtolae hiſtoria artificum, qui vel Auguſtae Vindelicorum hoc ſaeculo vixerunt, vel adhuc ſuperſunt. Quam quidem hiſtoriam cum propter multitudinem, tum propter dexteritatem artificum, urbi Auguſtae Vindelicorum honorificentisſimam eſſe arbitramur.

## *DE VITIS PATRUM, NORIMBERGAE 1478. evulgatis, Commentariolus IO. CHRISTOPH. HARENBERGII: earum Auctores ſimul expiſcati.*

Collectio, quae Vitas Sanctorum, vulgo *Vitas Patrum*, complectitur, et per Antonium Coburger, forma chartae denſioris maxima uſum, edita atque publicata eſt anno 1478. id habet eximii, quod non ſolum ſui generis eſt prima, ſed raritate etiam excellit. In fine operis haec leguntur: *Anno Chriſti nativitatis Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo, nonas vō Mai. ob beator. profeſſum vitam heremiticam degentium, geſta quor. (haud immerito) memoriter ſunt praemendanda. Opus (Vitas patrum appellatum) inſigne, a quam plurimis excerptum codicibus, per ſacrarum ſcripturar. viros admodum peritisſimos: ornatum. In oppido Nurnbergn̄ per Antonium Coburger oppidi p̄fati incolam quam compte impreſſum. Finit feliciter.*

Heribertus Rosweydus, Societatis Ieſu Presbyter, Vitas haſce edidit, cum notationibus, Antwerpiae 1628. typis Plantinianis. Memorabilem hanc editionem Aubertus Miraeus

raeus, ad calcem Hieronymi *de Viris illuſtribus*, indicavit, praetermittens Coburgeriam, ſibi quippe ignotam. Roſweydus ſecutus eſt diſtributionem Operis in libros decem. Editio Coburgeri habet diſtributionem in quatuor partes. Parti tamen quartae ſubiunctum adparet Opuſculum, duodeviginti capita complectens, *de virtutum laude et effectu.* Enumerare libet partitionis Coburgeriae rationem, et expiſcari, quoad eius fieri ex illa poteſt, autores et ſcriptores operum ipſos, ex ipſo Codice quem Coburgerus fuit ſecutus. Opus omne latino ſermone gaudet, in quem potisſimae vitarum partes ſunt converſae. Prima pars in duas partes minores diſpeſcitur. In priori adparent vitae Eremitarum et Monachorum Aegypti, Ioannis, ſancti Hor Abbatis, Ammonis Abbatis, Benonis Abbatis, Theonis per 30. annos taciturni, Apollonii eremitae et confeſſoris, ſancti Copretis presbyteri et eremitae. Hos omnes vidit autor ſeu Scriptor graecus. Sequuntur deinde narrationes de Abbate Syro, iunctisque ei actis Ieſaiae et Pauli, et Sancto Heleno. Eos, quos deinde memorat, ſe conſpexiſſe tradidit, ſcilicet ſanctum Eliam, ſeu potius Helyam, Pithirionem, Eulogium, Apellen, Paphuncium, Iſidorum, Serapionem presbyterum, eumque multorum monaſteriorum patrem. Apollonium monachum et martyrem, (non additur tempus et perſecutor,) ex fama deſcripſit. Vidit vero Dioſcorum presbyterum, qui in Thebaide erat monaſterii antiſtes. Vidit Nitriae monaſteria, eaque breviter laudavit. Addidit nonnihil de eremitarum cellulis, mille paſſus inde disiunctis, ibique vidit Ammonium Abbatem, Didymum, Cronium, Antonium Origenis diſcipulum, Evagrium diſcipulum beati Macarii, de quo relata ſibi intexuit, non omittens deinde Macarium iuniorem Alexandrinum. De Ammone primo, Nitriae monacho, ex fama nonnihil adtulit. Pyamonem, presbyterum in eremo prope urbem Diolcon, vidit et notum habuit ipſe. Subiunxit hiſce autor narratiunculam de alio ſancto Ioanne, ſuaque et ſociorum itineris ſeptem pericula, iuxta eremos Aegypti tolerata, enumeravit.

Finitis

Finitis hiſce narrationibus ſubiecta ſunt haec: „Finit „vita et converſatio ſanctorum presbyterorum Aegyptio„rum, et qui in ſcithi et thebaida morabantur: quemadmo„dum beatus Hieronymus multo labore conſpexit: et rela„ta a fide dignis audivit, et diligenter conſcripſit. Incipiunt „geſta ſanctorum presbyterorum Aegyptiorum ſcithie et „thebaide: que beatus Hieronimus autentice conſcripta re„perit: immo etiam ab aliis translata in unum collegit.“

De Hieronymo Stridonienſi haec eſſe intelligenda, nullis comprobari poteſt argumentis. Fuerunt enim plures, iique recentiores Hieronymi haud ſecus ac vetuſtiores. Sed de hiſce poſtea. Sunt, qui Evagrio Pontico ea, quae ex Vitis Patrum decerpſimus, tribuunt. At haec ipſa opinio, ad examen revocata, in auras abit.

Sequitur in Coburgeri editione *vita Pauli eremitae*, ab Hieronymo Stridonienſi ſic ſcripta latine, ut elogium oratore dignum, et originem vitae monaſticae, ex evitata cruciatuum, in Chriſtianos a Valeriano et Decio expromtorum, atrocitate, derivandam oſtentet. Vitam Pauli excipit *vita Antonii Abbatis*, a ſancto Athanaſio graece exarata, et ab Evagrio presbytero, poſthaec Epiſcopo Antiochiae, in latinum converſa. Teſtem cito Hieronymum *de Viris illuſtribus* c. 125. Varie tamen hanc vitam in graeco et latino ſermone olim interpolatam, niſi potius ſuppoſititiam eſſe, animadverterunt docti cenſores. Excipit eam *vita beati Hilarionis*, Anachoretae et monachorum conditoris, ab Hieronymo Stridonienſi ſcripta, cuius diligentiae debemus peraeque vitas Malchi monachi captivi, Fabiolae, Paulae, et Marcellae. Id ipſum in eodem libro iam memorato c. 135. teſtatus eſt idem. Serapionem ſequitur in codice Coburgeri ipſa *Malchi vita*. Excipit hanc *vita* ſancti *Pauli Simplicis*, ad acta vitae Antonii potius referenda. Auctor ignoratur. Sequitur eam Hieronymi Stridonienſis libellus *de vita ſanctae Paulae*, cui

Digitized by Google

cui ſubiectus eſt libellus Iacobi, qui diaconus erat Edeſſae, et mentionem Epiſcopi ſui Antiocheni Nonni faciebat, *de vita ſanctae Pelagiae*, antea meretricis. Inter ipſa Ioannis Chryſoſtomi Opera lectoribus obvium eſt meletema, quo huius Pelagiae reditus ad ſalutis ſempiternae viam praedicatur. Hanc vero, in Vitis Patrum lectam de Pelagia vitam, eſſe diverſam, et a Iacobo diacono Edeſſeno ſcriptam, contendit Herbertus Rosweydus. Quis latine eam fuerit e graeco interpretatus, adhuc non habemus compertum. Progrediendum eſt ad *vitam Mariae Aegyptiacae*, quae in eremo vitam exegit. Scripſit eius vitam Paulus, diaconus Neapolis Palaeſtinae. Quis vero auctor fuerit latinae interpretationis, mihi haud conſtat. Anonymis debentur vitae virginis Marinae, Euphroſynes ex Paphnutio natae, et Frontonii Abbatis. Simeonis vero Stylitae ſenioris vitam, quae illas ſequitur, graece contexuit eiusdem diſcipulus et ſervus, Antonius. Latinus interpres ignoratur. Hieronymus Stridonienſis certe is non fuit, qui interpretationem elaboravit latinam. Nam Simeon ille e vita exceſſit anno demum 487. *a*), 5. Ian. ad quem diem Bollandus acta, ab Antonio ſcripta, p. 264. et alia ex Manuſcriptis latinis edidit p. 296. Acta Simeonis Stylitae ex chaldaicis manuſcriptis edidit Evodius Aſſemani, et ſubiecit *Actorum S S. Martyrum orientalium et occidentalium*, P. I. Romae 1748. fol. publicatae. Inde ad notitiam venit annus ille emortualis. Progredimur ad Euphraſiam, Antigoni Senatoris ſub Theodoſio Imperatore filiam, cuius vitam quis compoſuerit, indicavit nemo. *Vitam Macarii Romani* in litteras redegerunt Theophilus, Sergius, et Hyginus, vulgo incogniti. Fabulis certe non abſtinuerunt. *Onuphrii* eremitae *vitam* Paphnutius dicitur, vir ſanctus, ſcripſiſſe, et anonymus quidam, hortante ſancto Gregorio, e graeco vertiſſe in latinum. Turonenſem Epiſcopum Gregorium, qui anno 595. obiit, deſignari vix dubito.

*Vitam*

a) *Nova Acta Erud.* 1751. p. 52.



Digitized by Google

*Vitam* S. *Abrahae* eremitae, *et Mariae* meretricis, eius neptis, fertur ſcripſiſſe Ephraem Syrus, celeberrimus Diaconus Edeſſenus, cuius Opera Oxoniae ſunt edita 1709. meliusque et copioſius Voluminibus quinque annis 1738 — 1743. Romae. An Volumen poſtremum, quod exſpectatum fuit, poſtea in lucem prodierit, iam non recordor. Scripſit Ephraem Syriace, graeca neſcius *b*). Ea propter ſcripta eius, quae habemus in latinum verſa, e graeco, et e Syriaco in graecum antea, ſunt traducta. Abrahae vitam ſequitur *vita Pachomii* Abbatis Tabennenſis in Aegypto, e graeco in latinum converſa a Dionyſio Exiguo, Abbate Romano, cuius exſtant ſcripta varia, et qui floruit circa medium Saeculi ſexti Excipit hanc vitam *vita Ioannis Eleemonis*, Epiſcopi Alexandrini, ſcripta graece a Leontio Epiſcopo Neapoleos in inſula Cypro. Anonymus, hortante *Papa unico*, eam reddidit latinam. Ioannis illius vitam dedit Ioannes Baptiſta Sollerius in *Actis Sanctorum* Tomo V. Iunii, et Euſebius Renaudotus in *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum*. edita Pariſiis 1677, 12. Ioannem Eleemonem Saeculo XII. veneratus eſt ordo Hoſpitalariorum in Palaeſtina, veluti patronum ſuum. Eodem circiter tempore natus fuit ibi prologus novus huius interpretationis, ad nutum Papae Romani, et ipſa vita graece ſcripta multis coepit interpolationibus ſcatere. Utraque tranſiit in collectionem, quae *Vitas Patrum* barbare adpellabatur. Codices certe manuſcripti collectionum eiusmodi nunc breviores ſunt, nunc diffuſiores. *Vitam Eugenies*, indoli rerum et hiſtoricis fundamentis prorſus repugnantem, procreavit homo imperitus, qui Commodum Imperatorem credidit confinem, paululumque imperio priorem fuiſſe Valeriano et Gallieno. Succedit Eugeniae *vita Baſilii* magni, opus *Amphilochii*, Epiſcopi Iconienſis, paullo poſt annum 394. defuncti. Interpres latinus doctorum notitiam effugit. Sequitur *vita beati patris Effrem*, ut titulus habet, re ipſa vero confabulatio Baſilium inter

b) Theodoritus: *Hiſt. Eccl.* IV. 29. p. 187.

ter et Ephraem fabuloſa, barbare ſcripta. Dicitur ibi Ephraem per miraculum coepiſſe graeco ſermone loqui, et a Baſilio ordinatus eſſe Presbyter. Hiſce dictis ſubiecta ſunt haec in Codice: *Finit vita beati patris Effrem, et per conſequens liber primus vitas patrum.* Pars haec prima hic finem habet, plures eremitas, monachos, monachosque, quam eccleſiarum ſacerdotes, comprehenſa. Sunt Codices, in quibus adſuta Parti huic adparet Ioannis Damaſceni libellus de Vita SS. Barlaami et Ioſaphati. Mirum ſane eſt, quod architecti adſutarum acceſſionum ad titulum, Parti primae praemiſſum, non reſpexerint.

Inſtar tituli hoc eſt: „Incipit prologus ſancti Hieronymi, Cardinalis presbiteri: in libros Vitas patrum ſanctorum Egiptiorum, etiam eorum qui in Scithia Thebaida „atque Meſopotamia morati ſunt: non ſolum quos oculis „vidit maximoque labore conſpexit: verum et quamplura a „fide dignis relata conſcripſit notabili diligentia. Denique „aliorum etiam autenticorum libellos fideliter e graeco in „latinum tranſtulit, et ab aliis translata pro ſui perfectione „huic operi inſeruit."

Prologi initium eſt: *Benedictus Deus qui vult omnes homines ſalvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui etiam noſtrum iter direxerat ad Egiptum, et oſtendit nobis mirabilia magna ad poſteritatis memoriam profutura, ex quibus non ſolum nobis cauſa ſalutis oriretur: verum et hiſtoria ſalutaris atque ad doctrinam pietatis aptisſima conderetur, que virtutis iter agere volentibus geſtorum precedentium fide amplisſimum tramitem pandat. Quamvis ad tantorum rerum narrationem minus idonei ſimus, nec dignum videatur ingentium rerum exiguos ac parvos fieri autores, precelſasque virtutes humili narrare ſermone: tamen quoniam fratrum caritas eorum qui in monte ſancto oliveti commanent, hoc a nobis frequenter expoſcit, ut Egiptiorum monachorum vitam virtutesque animi, et cultum pietatis*

D 2

*tatis atque abſtinentie robur quod in eis coram vidimus explicemus: precibus ipſorum qui hoc imperant adiuvandum me credens aggrediar, non tam ex ſtilo laudem requirens, quam ex narratione rerum edificationem futuram legentibus ſperans.* Significat deinde prooemii autor, ſe vidiſſe apud Aegypti monachos et multos patres, coeleſtem vitam in terra agentes, et prophetas et thaumaturgos. Monachos, coenobiis utentes, Autor non vidit in Aegypto, ſcripſit enim haec: *Commanent per heremum diſperſi et ſeparati cellulis — — dirimuntur habitaculis — —.* E quo teſtimonio intelligitur, hunc prologum ſpectare ad tempora, quo Aegyptii Monachi, ſeu Anachoretae, nondum in domos communes ſeu coenobia coierant, eumque prologum olim a graeco ſcriptore Vitis Patrum Aegyptiorum fuiſſe praemiſſum. Diaconorum enim, Epiſcoporum, et Monachorum regionis cuiuscunque alius non meminit ipſe. Hieronymus Stridonienſis haec non convertit in latinum, quippe purior et ad ſenſum accommodatior interpres. Autor regionem Thebaidis peragravit. Unde intelligitur, Hieronymum illum prologi prorſus non fuiſſe autorem. Hic enim brevi temporis ſpatio oram Aegypti maritimam ad Nitriae usque coenobia attigit; monachos ibi averſatus, Origenis ſectatores, confeſtim rediit *c*) in Palaeſtinam. Poſthaec Aegyptum non reviſit. Hieronymus ſuccincte: *Luſtravi monaſteria Nitriae, et inter Sanctorum choros aſpides latere perſpexi. Protinus concito gradu Bethlehem meam reverſus ſum.* Thebaidem numquam adiit. Scythiam potuit vidiſſe. Haec enim erat praefectura ad alveum Bubaſticum ab Occidente iuxta mare, ut ex his Vitis Patrum *d*) conſtat. Erat in ea eremus, anachoretarum ſedes, haud pro-

*c*) Hieronymus in *Apologia contra Rufinum* L. 3. c. 7. F. Giuſeppe Renato da Geſu Maria *Storia della Vita del S. Girolamo* L. 1. c. 8. p. 37. Venezia, 1746. 4.

*d*) Fol. 131. col. 1. f. 135. col. 4. f. 137, 2. 151, 1. 197, 2.

procul Nitria. Accedit, quod Hieronymus Stridonienſis a Paulino Epiſcopo Antiocheno ea conditione presbyter fuit ordinatus, ut vitam continuaret monaſticam, nec ulli eccleſiae ſeu parochiae eſſet adſtrictus. Quum vero Cardinalis presbyter ſit urbis vel eccleſiae primarius presbyter, ſeu archipresbyter, ceteros antecedens; Hieronymus certe non fuit cardinalis presbyter, ideoque in titulo prologi non deſignatur. Parti utique primae et ſecundae inſunt varia, quae poſt obitum Hieronymi demum in litteras redacta ſunt. Initio partis ſecundae haec ſunt praemiſſa itidem: *Incipiunt adhortationes ſanctorum patrum, profectionesque monachorum; ceteri quoque ſubſequentes libelli, quos de graeco in latinum transtulit ſanctus Hieronymus Cardinalis presbyter.* In Parte ſecunda excipiunt Exhortationes adeſpotas varii libelli, de profectu Patrum, de quiete, de compunctione, de continentia, de fornicatione. de nihil poſſidendo, de patientia ſive fortitudine, de vitanda oſtentatione, de vitando in alios iudicio, de diſcretione, de ſobrietate, de precum continuatione, de hoſpitalitate et miſericordia, de obedientia, de humilitate, de poenitentia, de caritate, de praevidentia et contemplatione. Ante poſtremi huius libelli finem, adhuc intra tractationem, in conſpectum haec verba veniunt: *Hucusque de graeco in latinum tranſtulit Pelagius diaconus romane eccleſie. Et ab hinc deorſum Iohannes eiusdem eccleſiae ſubdiaconus.* Tum vero continuatur idem libellus. Utriusque igitur interpretatio ad hunc modo ſpectat libellum. Eum ſequuntur poſtea alii libelli, de ſanctis ſenioribus, qui ſigna faciebant: de converſatione optima diverſorum ſanctorum: et ſeptem capitula, quae miſit Abbas Moyſes Abbati Pirminio.

Partem tertiam, inſcriptam *de regula vel converſatione Aegyptiorum monachorum, et eorum qui degunt apud Palaeſtinam vel Meſopotamiam*, explent capita 54, quae complectuntur peregrinationem monachi Gallici, Narbone naviгantis Alexandriam, illic obſervaturi rationem vitae monachorum.

chorum in Aegypto et Palaeſtina. In Aegypto ad Alexandriam deprehendit ipſe contentionem inter Epiſcopum et monachos de doctrina Origenis, quam hi ſectabantur, ille autem cum ſacerdotibus Synodis diverſis damnaverat. Res haec creverat contentione Peregrinator dein adit Bethlehemum atque ibi in notitiam Hieronymi Stridonienſis venit. Candide de hoc iudicium ſuum peregrinator ſubiunxit. Perexit poſthaec in eremos Thebaidis, ibique monaſteria inviſit, in quorum ſingulis plerumque centeni morabuntur anachoretae, quorum victum ritusque deſcribit.

Quarta pars exhibet librum exhortationum, quas graece ſcriptas Paſcaſius, iuſſu Martini presbyteri et Abbatis, in latinum convertit: conſcriptae olim in uſum eorum, qui inter Aegyptios graeceque loquentes monaſticam excolebant vitam. Percenſentur in hac parte exempla variarum virtutum, e doctrinis et ſermonibus antiſtitum, ipſisque factorum eventibus hauſta et compilata. Si paradoxa, et mores inuſitati, nec ferendi, inter ea ſparſim leguntur, meminiſſe oportet, anachoretas in talibus ſibi placuiſſe.

Sub initium Codicis noſtri haec leguntur: „Ne occaſio„ne ſtili hoc in opere obſervati quisquam legentium aut au„dientium offendiculum patiatur, qui non per omnia pro„cedit uti antea huius materiae exemplaria perſpexit, facile „veniam dabit, poſtquam multorum diverſitatem confuſam „intuetur. Ea propter id ipſum in quatuor partes diviſas „differentesque diſtinxi. In cuius prima collegi in unum „hiſtorialia. In parte ſecunda libellos et doctrinalia. In „parte tertia de regulari obſervantia. Et finali parte de lau„de et virtutum efficacia. Ita ſane, ut pars prima per hi„ſtorias, ſecunda per libellos, et pars tertia per rubricas, et „pars quarta per rubricas et capitula diſtinguatur. Et ut „clarior noticie tabula ſuper eo habeatur, primum nume„rum foliis connumeravi, adiectas vero quatuor tantum-



Digitized by Google

„modo literas, quatuor columnis foliorum deputavi, ita, ut „ſi verſale fuerit, remiſſa querat in prima medietate co„lumne, ſi vero communis minorve litera ſuerit, in altera „medietate."

Octo folia unicam fibulam continent. Compendia ſcripturae admodum multa lectionem tardant. Interpunctiones ſingulae conſiſtunt in puncto et puncto geminato, alio infra aliud. Ita Codicem ſuum ſectandum ſibi eſſe, exiſtimavit Coburgerus. Nec adhibuiſſet ipſe diſtributionem operis, in quatuor partes factam, niſi eam in Codice ſuo deprehendiſſet. Litterae initiales, ſeu maiores, delineavit manus ſcribentis, nec eae ſunt opus operarum typographicarum. Sunt vero ipſae praeclariſſimo colore, eoque coeruleo et rubro pictae, ut facile ſit intellectu, in uſum eccleſiae epiſcopalis, vel illuſtris viri, hoc exemplar ſic fuiſſe adornatum, quippe quod in initio prologi primi lamellis ex auro nitidiſſimo, una maiori, et ſexdecim minoribus eſt obductum. Exemplar hoc e bibliotheca viri perilluſtris divendita pervenit Brunſuici ad Ludolfi Schröderi haeredes, cuius hi bibliopolium continuant in dies.

Opus ipſum aevo medio creditum eſt ad Hieronymum Stridonienſem pertinere, et ipſi eſſe attribuendum. Origo huius erroris ex prologo manavit, quo haec collectio ſancto Hieronymo Cardinali presbytero tribuitur, ante Partem ſecundam aeque ac ante primam. Errorem Scriptores Saeculi XIII. et XIV. hunc iam fecerunt ſuum. Augerius Bituricenſis, conſuetudine ſic ferente, Stridonienſem illum Hieronymum adpellavit *e*) *Cardinalem ſanctae Romanae eccleſiae.* At nulli eccleſiae voluit ipſe, quum a Paulino ordinaretur, ſe adſtringi, nec ulli parochiae poſtea fuit adſtrictus.

*e*) In *Vitis Pontificum Romanorum* p. 37. edit. Muratorii, Tom. II. P. II. Script. rer. Ital.

ſtus. In Parte iam prima exhibentur vitae aliquot, poſt obitum Hieronymi demum ſcriptae. Et quanto temporis intervallo abfuit Dionyſius Exiguus a morte huius Hieronymi? Hieronymus ipſe ſe ſemper *presbyterum* vocavit in ſcriptis ſuis, indicio praeterea dignitatis adiecto nullo. Ipſe Imperatores, Valerianum et Gallienum, certe non paſſus fuiſſet dici ſucceſſores Commodi Imperatoris, quo gravi errore laborat iam Pars I. fol. 118. col. 3. fol. 132. col. 1. Pars tertia et quarta, Vitas Patrum continens, ex *Dialogis* Severi Sulpitii, et XXII. Collationibus Patrum, a Ioanne Caſſiano exaratis compoſitisque, conflata, ab Eucherio, tunc Monacho Lerini, poſtea Archiepiſcopo Lugdunenſi, in compendium *f*) miſſa, quomodo Opus Hieronymi Stridonienſis dici poſſit, non intelligo.

Floruit Hieronymus alius, isque natione Dalmata, Presbyter et Monachus ante annum 395. autor *hiſtoriae de Vitis Sanctorum in Aegypto*, graece ſcriptis. Habetur ea graece manu ſcripta in Bibliotheca Colbertina, *Cod.* 1213. quam fere ad verbum transfudit in Hiſtoriam ſuam Lauſiacam Palladius *g*). Ad hunc Hieronymum referenda ſunt, quae in Vitis Patrum P. I. ante Pauli Eremitae vitam ita leguntur: *Finit vita et converſatio ſanctorum primorum aegytiorum, et qui in Scithi et Thebaida morabantur: quemadmodum beatus Hieronymus multo labore conſpexit, et relata a fide dignis audivit, et diligenter conſcripſit h*). Indocta poſteritas non ſatis intellexit, quanta fuerit inter Hieronymum utrumque differentia, uterque Cardinalem presbyterum haud egit umquam. Presbyter enim Cardinalis, uni et certae eccleſiae operam ſuam

*f*) Caſimirus Oudinus *de Scriptis eccleſiaſticis*, Tom. I. col. 1213.

*g*) Guil. Cave in *Hiſtoria litteraria ſcriptorum eccleſiaſticorum* p. 180. 2. Genevae 1720. fol.

*h*) Fol. 21. col. 4.

Digitized by Google

ſuam addixit, ac inter reliquos eiusdem generis templique tenuit principatum *i*). Evagrius Ponticus, Macarii diſcipulus in Aegypto et familiaris, Hieronymi Stridonienſis *k*) aetati aequalis, memoratur iam in libro *de Vitis Patrum l*), Gennadio teſte. Unde perſpicitur, Vitas Patrum fuiſſe initio tantummodo librum Hieronymi Dalmatae de Anachoretis et Monachis Aegypti, qui hunc vidit tradiditque fuiſſe ſapientiſſimum virum, cui conceſſa fuerit gratia diſcernendorum ſpirituum et purgandarum cogitationum. Evagrii ſententias in latinum vertit Rufinus Aquileienſis, Gennadio teſte, c. 17. Honorius vero Auguſtodunenſis *de Scriptoribus eccleſiaſticis* c. 11. memorat, Evagrium hunc ſcripſiſſe multa Monachis neceſſaria, ſcilicet Vitas Patrum, et adverſus octo principalium vitiorum ſuggeſtiones. Has, opinor, Rufinus in latinum transfudit ſermonem. Id vero mihi probabile non videtur, quod Honorius, Evagrium ſcripſiſſe Vitas Patrum, tradidit, niſi deſignatas putes vitas, Paulae vitam ſequentes, vulgo Anonymis tribui ſolitas. Nam Honorius, qui multa ex Gennadio transſcripſit, huius ſententiam perperam intellexit. Gennadius enim haec memoriae prodidit: *Evagrius monachus* — — (*cuius etiam liber, qui adtitulatur Vitae Patrum, velut continentisſimi et eruditisſimi viri mentionem facit,*) *ſcripſit multa monachis neceſſaria, ex quibus iſta ſunt: adverſus octo principalium vitiorum ſuggeſtiones.*

Liber de Vitis Patrum conſtitit tunc procul dubio ex elementis primis, quae primam partem aperiunt. In his autor primus, ad Evagrium Ponticum progreſſus, formula dictionis ſibi familiari uſus eſt ita: *Vidimus ibi et ſapientisſimum*

*i*) Marcus Antonius de Dominis IV, 5. Ioannes Franc. Buddeus *de origine Cardinalitiae dignitatis:* Act. Erud. 1693. p. 296. ſq.

*k*) *De Viris illuſtribus* c. 11. Gennadius.

*l*) Fol. 19. col. 1. 3. edit. Coburgeri.



Digitized by Google

*mum virum et per omnia mirabilem, Evagrium nomine.* Leguntur haec in Coburgeri editione fol. 18. col. 3. in Rosweydi editione L. 2. cap. 27. Quis animum inducet ut credat, Evagrium haec de ſe ſcripſiſſe ipſum? Concidit igitur opinio Bellarmini, in *Commentariis de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui m) p. 144. ita arbitratus eſt: *Sciendum eſt, librum de Vitis ſanctorum Patrum non eſſe unius auctoris, nam in prima parte ponuntur vitae Monachorum, quas ſcripſit Evagrius Ponticus, de quo ſcribit ſanctus Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem, ex illis vitis ſolam primam eſſe veram, quae eſt Ioannis Abbatis: eidem Evagrio tribuit Vitas Patrum Gennadius in ſuo catalogo ſcriptorum.* At Gennadius id non ſcripſit. Verba Hieronymi ſunt haec: *Evagrius librum quoque ſcripſit de monachis, multosque in eo enumerat, qui numquam fuerunt, et quos ſcribit fuiſſe Origeniſtas, et ab Epiſcopis damnatos eſſe dubium non eſt.* Negat Hieronymus, reliquos fuiſſe Monachos. Non ſignificat ipſe, Evagrium vitas ſanctorum Patrum ſcripſiſſe. Liber ille, de monachis ab Evagrio ſcriptus, videtur cum interpretatione latina Rufini, qui plurima eius ſcripta reddidit latina, interiiſſe. Is certe, qui primas ſcripſit Vitas Patrum, ſeu potius monachorum Aegyptiorum, nuſpiam prodidit, ſe in monachos incidiſſe Origeniſtas. Ipſe potius narrat ſe in urbe Thebaidis Oxirinco multa religionis deprehendiſſe bona, nullum enim ibi inveniri haereticum et paganum, ſed omnes cives eſſe catholicos, et epiſcopis probatos. De Origeniſtis inibi deprehenditur ubique altum ſilentium. Incidiſſe quidem dicitur *Parte* III. *cap.* 2. peregrinator Gallicus in certamina Alexandriae exorta, Epiſcopos inter et monachos, de ſcriptis Origenis, an orthodoxis, an heterodoxis. At peregrinator hic, quoniam e Gallia in Aegyptum venerat Narbone profectus, ab Evagrio ſatis erat diverſus. Stat itaque, quam adprobavit Ludovicus Ellies du Pin, ſententia, nonnullos ob Honorii errorem attribuiſſe eam Gennadio opinionem,

m) Lugduni 1663, 8.

Digitized by Google

nem, quae conſtituerit, *Vitas Patrum* Evagrio velut auctori eſſe adſignandas. Temere igitur Caſimirus Oudinus illud du Pinii iudicium improbavit, in *Commentariis de ſcriptis eccleſiaſticis*, Tom. I. col. 1213.

Ioannes Caſſianus ſcripſit quidem *Collationes cum Patribus Aegyptiis habitas*, teſte Gennadio c. 61. At ipſe non fuit ille Gallicus peregrinator. Nam Sulpicius tribuit Poſtumiano illam peregrinationem ex Gallia in Aegyptum, Palaeſtinam, montem Sinai, et Thebaidem. Deſcriptio illius peregrinationis decurrit ibi a capite tertio ad viceſimi ſecundi capitis partem. Hinc nonnulla de b. Martino Turonenſi Epiſcopo intexuntur, et prior narratio reſumitur porro intra caput 24, atque paullo poſt tractatio ipſa in generali eremitarum et anachoretarum, qui miracula ediderint, praeconio ſubſiſtit; quod ipſum ſigillatim in Libri de Vitis Patrum parte tertia ad finem usque capitis 54, quod partem illam concludit, ſuppletur. Caſſianus igitur fuit non autor, ſed epitomator illius peregrinationis ac illi nonnihil in laudes illorum, qui vitam ſolitariam et in cellis propinquis agi ſolitam ſectarentur, adiecit, aliunde decerptum. Ea certe monachorum vitia, quae Hieronymus et Poſtumianus notaverant, omiſit conſulto.

Libet inter haec meminiſſe Guilielmi Cave, qui pag. 183. col. 1. haec habet: *Vitae Patrum, quae Collectionis Rosweydianae Lugduni 1617. Antwerpiae 1628. ſecundum et tertium librum conſtituunt, Rufini noſtri Toranii ſeu Aquilegienſis auctoris ſive interpretis eſſe creduntur. Liber ſecundus conſtat Palladii Hiſtoria Lauſiaca, tertia fere Heraclidis Paradiſo.* Aubertus Miraeus videtur a Caveo diſcrepare in iis; quae ad calcem Hieronymi de Viris Illuſtribus hunc in modum adtexuit, haec tradens: *Secundi et tertii librorum de Vitis Patrum auctor vel interpres fuit Ruffinus Aquileienſis presbyter. Quartus liber excerptus eſt ex Severi Sulpitii Dialogo primo, et*

*ex Ioannis Caſſiani Inſtitutis ac Collationibus.* — — *Octavum librum graece ſcripſit Palladius, Helenopoleos Cappadociae Epiſcopus, quem Gentianus Hervetus, Canonicus Remenſis, latinum fecit.* — — *Iſtis decem Libris Rosweydus attexuit Heraclidis Paradiſum, auctore graeco incerto, ſed vetere; interprete autem Martino Dumienſi ſeu Bracarenſi.* — — *Septimi libri auctor fuit Graecus, ſed cuius nomen nondum a quoquam eſt proditum. Hunc librum Paſchaſius diaconus latinitate donavit, rogante Martino Abbate Dumienſi, poſt Epiſcopo Bracarenſi: qui Martinus circa annum 580. vivere deſiit.* Miraeus Rosweidianam Vitarum, libros decem aequantem, diſtributionem ob oculos habuit, ac ideo ad editionem Antwerpienſem reſpexit. Guilielmus Cave rationem habuit editionis Lugdunenſis.

Noſtrum eſt praeterea monere, Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem rebus humanis iam exemtum fuiſſe anno 595. ad 15. Kal. Dec. atque Martini illius inter mortuos iam meminiſſe, *Hiſt.* V, 37. Paſchaſii igitur illa interpretatio ſatis diu ante Gregorii Archiepiſcopi obitum ad umbilicum eſt deducta. Gregorius hic Vitis eiusmodi adeo fuit delectatus, ut ipſe compoſuerit peraeque Librum de Vitis quorumdam Foelicioſorum, exorſus anno 590. et abſolvens eas anno 595, quae cum ipſius *Hiſtoria Francorum* iam Pariſiis 1522. ſunt foras datae.

Qui Vitas Patrum, de quibus diſſerimus, ſcripſerunt et fecerunt latinas, illi ad unum omnes ante Gregorii Turonenſis mortem diem obierunt ſupremum, citius ſerius, annis ante ſat multis. Si Hieronymi Stridonienſis et Dalmatae, Ruffini, Palladii, Ephraem Edeſſeni, Heraclidae Cyprii, qui Evagrio Pontico intra Aegyptum uſus eſt praeceptore, Sulpicii Severi, Ioannis Caſſiani, Paſchaſii, Pelagii diaconi, et Ioannis ſubdiaconi, aetatem recordamur, nulla dubitandi ratio nobis ſuborietur. Ioannem ſubdiaconum, et Pelagium diaconum, Georgius Garnefeltius deprehendit in Io-

anne

anne III, et in Pelagio I, Epiſcopis Romanis. Pelagius hic fuit utique primo Romae diaconus. Procopius eum hoc nomine inſignivit, *de Bello Gothico* III, 20. Pelagii I. mortem Pontificale Romanum anno 561. menſique Martio addicit. Si tamen Franciſcum Pagium, de Romanis Pontificibus commentantem, conſulas, virum diligentiae ſingularis, obitus Pelagii iſtius incidit in annum 560. inter ultimum Februarii et primum Martii diem. Floruit Romae ea tempeſtate honos vitae monaſticae. Edocemur hoc ipſum Dionyſii, Abbatis ibidem, exemplo, qui e re Romana fore iudicavit, ſi Pachomii Abbatis Aegyptii vitam, graece ſcriptam, daret impulſu Epiſcopi Romani in latinum converſam, quam ſatis copioſam videmus in *Vitas Patrum* relatam *fol.* 89 — 103. in parte prima. Dionyſium hunc floruiſſe circa annum 560, nemo facile ignorat. Librum, qui *de praevidentia et contemplatione* inſcriptus eſt, in latinum verterunt Pelagius diaconus, et Ioannes ſubdiaconus, laborem inter ſe partiti. Ioannes III, Pelagii I. ſucceſſor in Epiſcopatu Romano, vitam cum morte commutavit anno 573, quum ſedi illi praefuiſſet annos tredecim. Nomen eſt obſcurum, fateor, autoris prologi ad *Partem ſecundam*, qui opellam ſuam domino cuidam Fidoſo conſecravit. Fingamus tantiſper, hunc anonymi prologum eſſe ſequioris aetatis, Saeculique XIII. additamentum; primordia tamen *Partis ſecundae* profecta ſunt ab auctore, qui cum monachis olim eſt in Aegypto verſatus. Memoravit enim, quae ipſe a ſanctis Aegypti presbyteris, ſeu ſenioribus, nominatim a Zenone, audivit. Et quis ignorat, habitas a Ioanne Caſſiano cum Patribus Aegyptiis *Collationes?* Stat itaque ſententia, Gregorium Turonenſem, ingenio Saeculi ſui indulgentem, monaſticam Aegyptiorum vitam ſummi feciſſe, et eos, qui *Vitas Patrum* ſcripſere aut interpretati ſunt, degiſſe ante eius aetatem. Suſpicor, originem anachoreticae Aegyptiorum vitae ab ipſis Therapeutis, de quibus philo expoſuit, ad Ieſu doctrinam feſtinanter ſe componentibus, eſſe repetendam.

Mirari non ſatis poſſumus eum adplauſum, ea praeconia, quibus reliqui per orbem chriſtianum diffuſi pietatis cultores, religioſum id vitae genus, quod in Aegypto primordia ceperat, exceperunt. Aegyptii anachoretae et monachi eam admirationem ſui adeo non abhorruerunt, ut potius inde elatiore animo eſſe inciperent. Sulpicius Severus *Dial.* 3. c. 7. §. 7. ait: *Aegyptus ſuorum Sanctorum numero et virtutibus eſt ſuperba.*

Cur a Vitis Patrum procul ſint vitae virorum apoſtolicorum, ut Cypriani, Irenaei, Hoſii, Gregorii thaumaturgi, et aliorum, ratio vix alia apparet, quam quod virtus excelſa credita fuerit eremis, cellulisque religioſorum virorum potiſſime propria. Naevos tamen in incolis earum notarunt iam Hieronymus et Sulpicius, naevos, qui laudem ſanctitatis nec amplificant, nec vindicant. Cur naevorum talium veſtigia in Vitis Patrum adpareant nulla, ſi rationem exquiramus, non poſſumus quin fateamur, alterum modo latus anachoretarum ac monachorum patuiſſe, alterum vero, quippe proproſum, conſpectui eſſe ſubductum. Ex *Therapeutis* enati videntur medici monachi, qui ſanationes ſuas in miraculorum myriades converterunt.

Arriſerunt Gregorio Turonenſi, quippe viro iudicii infirmioris, et genio Saeculi ſui indulgenti, ea promiscue, quae de ſanctitate monachorum circumferebantur. In pretio apud eum fuerunt elogia monachorum Aegyptiorum, quaſi ſpecula, in quae inſpiciendum ſit conditoribus rectoribusque coenobiorum. Suffragandum igitur mihi eſt Theodorico Ruinarto, qui in *Praefatione* ad ſuam Operum huius Gregorii editionem, argumenta, rei ipſi conſentanea, attulit ea, quibus facile perſuaderi poſſumus, ut collectionem Operis *de Vitis Patrum* ad Gregorii eiusdem inſtitutum referamus.

Crera

Crebra ieiunia, viſiones copioſae, et miracula numerum fere excedentia, certamina cum diabolis adparere ibi ſolitis ſuſcepta, atque diſciplina auſterior, utramque Collecti-nis iſtius complent paginam. Elogia nonnulla ſunt eleganter, non tamen ad veritatis normam, ſcripta. Inſunt nihilominus Operi, ſi naevos et peregrinationem Indicam ex parte fabuloſam ſepoſueris, multa bene egregieque dicta et facta.

ΤΥΡΤΑΙΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

## *TYRTAEI QUAE SUPERSUNT OMNIA. COLLEgit, Commentario illuſtravit, edidit, CHRISTIANUS ADOLPHUS KLOTZIUS.*

Altenburgi, ex Officina Richteria, 1767. octonis, pl. 17.

Non ſplendidius modo elegantiusque prodit haec Carminum Tyrtaei editio prae Bremenſi, anno 1764. a Viro Illuſtri curata, verum etiam locupletius multo, lectoribusque, quos non paucos fore et cupimus et ſperamus, utilius. Neque enim ſolum nitidior excuſa eſt, gemmarumque, antiquis ab artificibus ſculptarum, ſignis exornata; ſed etiam multis modis aucta, quod cum ad Commentarium; tum ad diſputationes ipſi adiectas, ſpectat; praeterea quoque uno fragmento, parvo illo quidem, nec tamen contemnendo, quod pag. 132. exhibet, locupletata. Ac profecto digna eſſe hac cura Carmina Tyrtaei, gratiamque propterea Illuſtri Editori maximam referendam, lubenter quisque profitebitur, qui fortem, quem ſpirant, intrepidumque poetae animum cognoverit, ſenſeritque vim elocutionis, ſpiritus magnificentiam, ſententiarumque, quibus virtus et amor patriae commendatur, civesque ad pericula ſubeunda, mortemque adeo ipſam pro publica ſalute con-

contemnendam, excitantur, praeſtantiam. Quod quam vere dictum ſit, ſi quis velit intelligere, qui haec Carmina graece legere non poterit, adeat modo interpretationem pulcherrimam, quam a Weiſſio noſtro Germania nuper accepit, in qua, Klotzio iudice, eadem vis apparet, eadem verborum gravitas, eadem ingenii praeſtantia, quae graeco poetae omnium laudes conciliavit; habetque patria noſtra interpretationem, quam optimis omnium nationum iure opponat, quamque propter has ipſas cauſas non potuit non Illuſtris Editor huic quoque editioni ad calcem adiicere. Sed age, quid in hac nova editione mutatum fuerit, et quae augmenta nova acceſſerint, videamus.

Primo loco exhibuit carmina ipſa, eorumque quatuor integra et decem reliquorum fragmenta tantum, ex variis Scriptoribus graecis excerpta, cum in priori editione praecederet diſputatio de Tyrtaeo, quae vero nunc una cum altera de Carminibus bellicis ad finem addita eſt. Praeterea in illa carmen, quod in hac eſt tertium, disiunxerat, ſed in nova coniunctim edidit, quod fecere iam Hertelius, Henr. Stephanus, Lectius, et Wintertonus, Londinenſis nuper etiam editoris auctoritate accedente. Unumquodque carmen excipit Commentarius, is quidem, qualis a Klotzio exſpectatur, elegantiſſimus nempe et varia amoeniſſimaque doctrina refertus, in quo et lectionum varietatem indicavit, et cum de literatura graeca et latina, tum de antiquis ritibus, diligentiſſime monuit; in quibusdam etiam latius evagatus, atque aliis Scriptoribus lucem affundere felicisſime conatus eſt. Hinc Homeri, Callimachi, Pindari, Euripidis, Theognidis in primis, cuius inſignem quandam cum poeta noſtro ſimilitudinem eſſe ſaepenumero obſervavit, Horatii, Quintiliani, aliorumque loca non pauca, aut illuſtrare, aut emendare ſtuduit, ea quidem ratione, quae ingenium ipſius et eruditionem inſigniter prodit. Cuius quidem rei probandae exempla proferre non eſt opus, cum iam ea omnia

omnia ex multis aliis libris, a Kl. V. Cel. editis, et ex ipſa ſuperiori horum Carminum editione, ſatis ſuperque viris doctis cognita ſint. De augmentis tantum videbimus.

Atque Commentarium permultis in locis exhibuit copioſiorem, cum verboſius rebus quibusdam explicitis, tum additis non paucis carminibus, quae ex Anthologia graeca, nondum edita, beneficio Senatus Lipſ. cuius Bibliotheca huius Anthologiae Codicem ſervat, ipſi depromere licuit; quae carmina, a nemine antea vulgata, et novitatis habebunt gratiam, et ob venuſtatem valde placebunt iis, qui his ſtudiis delectantur. Specimina dare, nimis longum foret, nec deſiderabunt lectores, ipſum librum perlegere cupientes. Satis erit, loca praecipua indicaſſe. Ac prioris generis ſunt pag. 6. ſq. 12. 13. 20. 22. 34. 35 ſq. 37. 38. 41. 49. 72. ſq. 102. 111. reliqua, alterius vero pag. 23—25. 26—28. 71. 72. 75. 78. ſq. 99 ſq. 112. ſq.

Haec carmina ſequuntur, ut iam diximus, diſſertationes duae, inſigniter in hac editione auctae, et nova plane ſpecie in lucem prolatae. In priori, *de Tyrtaeo*, collegit fere omnia, quae ad tempus, cui aſſignanda ſit aetas Poetae, ſpectarent, de vita eius rebusque geſtis a priſcis Scriptoribus memoriae prodita eſſent, ac denique ad indolem horum carminum, editiones, verſionesque pertinerent. In his quidem enarrandis non pauci operam collocavere ſuam, ſed omnes rem leviter tantum attigerunt, neque adeo Viro Ill. ſatisfecerunt. De aetate Tyrtaei magnus eſt diſſenſus in-

ter hiſtoricos, de quo docte diſputat Ed. Cl. Sequitur autem Pauſaniam, cuius auctoritate floruiſſe putat poetam tempore belli ſecundi, inter Lacedaemonios et Meſſenos geſti. In patria deſignanda errat Suidas, qui Mileſium aut Lacedaemonium Tyrtaeum fuiſſe ſcribit. Clare oſtendunt veterum auctorum teſtimonia, ut Iuſtini, Pauſaniae, Ariſtidis, Aeliani, et Diod. Sic. quorum loca ſingula afferuntur, eum fuiſſe Athenienſem. Ex his teſtimoniis, praeter reliqua, poſſunt tria diſci: primum, non ſatis viribus Tyrtaeum vigere Athenienſes credidiſſe, fortaſſe quia reliquos prudentia ſuperavit; deinde, illum altero pede claudum fuiſſe, quae corporis imbecillitas Ioſepho Barberio occaſionem dedit, ſat ineptum elogium in eum componendi; ſapientius de claudo Tyrtaeo Ger. Io. Voſſius diſputat in Inſt. Rhet. denique, literas docuiſſe Tyrtaeum Athenis. At poſteaquam ad Lacedaemonios venit, eum, Pauſanias narrat, modo principibus, modo plebi, elegos et anapaeſtos decantaſſe, Lacedaemoniosque proelio victos et valde perculſos, cum finem belli ſpectarent, recitatis elegis de hac ſententia deduxiſſe, eorumque animos accendiſſe. Cuius rei celeberrima fuit antiquis temporibus hiſtoria, a compluribus auctoribus celebrata, nec ab Horatio praetermiſſa, cuius elegantisſimos verſus quis non recordatur?

> Poſt hos inſignis Homerus
> Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
> Verſibus exacuit.

Qua

Qua re et nominis immortalitatem conſecutus Tyrtaeus, et optime meritus de Lacedaemoniis, praemium reportavit ius civitatis. Fertur quoque triplicis chori apud Lacedaemonios auctor, tubarumque inventor, quamquam hoc auctoribus non certiſſimis. Plerumque autem ſubiungitur Homero, ut a Themiſtio et aliis, ſed eo tamen inferior eſſe dicitur. Maxime vero nomen ipſius celebratum eſt ἐμβατηρίοις, de quibus docte, more ſuo, et copioſe diſputat Vir Illuſtr. ex qua diſputatione apparet, ἐμβατήρια fuiſſe carmina tibia et aſſa voce decantata, ad quorum numerum milites proelium ingreſſuri gradum moderarentur. Horum quidem ἐμβατηρίων auctorem fuiſſe Tyrtaeum, illiusque carmina decantata a pugnantibus militibus, a nullo veterum Scriptorum traditur; niſi trahere huc velis locum quendam Athenaei, qui quidem favere videtur ei, qui Tyrtaei carmina ἐμβατήρια fuiſſe dicere voluerit, nec tamen ex hoc forte certi quid poteſt pronunciari. Illud, quod primo loco edidit Kl. V. Cl. ad ea carmina referendum eſſe, quae ante tentorium regis recitabantur a Lacedaemoniis, luculenter teſtari videntur verba Lycurgi, quae proxime antecedunt hoc carmen, ab ipſo ſervatum. Reliqua carmina Tyrtaei habent illa quidem adhortationes ad fortitudinem, atque mortem pro patria ſubire iubent milites; ſed an fuerint illa ἐμβατήρια, atque cantata a militibus pugnam ineuntibus, haud facile affirmandum putat Vir Illuſtris. Ceterum, magnam tamen nominis famam ſibi comparavit carminibus praeſtantisſimis Tyrtaeus, atque eo magis dolen-

 dum

Digitized by Google

dum eſt, plurimam eorum partem deletam eſſe; nam praeter quatuor illas elegias, quae ad noſtram aetatem pervenere, fragmenta extant, ab antiquis Scriptoribus ſervata, quae tamen et numero pauca ſunt, et magis accendunt quam minuunt ſitim deſideriumque reliquorum. Separatim ea nunquam prodiere, niſi nuper in Anglia. Antea ſemper addita fuerunt aliis carminum collectionibus, quas diligentiſſime recenſet Illuſtris Klotzius. In latinam linguam translata ſunt aliquoties, ut a Camerario, nec minus in Anglicam et Franco Gallicam; quae tamen verſiones ſe non probarunt Viro Cel. Quod ut appareret, ex verſione antiqua Anglica initium tertii carminis, et ex recentiori totum id deſcripſit, quod etiam ex verſione Franco Gallica fecit. De latinis in Commentario admonuit.

Reſtat diſſertatio altera, cuius, ut in praef. dicit, in priori editione primas tantum lineas duxerat, de carminibus bellicis quorundam populorum. Iſtorum tria genera facit, primum eorum, quae ante pugnam cantabantur. Atque hic mos fuit Graecis uſitatus, quos ante proelium Marti, proelioque commiſſo Apollini, carmen decantaſſe legimus, quod dicebatur παιάν. Alter quidem paean, Marti ante pugnam ſacratus, ἐνυάλιος dicebatur, eoque et victoriam orabant, et militum fortitudinem excitare ſtudebant. Contra aliorum populorum erat ingens tumultus, qui lugubre aliquid habebat, terroremque poterat hoſtibus iniicere. Sic de Gallis Diodor. Sic. prodidit. Curtius Perſas truci et incon-

Digitized by Google

incondito clamore pugnam iniiſſe ſcribit. Apud Romanos eundem morem obtinuiſſe, Livius multis locis, et Caeſar, teſtantur. Germani proelium ineuntes clamarunt, Herculemque celebrarunt; ſed Chriſtianis Imperatoribus, antequam e caſtris quisquam egrederetur, dux exercitus, ceterique praefecti, formulam Κύριε ἐλέησον acclamabant; caſtris copiis egredientibus, ter quaeque eorum pars vociferabatur: Deus nobiscum! tum tenebant ſilentium, donec manum cum hoſtibus conſererent. Eorum carmen bellicum, quod non decantatum quidem fuit, ſed, quaſi cani deberet, compoſitum, exhibet Morhofius, ex poetae cuiusdam antiqui hiſtoria Henrici Aucupis; cuius carminis primam et ultimam ſtropham ſpeciminis loco repetiit Vir Ill. ut et eiusmodi carmen Polonorum, ab Adalberto factum, et a Sarbievio latine redditum. Nec carmina bellica recentisſimae aetatis praetermiſit. Quae ſequuntur denique carmina ſeptentrionalium populorum, non minus magnificentiae ſpiritus plena, ut Scaldorum, apud Arctoas gentes. Alterum carminum bellicorum genus ea complectitur, quae ἐπινίκια dicuntur. Haec ſpectarunt ad victoriam, fueruntque vel ipſo victoriae tempore decantata, vel ſerius etiam a poetis compoſita, poſteritati. Antiquisſimum, idque pulcherrimum habent Hebraei: quo pertinet carmen a Moſe, poſt tranſi-

tum Iſraelitarum per mare rubrum, cantatum, carmen Deborae, nec minus illud quo Davidem Goliatho occiſo populus proſecutus eſt. Huc et referendum putant nonnulli librum Iuſtorum, cuius fit mentio in Ioſuae libro. Graecis primum ἐπινίκιον ceciniſſe videbatur Apollo, qui, Saturno pulſo, Iovis victoriam celebraverit. Habitum canentis deſcribit Catullus. Luculentum eiusmodi carminis exemplum ſervavit Pauſanias; quale etiam Callimachus in honorem Soſibii ſcripſiſſe fertur. Latina lingua nullum extat, (niſi velis huc referre Horat. carmen IV. L. IV.) praeter verſiculos, a Flavio Vopiſco in Vita Aureliani ſervatos. Vetuſtum carmen Theotiſcum Schilterus exhibet, cuius quoque aliquam partem dedit Vir Illuſtris. Ultimo loco collocat ea carmina, quibus olim res bellicas praeclaraque facta heroum et maiorum ſuorum celebrabant Graeci, Galli, et Romani. Huc refert ea carmina, quae σκόλια appellabantur; ad quorum illuſtrationem multa docte diſputavit, quae non poſſumus omnia afferre. Ceterum iam ex his intelligere putamus lectores, quam vere dixerit Vir Illuſtris, operam ſe dediſſe, ut Tyrtaei carmina eo habitu apparerent, qui deceret poetae, nos vero addimus, et Klotzii, ingenium et famam.

*NOVA*

Digitized by Google

## *NOVA LITTERARIA.*

Placuit ſummo litterarum Fautori ac Nutritori, Celſiſſimo S. R. I. Principi ac Domino, Domino IOSEPHO ALEXANDRO IABLONOVIO, *Palatino Novogrod. Aurei Velleris et Ord. S. Spir. Equ. Torqu.* reliqua, cuius in rempublicam litterariam merita omni noſtra laude ſuperiora ſunt, pro liberali eius inſtituto, proponere et in hunc annum viris eruditis quaeſtiones tres, eorumque ſuper iis iudicia requirere. Sunt vero deſumtae quaeſtiones iſtae hac vice omnes ex hiſtoria, huius ſententiae:

1) *Qua ratione in hiſtoria Polonica Lechus, tamquam gentis ſuae dux, etiamſi taceant coaevi, ſervari, vel traditionis auctoritate, poſſit?*

2) *Quinam ſunt in Moravia, inque Moraviae confiniis, verſus Hungariam, degentes Heneti, Hanati, Eneti? Slavine, et iidem cum Venedis?*

3) *Cuius ſunt originis veteres in Boſphoro reges Sauromatae? cuius in Cherſoneſo Chreſti? et quo tempore ſtirps eorum eſt extincta?*

Iam quicunque doctorum hominum ſuper horum argumentorum aliquo commentari volet, commentationem ſuam latine, diſtinctisque bene characteribus conſcriptam, ante menſem

menſem Octobrem huius anni, *Ill. Belio*, Seren. Elect. Sax. Conſiliario Aul. in Academia Lipſ. Profeſſori Publ. perferendam curabit, adiuncto ſimul aliquo, quod cuique placuerit, ſymbolo, et obſignata ſchedula, in qua inſit tum idem ſymbolum, tum nomen auctoris et locus domicilii. Demandatum eſt a *Celſiſſimo Principe* viris quibusdam huius urbis eruditis, ut, quamcunque perlatarum ad ſe commentationum, ſuper ſingulis quaeſtionibus, praeſtantiſſimam cenſuerint, eidem praemii loco adiudicent aureum numum, *triginta Aureorum* (30 Ducat.) pondus aequantem. Neque denegabitur officium, diſſertationum earum, quae praemium obtinuerint, una cum nominibus auctorum, in diurnis relationibus, novisque litterariis, indicandarum. Lipſiae, MDCCLXIX.

Digitized by Google

N. II.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Februarii Anno* MDCCLXIX.

## *IO. DAN. AB HOVEN, CAMPENSIA, SEU SPIcilegia Critico-Antiquaria etc.* *FASCIC. II.*

Amſt. et Campis, 1766. 4to.

Pergit Vir Cl. bene mereri de republica litteraria, et maxime de antiquitate Chriſtiana, cuius potisſimum cauſa laborem hunc, et ſuſcepit, et hoc Faſciculo continuat; quo quid contineatur, iam brevisſime indicabimus. Ac de dictione quidem, non reperimus facile, cur nuperum iudicium noſtrum magnopere mutemus. Sed tanto magis placuere nobis res eae, quas hoc volumine propoſuit. Conſtat Faſciculus numeris ſeu capitibus ſex, quorum primum eſt *Sertum Obſervationum Critico-Antiquariarum, maximam partem ad illuſtrationem S. litterarum et eccleſiaſticorum ſcriptorum conſertum.* Id habet rurſus Obſervationes ſex, quarum prima eſt *de Paradiſo, hortis, lucis, ſepulchrisque*, ubi multa occurrunt notatu dignisſima; inter alia etiam obiter nova loci vexatisſimi Paulini 1 Corinth. XV, 29. de baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν interpretatio. Exiſtimat Vir. Cl. βαπτίζεσθαι hoc loco ſumendum eſſe illa notione, qua alias toties in N. T. occurrat, *affligi, angi, ſollicitum eſſe,* nec Subiectum, de quo Paulus agat, eſſe *Chriſtianos,* (ut perperam hucusque

 cre-

Digitized by Google

creditum ſit,) ſed *gentiles*, adeoque ſenſum loci eſſe hunc: „Alioquin, (hoc eſt, ſi nulla eſt reſurrectio,) quam ſtulti ſunt „gentiles, quod tantopere ſolliciti ſunt de cadaveribus mortuo„rum, quod ea curant, ungunt, iis ſacrificant, de animorum „poſt mortem ſtatu tam anxii diſputant? Unde patet, ani„mos immortales, et poſt hanc vitam aliam adhuc exſpe„ctandam eſſe, quod vel in ipſis gentilibus ſenſus eius rei ali„quis fuit." Atque hanc ſententiam Vir Cl. probabilem fecit cum ex uſu verbi βαπτίζεσθαι, qui ſat notus eſt; tum e Parallelismo et contextu, ubi Paulus de Chriſtianis, quos gentilibus ſtatim opponit, ſimile verbum κινδυνεύειν ſubſtituit. Fatemur, hanc interpretationem, quamquam duriusculam, tamen non contemnendam nobis videri; certe multis aliis longe probabiliorem eſſe, quas interpretum induſtria adhuc protulit. — Altera obſervatio eſt *de quaeſitoribus, in cauſa Chriſtianorum ſub Imperatoribus quaeſtiones exercentibus*, *ad Min. Fel. Oct. Cap. 28.* quos Vir Cl. putat fuiſſe iudices extraordinarios, ab Imperatoribus peculiari mandato ad eam rem deſtinatos; ſic enim verba eius ſubobſcura intelleximus. — Tertia eſt *de Triumpho equeſtri, et auctoritate Dionyſii Hal.* Res eo redit, ut oſtendatur, initio, et creſcente republica, Triumphantem equo, Ovantem pedibus; ſed, aucta Reip. potentia, Triumphantem quadrigis, ovantem equo, in urbem veniſſe; eaque occaſione Dionyſii Hal. in deſcribendis Romanorum ritibus negligentia arguatur; quod exemplis quibusdam probatur. — Quarta eſt *de uſu florum et Coronarum apud Veteres Chriſtianos, ad Min. Cap.* XII. *et* XXXVIII. quinta *de Subſtratione veſtium, et ſparſione foliorum florumque in honorem deorum ac principum*, ad Lucae XIX, 32. et Ioh. XII, 13. — Sexta denique *de horto in Bibliotheca Varronis*, ad Cic. Fam. Lib. IX. ep. IV. per quem hortum Vir Cl. intelligit libros philoſophicos Epicuri.

Cap. II. eſt *Spicilegium obſervationum in Sulpicii Severi hiſtoriam ſacram, repetitae lectionis.* In quibus ſane multum lectio-

Digitized by Google

lectionis et doctrinae demonſtravit Vir doctisſimus; ſed ſunt tamen etiam, in quibus liceat nobis ab eo diſſentire: v. c. cum pag. 126. praepoſitiones, ait, plerumque ſimplicium vim, tam apud Graecos, quam apud Latinos, augere. Quamquam enim hoc in ſingulis quibusdam exemplis ita eſſe non negemus, tamen univerſe falſum eſt, gratiaeque agendae potius fuerant Theologis noſtris et Grammaticis, qui, ſaepe monendo, pernicioſisſimum iſtum ſacri codicis interpretationi canonem, et cum eo tot Enphaſes fictas, aliquando ex Hermeneutica ſacra ſuſtulerant. Sic etiam pag. 131. Obſervationem ſuam, de non expungendis apud veteres vocum repetitionibus, per ſeverisſimam et elegantisſimam, non ſatis accurate illuſtravit exemplo ex Ovidii Metamorphoſeon L. I. 687. et 688. ducto:

— — — Quaerit quoque (namque *reperta*
Fiſtula nuper erat) qua ſit ratione *reperta.*

Subiicit enim: *Eccur non* detecta? *Sic placuit.* Minione vero, quia ſic placuit Ovidio, ſed quia metrum requirebat ſyllabam brevem, *detecta* autem, quantum ſcimus, primam producit. — Verum hae leves maculae ſunt, quae multis aliis bonis compenſantur. Ita v. c. mirifice nobis ſe probavit V. Cl. coniectura, quum pag. 127. apud Ovidium Heroid. Ep. 4. v. 76. pro: Fine *coli modico forma virilis amat*, legit: Crine coli *modico forma virilis amat.* Eſt enim et rei, et contextui convenientisſima. Pari elegantia, pag. 143. pro: *arma ſuppresſiſſe*, legendum putat: *Suſcepiſſe*, vel *ſuſtuliſſe;* quamquam nec Vorſtii coniectura contemnenda eſt, qui mavult: *ſumſiſſe.*

Sequitur Cap. III. ſeu disquiſitio Chronologico-Critica *de vera aetate principum Philoſophorum ſecundum Diogenem Laertium, a mendis librariorum purgatum*, in qua emendatur potiſſimum Verſio antiqua latina Ambroſiana; deinde vero etiam dubia quaedam chronologica de Philoſophis Graecis ſolvuntur.

Caput IIII. eſt diſquiſitio iuris eccleſiaſtici *de Hierarchia Chriſti, et celebri epiſcopatu Conſtantini M.* τῶν ἐκτὸς, *ſecundum auctorem vitae Conſt. M. Lib. 4. c. 24.* Hic Vir Cl. fontem et originem Hierarchiae eccleſiaſticae quaerit in κακοζηλίᾳ et αὐθαδείᾳ Epiſcoporum, et verba illa Conſtantini M. apud Pſeudo — Euſebium: Ὑμεῖς μὲν τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεῶ καθεσθάμενος επίσκοπος ἂν εἴην, ſic interpretatur, ut ea, quae in templis per agenda eſſent, doctoribus eccleſiae relinquere, quae autem extra templa, in eccleſiae et religionis commodum, ſibi reſervare voluerit. Nos ſimplicius fore credimus, ſi per τὰ ἔσω τῆς ἐκκλησίας doctrina, per τὰ ἐκτὸς cura externa intelligatur.

Cap. V. Stricturas quasdam leves Codicis Theodoſiani continet, qui ex editione Ill. Ritteri prodiit.

Cap. VI. eſt *epiſtolarum Tullianarum prima*, qua de locis quibusdam Ciceronis ſententiam ſuam Vir Cl. dixit, v. c. de vexato illo ad diverſos. Lib. VII. Ep. 6. de manibus Medeae *gypſatisſimis*, ubi legendum putat *viscatisſimis*, quae coniectura nobis non videtur contemnenda eſſe. Diſputat porro, cuinam ſectae Cicero addictus fuerit, ad Off. Lib. I. cap. 1. de definitione ac diviſione officii, ad Cap. 3. denique de primo et univerſali officiorum omnium principio, ad Cap. 4. Quae dum legimus, admirati ſumus lectionis Viri doctisſimi copiam, et doctrinae reconditae apparatum, et, ut quamplurimos adhuc Campenſium ſuorum Faſciculos cum orbe erudito communicare, cum per alia negotia et vigorem corporis poſſit, tum per animi humanitatem velit, vehementer optamus.

*ARGUMENTORUM ALIQUOT IN PLATONIS Phaedone de animi immortalitate illuſtratio et discuſſio,*

Digitized by Google

*ſio, Auctore* IO. *CHRISTOPH. GOTLEBER,*
*A. M. Scholae Annaemontanae in Miſenis Rectore.*

Antiquisſimi Philoſophi, etſi luce divina non colluſtrati, tamen id intelligebant, omnem religionem virtutemque immortalitate animi niti, omnemque cultum paullo humaniorem tolli, niſi demonſtrare poſſent, futura eſſe bene et male actae vitae praemia et poenas. Quod eo facilius facere poterant, quod huius quaeſtionis cognitio et nitetur κοινᾶις ἐννοίαις, et innata animoque indita iure dici poſſet. Apud antiquisſimos ſcriptores, veluti *Homerum* et *Orpheum*, huius rei veſtigia apparent: quorum ille fabula de campis Elyſiis Odyſſ. δ. 563. ſeq. Orco, quem ἅδην vocat, in quo *Tantalus, Siſyphus*, aliique poenas dant, ut alia loca praetermittam, ſatis docuit, poſt mortem futuram eſſe aliam vitam; hic autem *Platoni* fuit auctor locupletisſimus, unde et ad inſtituta et diſciplinam eius plurimis locis alluſit, ut *Olympiodori* Commentarii notant: v. c. ad *Segm.* XIII. *Phaed.* παρωδεῖ πανταχῦ τὰ τῦ Ὀρφέως, διὸ καὶ ςίχον ἀυτῦ φησιν — et ad *Segm.* XVI. ei. *Phaed.* πανταχῦ γὰρ ὁ Πλάτων παρωδεῖ τὰ τῦ Ὀρφέως. Quibus ex locis intelligi poteſt, quanta celebritate inſtituta *Orphei* de religione fuerint; parumque refert, utrum *Onomacritus*, an *Pythagoras* ipſe, ſive doctrinae Pythagoricae aemulus, ea quae extant ſcripſerit. Etſi concedamus, eius carmina non eum, qui ante Homerum vixiſſe fertur, habere auctorem, qui ſecundum Ariſtotelem nunquam fuit; (*Cicer.* nat. Deor. I, 38.) antiquiſſima tamen, et magni aeſtimata ſunt a Pythagora, eiusque ſequacibus, inter quos et Platonem fuiſſe, *Cic. Tuſc. Qu.* I, 17. nemo ignorat. (v. praeter *Fabric.* B. G. I, XIX, et II, XIII. p. 515. *Geſnerum*, τὸν μακαρίτην, in *Prolegom. Orphic.*) Sed quorſum haec diſputamus? ut intelligatur, plurima *Platonis* placita ſapere diſciplinam Pythagoricam, ut *Ariſtoteles* I. Met. VI. tradit:

tradit: Platonis enim philoſophiam τὰ πολλὰ τοῖς πυθαγορείοις δόγμασιν ἀκολουθοῦσαν, vocat; idemque *Laert*. III. 8. et *Apulei. Florid.* III. *extr*. p. 232. et de *dogm. Plat*. 257. *ed. Colu.* notarunt. Et inde luce aliqua, argumenta pro immortalitate animi perfundi poſſe, quis non videt?

Antequam autem ad ipſa argumenta diſcutienda veniamus, age animadverſiones aliquas de ipſa argumentorum Socraticorum ratione et vi praemittamus. Primum Socrates Platonicus quidem vere intellexiſſe videtur, animos eſſe immortales, ut ex tam multis diſputationibus, et ex ipſa huius rei anticipatione ſive praenotione, quam et indocti habent, nedum Philoſophi, facile apparet; attamen palam profitetur, certam demonſtrationem in praeſenti vita afferri vel plane non poſſe, vel difficillime, εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος, ἢ λόγου θείου τινὸς διαπορευθῆναι (in *Phaed*. Segm. 36. p. 164. et 65. ed. *Fiſch*.) Quos ſcrupulos et *Cicero* paſſim ſibi movet in *Quaeſt. Tuſc*. et in extr. *Catonis*: „*nihil ultra quo progrediatur habe*„*re, quam veriſimilia et coniecturas.* Quae fluctuatio veteris et novae Academiae et Stoïcos movere potuit, ut perabſurdam de animi immortalitate opinionem habuerint, illum, cum e corpore exceſſerit, manere, ſed non ſemper: (*Tuſc. Quaeſt*. I, 32.) quos, praeter *Ciceronem*, aliosque ex recentioribus, divinus *Toungius*, in praeclaro immortalitatis animi monumento, Nocte VII. v. 562. nervoſe notavit. Deinde argumenta Platonis falſis quibusdam opinionibus ſive principiis nituntur, quo referam illud: animos, ante quam cum corporibus coniungerentur, fuiſſe; (v. Segm. XXV. extr. pag. 146. et alibi;) quae ſententia ſine dubio e Pythagorica ratione ducta eſt. Pythagoras enim, ut notiſſimum eſt, iactitabat, ſe, temporibus belli Troiani, Euphorbum Panthoi filium fuiſſe, ut innuit *Horatius* in illis: (Carm. I, Od. 9. etc.)

*— — habentque*
*Tartara Panthoiden iterum Orco*

*Demiſ-*

*Demiſſum: quamvis clypeo Troiana refixo*
*Tempora teſtatus — —*

Vide, ſis, *Lambin:* notam, quae plura de hoc errore Pythagorico dabit. Non minus probanda eſt illa ſententia, animum in corpore incluſum, ideoque corpus carcerem animi, animumque tum, cum omni admixtione corporis liberetur, purum ac integrum eſſe. (v. S. XXVII. p. 153.) Multa quidem, his dictis inſunt praeclara, v. c. ſapientem non debere pati animum a libidinibus corporis abripi, et multa alia; ſed non pauca egregie dictis falſa admixta ſunt, quorum confutationem praetermittimus. Quae de conditione et ſtatu animorum poſt mortem refert, ea ſunt ſane eiusmodi, ut fabulas ſapiant, Poetarumque fictionibus ſimiliora eſſe videantur: v. *Segm.* 31. *Phaed.* Denique in deligendis argumentis videtur parum curioſus fuiſſe: argumenta, maximi momenti, quin certisſima, parum copioſe, ut reliqua, quae intricata ſubtilitate veſtita ſunt, explicavit et illuſtravit; et diſſentientes in hoc dialogo, v. g. *Simmias*, *Cebes*, probabiliter nos in eam adducunt ſententiam, *Platonem* ex eorum dubitationibus argutias dictorum ſuorum intellexiſſe. Argumenta, quae in priori dialogi parte propoſuit, ut deinceps videbimus, etiam illud, quod ex ſimplicitate animi ductum eſt, non tam certa et indubia ſunt, ut multi vulgo opinantur: ut praeclare monet CRVSIVS, Philoſophus Lipſienſis acutisſimus, (phil. moral. Seg. 221.) et nuper Cl. *Waldin*, in commentat. qua docuit, rationibus philoſophicis reditum corporum in vitam intelligi poſſe, Segm. X. Ex ſimplicitate evinci tantummodo hoc poteſt, animum corruptionis eſſe expertem, non autem immortalem; vita enim animi poſt mortem a ſola benignitate, ſanctitate, et iuſtitia pendet. Sed de hac re plura diſputare hoc loco ſuperſedemus: illud modo addamus, Platonem argumenta, quae ex proprietatibus divinis, et ex appetitionibus quibusdam nobilisſimis, quae nunquam ſatiari poſſunt in hac vita, derivantur, iuſto brevius,

propo-

propoſuiſſe. Adferri ſane poſſent loca, e quibus appareat, Platoni non ignotas fuiſſe eiusmodi notiones communes; ſed, quod breves eſſe volumus, unum alterumque modo laudaſſe ſufficiat. Segm. LVII. *Phaed.* p. 204. dicit: *εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τȣ̃ παντὸς ἀπαλλαγὴ, ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανȣ̃σι, τȣ̃ τε σώματος ἅμα ἀπηλλάχθαι, καὶ τῆς αὐτῶν κακίας, μετὰ τῆς ψυχῆς* etc. Nonne his verbis docuit, manere impios poenas, quas vero, niſi animus poſt mortem ſuperſit, non ſubituri ſint neceſſe eſt? Vi itaque iuſtitiae divinae animadverſa, *Plato*, neceſſario iudicium aliquod bene et male factorum futurum eſſe, intellexit, quod in ſequentibus clarius enuntiavit his verbis: *ὡς τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἑκάστȣ δαίμων — ἄγειν ἐπιχειρεῖ, εἰς δή τινα τόπον, οἱ δεῖ τȣ̀ς ξυλλεγέντας διαδικασαμένȣς εἰς ᾅδȣ πορεύεσθαι* — Illud argumentum autem, ab appetitionibus paullo nobilioribus, in altera vita demum ſatiandis, deſumtum, paſſim, ſed non tam copioſe ut caetera, tractat. Trahere huc velim illa loca, in quibus de illa felicitate, ex conſuetudine et familiaritate, cum ſanctisſimis hominibus percipienda, loquitur: veluti in *Apolog.* S. XXXII. quem locum verbis *Ciceronis*, qui illum convertit, *Tuſc. Qu.* I, 41. hic ſcripſi: „*Sin vera ſunt quae dicuntur, migrationem eſſe mortem in eas oras, quas qui e vita exceſſerunt incolunt: id multo iam beatius eſt, te, cum ab iis, qui ſe iudicum numero haberi volunt, evaſeris, ad eos venire, qui vere Iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum: convenireque eos, qui iuſte et cum fide vixerint — ut vero colloqui cum Orpheo, Muſaeo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem aeſtimatis.*" Quibus verbis ſummum deſiderium verae ac ſtabilis felicitatis, in hac vita variis incommodis interceptae, in altera vero conſummandae, cf. S. XII. 126. *πολλὴ ἐλπὶς* etc. nec non ſumma cupiditas perfectae et abſolutae cognitionis, in colloquiis cum Orpheo, Muſaeo, conſequendae, continetur; quod et clarius Segm. XIII. innuit, quum gaudet, quod dilucidius omnia ſit intellecturus, p. 132. Haec argumenta eſſe veriſſima, et quae copioſisſime exponantur

nantur digniſſima, et rei ratio docet, et intelligi etiam poteſt ex loco laudato *phil. mor. Ven. Cruſii*, et additam. *Ebert.* ad VII. *Noct. Youngii* p. 260. In nonnullis de immortalitate animi dictis tandem *Plato*, ſuperbia et ambitione ductus, videtur hanc quaeſtionem tam acriter defendiſſe. Philoſophis enim tantum laudis tribuit, ut integros, ſcelerisque puros putet, v. c. *Segm.* 32. *Phaed.* 159. ὁι ὀρθῶς φιλόσοφοι, ἀπέχονται τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν etc. iisque ſolis locum in concilio deorum concedat; ut paullo ante hanc praeſtantiam iis aſſerit: quum contrà, et temperantes, et iuſtos, qui ἄνευ φιλοσοφίας καὶ νȣ͂, ſed conſuetudine, has virtutes conſecuti fuerint, redire iubeat in manſuetum genus vel apum, vel veſparum etc. Hic iterum incidit in errorem Pythagoricum de παλιγγενεσία et μετεμψυχώσει; et quanto ſublimius ferebatur *Plato* quaſi in auras, tanto profundius nunc cadit, et amore ſomniorum Pythagoricorum a vero aberrat. *Cicero* quidem aequior eſt *Platone;* ille enim omnibus, qui patriam conſervarint, adiuverint, auxerint, certum in coelo definitum locum, quo beati aevo ſempiterno fruantur, aſſignat: (*Somnio Scip.* III.) hic autem ſolos Philoſophos hoc honore dignos putat. In eo autem et errat *Cicero*, cum Platonicis et Stoicis, quod humanam naturam pluris, quam fas eſt, facit. „*Deum te igitur ſcito eſſe* — in *Somn. Scip.* VIII. E quibus intelligi poſſe puto, Philoſophos, vanitate et ſuperbia deceptos, ſibi maximam, aliis vero admodum parvam praeſtantiam poſt mortem tribuiſſe. Haec exprobravit et Philoſophis veteribus, *Bolingbrokius*, ſed non ex bona fide: ſententiam enim de animi ſimplicitate et immortalitate, originem ſuam ſuperbiae humanae debere, tradit; ſed, abducendo homines a nimia vanitate, dolo malo omnem religionem funditus evertere conatur, ut ſcite adnotavit *Ebert. V. C.* ad *Noct.* IV. p. 379.

Sed age nunc ad propoſitum veniamus, et potisſimam huius dialogi partem, quatenus ad rem noſtram facit, ordine

perſequamur. Socrates cum amicis ſuis in carcere paullo ante mortem de rebus gravisſimis diſſerens, inprimis profitetur, ſe nihil minus quam mortem timere; ſe ſperare enim, fore, ut ad deos, aliosque viros ſanctos ſit venturus, (S.VIII.) ut et in *Apologia* et *Critone*, ſic loquens inducitur. Docet deinde, totam Philoſophi vitam debere commentationem mortis eſſe, (S. XII.) eiusque animum, in corpore incluſum, ſemper eminere debere foras, et quam maxime ſe a corpore abſtrahere, nec dedere ſe voluptatibus, iisque obedire. Ne autem animus, earum quaſi miniſtrum ſe praebeat, philoſophiam dicit λύειν τὴν ψυχήν, (Seg. IX, et XXXIII, et XXXIV.) i. e. efficere et docere, quomodo mentem a contagione corporis ſevocemus, ne, perturbationibus paullo vehementioribus abrepta, veluti voluptate, moerore, ſe corpori quaſi emancipet, quibus ψυχὴν καταδεῖσθαι ὑπὸ σώματος (S. XXXIII.) ait: ὅτι ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὥσπερ ἧλον ἔχουσα, προσηλοῖ αὐτὴν, πρὸς τὸ σῶμα, καὶ προσπερονᾷ. Illa igitur λύσις, ſ. ſolutio, continetur praecipue in abſtractione animi a corpore, ut Plato ſe ipſe explicat S. IX. ὁ φιλόσοφος ἀπολύων ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας. — Haec praeclare quidem ex parte, quum dicit, philoſophi animum a perturbationibus liberum c. X, 123. et ψυχὴν καθ' αὑτὴν eſſe, nec corpori, eiusque voluptatibus dedere ſe debere: ſed quod ſimul contendit, σκέψιν δι' ὀμμάτων καὶ διὰ τῶν ὤτων καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων μεστὴν ἀπάτης eſſe, S. XXXIII. p. 170. ideoque ſenſus fallere, animumque, liberatum vinculis corporis, tum demum maxime idoneum eſſe inveſtigando vero, id minime probandum eſt. Erat enim demonſtrandum rationibus firmis atque idoneis, animum, amiſſo corpore, feliciorem eſſe: mors profecto humanae naturae non eſt propria, quod eam naturaliter averſamur, etſi ſanctus homo in beneficii loco eam ponat: philoſopho ſaltem, cum omni acie mentis ſuae, non certo conſtare poteſt, animum a corpore ſeiunctum notiones claras diſtinctasque habere poſſe Sed haec complexio neceſſario ex errore, corpus animi carcerem eſſe,

eſſe, emanabat. Atque his diſputatis, Socrates laetitiam, ex ſermonibus optimorum hominum poſt mortem capiendam, prodit; cuius dicta interpellans *Cebes*, an animus poſt mortem vivat, dubitat: veriſimilius enim eſſe, ait, illum diſſipari et in nihilum redigi. Nunc orditur Socrates diſputationem a traditione, ſive fabula antiqua, quam, auctore *Olympiodoro*, ad S. XV. *Orpheo* acceptam refert, cuius etiam verſiculos laudat: animos, migrantes εἰς ᾅδυ reverti, unde viventes ex mortuis effici colligit. Quod ut demonſtret, inductione, ut ſolet, utitur Socrates: (*Cic. de invent.* l. 31. et Olymp. S. XV. p. 115.) *omnia contraria fieri ex contrariis*, v. c. maius ex minori effici; pluribusque exemplis idem evincere tentat. Quibus praemiſſis, pergit, re paullo altius repetita, medium quoddam inter duo disiuncta inveſtigare: duas γενέσεις ἀπὸ μὲν τῦ ἑτέρυ ἐπὶ τὸ ἕτερον, ἀπὸ δ᾽ ἆυ ἑτέρυ πάλιν ἐπὶ τὸ ἕτερον, eſſe dicit, i. e. quomodo et qua ratione unum gignat alterum. Exempli loco laudat illud: μείζονος πράγματος καὶ ἐλάττονος μεταξὺ, ἄυξησις καὶ φθίσις. Ex quo exemplo intelligitur, quid ſibi velit Plato cum illis γενέσεσι: innuit, ut opinor, nihil aliud, quam viam atque rationem, qua contraria ex contrariis fieri gignique poſſint, ut et ex *Olympiodori* explicatione patet: ille enim ad S. XV. ſic: ἐκ τῶν γενέσεων ἀυτῶν καὶ τῶν ὁδῶν, ἐι γὰρ ἁι ὁδοὶ μεταβάλλυσι εἰς ἀλλήλας, ὂιον ἡ λέυκανσις ἐις τὴν μέλανσιν; πολλῷ μᾶλλον καὶ τὰ τέλη μεταβάλλυσιν ἐις τὰ ἄλληλα, ὂιον τὸ λευκὸν καὶ μέλαν. Concludit igitur, ut dicunt, a minori ad maius: dealbatio enim et denigratio, quae ſint ὁδοὶ ſive γενέσεις *albi* et *nigri*, quum mutationem mutuam ſubire poſſint; quanto magis τὰ τέλη, i. e. effecta, *album* et *nigrum* ipſum. Similis ratio eſt prioris exempli: γενέσεις τῦ μείζονος καὶ ἐλάττονος erant ἄυξησις et φθίσις: ratio enim atque via, qua maius ex eius contrario, minori, gigni efficique poterat, nulla alia quam ἄυξησις erat; niſi enim pauca ſive parva augentur, in aliquam inſignem magnitudinem excreſcere nequeunt, maiora autem neutiquam minora effici poſſunt, niſi φθίσει i. e. ſi quid

quid ab hac magnitudine demſeris. Hic, niſi fallor, ſenſus eſt huius ſubtilis enuntiationis. Iam progreditur ad inſtitutum ſuum: vitam atque mortem, duo disiuncta, eidem mutationi expoſita dicit; ex vivente fieri mortuum, et vice verſa. Ut ſe autem, ſequaceſque ſuos, ex illis tricis, quomodo fieri poſſent ex mortuis viventes, expediret, confugiendum illi erat ad inſtituta *Pythagorae*, *Orpheique*, animos eſſe ἐν ᾅδυ, indeque reverti, et migrare iterum in corpora: γενέσεις igitur quum indagat, alterius ὁδὸν eſſe dicit τὸ ἀποθνήσκειν; qua via inventa, alteram, niſi natura quaſi claudicare debeat, quod unam hanc exceptionem faciat, reſiduam eſſe γένεσιν ἐναντίαν τῷ ἀποθνήσκειν, nempe τὸ ἀναβιώσκεσθαι, reviviſcere; itaque reviviſcentiam rationem atque viam eſſe, qua fieri poſſint ex mortuis viventes, et τὸ ἀποθνήσκειν efficere ex viventibus mortuos. quod ut probaret, neceſſe eſſe dicit, animos mortuorum eſſε πυ. (S. XVI. extr.) Haec omnia tam certa eſſe credit Plato, ut, ſi omnia morti obnoxia, manerent ſic conſtituta, ut non reviviſcerent, neceſſe ſit πάντα τεθνάναι καὶ μηδὲν ζῆν. Sed haec argumentatio eo ſenſu, quo *Plato* eam accepit, nequaquam probabilis eſt: nam aliquid medium eſſe, (tertium dari vulgo aiunt,) quilibet intelligit. Non tam ad incitas redacti ſumus, ut, niſi his dictis aſſenſerimus, naturam rerum diſſolvi credamus. Quodſi et haec vera eſſe darentur, hanc mutationem tamen ab omni aeternitate fuiſſe, niſi quis ſibi ipſe repugnare velit, nunquam demonſtrari poſſet: ſeriem enim rerum finitarum infinitam ſtatuere, rationis legibus adverſatur; et ſi datur principium animorum, ut certe dandum eſt, numerus animorum ab initio admodum parvus fuerit, ut ex propagatione hominum liquet, e manuque Dei prodierint neceſſe eſt. Vnde igitur tam infinitus numerus animorum, qui nunquam fuit ab initio, in corpora illabi potuit? niſi animos aeternos, et infinitae multitudinis eſſe ſtatuas; quod eſſet abſurdum. Ex ſententia autem Socratis, prius ex aliis corporibus exceſſerunt, quam in alia redirent. Non autem muta-

mutationis eiusmodi principium ſtatuere, etiamſi illam fieri poſſe demus, eſſet, ut opinor, abſurdum. Quum igitur Socrates ſibi videtur probaſſe, ex mortuis fieri viventes; demonſtrare etiam tentat, animos, antequam in corpora detruſi fuerint, iam exſtitiſſe, ἐκ τȣ͂ τὰς μαθήσεις ἀναμνήσεις εἶναι, ut notat *Olympiodorus* ad S. XVIII. Sed idem et profitetur, nullam harum rationum probare animi immortalitatem; ideoque et alias propoſuiſſe. Sed quomodo ex reminiſcentia προϋπάρξις animi intelligi poſſit, ſic ſe habet. Principii loco ponit, omnem μάθησιν, ſive ἐπιςήμην, ut paullo poſt loquitur, eſſe ἀνάμνησιν, ut et in *Menone* contendit (p. 538. *ed. Baſ.* ἡ ψυχὴ ἀθάνατός τε ȣ͂σα, καὶ πολλάκις γεγονυῖα, καὶ ἑωρακυῖα, καὶ τὰ ἐνθάδε, καὶ τὰ ἐν ᾅδȣ καὶ πάντα χρήματα ȣ̓κ ἔςιν ὅτι ȣ̓ μεμάθηκεν etc. Si quis autem alicuius rei recordetur, illum oportere eam iam antea cognoviſſe; deinde, cum aliquid audierit aut viderit, non modo illud ipſum cognoſcere, ſed et aliud quiddam, cuius alia ſit ſcientia; quod ſic illuſtrat: etſi alia ſcientia ſit hominis, alia lyrae, tamen evenire poſſe, ut amantes, cum lyram, veſtem, aut aliud quid aſpexerint, ſimul mente formam puellae recolere poſſint; et hanc eſſe reminiſcentiam, ſive recordationem, eoque etiam res, quas oblivioni iam tradiderimus, pertinere. Recte. Quam reminiſcentiam, quum a ſimilibus, tum a diſſimilibus rebus provenire poſſe, eviciſſet exemplis, quaerit, an, cum alicui a ſimilibus redeat in mentem aliud, non neceſſe ſit inſuper conſiderare, an diſſimilitudo ſit in hoc ac illo, cuius repetita memoria eſt? Quo conceſſo, cognitionem τȣ͂ ἴσȣ ex eo nos conſequi docet, quum v. g. aequalia ſaxa conſpicati, cum illo ἴσῳ ſ. aequali, quod ab aequalibus rebus in rerum natura differre ait, compararemus. Aequales res igitur, quae quidem ſic videntur in rebus concretis, differre ait ab *aequali* quod notione abſtracta intelligitur: omnino res enim, quae ſpeciem aequitalitatis habeant, referri debere ad τὸ ἴσον, quod tanquam aliqua norma, ad quam res aequales exigi debeant, ſit conſiderandum. Aequales

autem res, quae accurate τῷ ἴσῳ reſpondeant, eſſe negat. (*S. XIX. p. 143.*) Antequam autem nati fuerimus, nos iam cognitionem τῦ ἴσυ habuiſſe: quod illa aequalia, quae ſenſibus perciperemus, ad illud ἴσον referremus, quamquam non ad eius (ſc. τῦ ἴσυ) perfectionem accederent: et non ſolum de aequali, ſed et de pulchro, bono, iuſto etc. nos praenotiones ante ortum noſtrum habuiſſe. Niſi animum oblivio rerum perceptarum caperet, doctos nos naſci potuiſſe; ſcientiam autem, ante quam naſceremur, amiſſam, poſteaquam ſenſibus uti externis poſſumus, iterum nos recuperare. Quare, cum ſcientiam nati non habuerimus, ſed antea; neceſſario ſequi, animos, priusquam corpora induerentur, ſeorſum a corporibus fuiſſe. Et hanc dimidiam demonſtrationis partem putat (S. XXIII.) Socrates, ſe quidem oſtendiſſe, animum, antequam naſceremur, exſtitiſſe; ſed reliqnum eſſe, ut eum et poſt mortem vivere evincat. Quod ſic effeciſſe putat: quodſi animus ante quam naſceremur fuit, et, poſteaquam ſe corpori iunxit, noſtram conſtituit naturam, neceſſe eſſe, cum non aliunde, quam ex mortuis proficiſci; liquere igitur, eum poſt mortem etiam manere, quum ad hanc vitam debeat reverti. Haec pluribus explicavimus, ut vis argumenti eo melius intelligi poſſit.

Sed hic vera falſis ſunt admixta, et quaedam admodum obſcura, quae, quantum potuimus, clariora reddere tentavimus. Quod attinet ad προύπαρξιν animi, neutiquam haec ſententia ferenda eſt. Nam primum ex hac ſententia animus vel aeternus ſit, quod legibus Metaphyſices repugnat; vel, quod infinitas in eum non cadit, originem ſuam alicui auctori ſummo debeat, neceſſe eſt: quod ſi ita eſt, ſit, ut, quod corpus neceſſariam hominis partem conſtituit, ille non extra corpus fuiſſe potuerit: illum autem non in alio corpore incluſum fuiſſe, repugnat ſibi vel propterea, quod animus perfectionibus eximiis inſtructus, quum e corpore exiret, in corpuſculo, in quod rediret, quaſi repueraſceret, et dein

iterum

Digitized by Google

iterum ſe fingeret formaretque. Quae omnia a vero abſona ſunt. Sed audiamus rationes, quibus id demonſtrari poſſe ſibi aliisque perſuaſit. Principii loco ponit, μάθησιν eſſe ἀνάμνησιν; quod minime eſt probabile. Nam etſi non abſurdum eſt dicere, notiones iam adeſſe in animo, easque legibus quibusdam excitari; longe probabilius tamen eſt ſtatuere, vim modo, facultatemque notionum percipiendarum, animo inditam eſſe (v. *Ven. Cruſ. Log.* S. LXXXIII.) Quare, ſi quam cognitionem rerum, non a doctrina aliorum profectam habemus; eam notionibus communibus, animo innatis et quaſi infixis, debemus. Illam autem non reminiſcentiam dici poſſe, facile intelligitur. Nam, ſi ita ad animum recurrunt ſimulacra priſtina rerum, ut ea iam eſſe olim obverſata animo agnoſcamus, tum demum reminiſci dicimur. Vim reminiſcentiae et certe Socrates iis rebus ſubiicit, quae, praeſentibus animo rerum imaginibus quibuscunque, recurrunt et redeunt ad animum, ſive ſint praeſentibus ſimiles, ſive minus: ſed ſubtilis illa diſputatio de *aequali*, cuius notionem iam antequam naſceremur nos dicit habuiſſe, quod res ſimiles ſive aequales ad hoc ἴσον referremus, inanis eſt. Nam quod inde probare tentat, nos, quod cum naſceremur, cognitionem τοῦ ἴσου non habuiſſemus, attamen omnia, ſenſibus inſtructi, ad illud ἴσον, tanquam normam, examinaremus ante ortum noſtrum exſtitiſſe hoc falſiſſimum eſt. Nos exigere non modo rerum aequalitatem, ſed et honeſtatem, pulchritudinem etc. ad notiones quasdam communes, quae nunquam fallunt, veriſſimum eſt: ſed inde non ſequitur, illas notiones, animumque ſimul, ante ortum noſtrum adfuiſſe. Alteram partem argumenti Socratici, animos poſt mortem immortales eſſe, quoniam praeexiſtentia animi nititur, nihil attinet refutare: priori enim argumento confutato, et eius altera pars ſponte ſua corruit.

Abſoluta et perfecta argumentatione, ab animi reminiſcentia ducta, quam, ut eam *Plato* propoſuit, *Cicero* ante oculos

oculos habuit, (*Caton. mai.* XXI.) aliam demonſtrandae immortalitatis animi viam Socrates aperit, eamque ex animi natura probatum ivit. Priusquam ipſam adgreditur argumentationem, aliquot praecepta praemittit, e quibus animi immortalitas probari poſſit. Ut igitur meticuloſis quibusdam, animum exeuntem corpore, a ventis paullo vehementius flantibus diſpergi credentibus, occurrat, Cebeti, puerum modo haec timere dicenti, reſpondet: χρὴ ἐπάδειν αὐτῷ ἑκάστης ἡμέρας, ἕως ἂν ἐξιάσηται. *Segm.* 24. Quo in loco liceat animadvertere, elegantiam τῦ ἐπάδειν, quo argumenta validiſſima, quod tanquam carmina nos incantent, nobisque aſſenſum quaſi extorqueant, ſignificare voluit. Mira eſt ſuavitas loquendi Socratis apud *Platonem* et *Xenophontem*, quum in rebus ſeriis exquiſitisſimis utitur tropis: veluti in *Memorabb. Socrat.* L. II. c. VI. ubi idem verbum elegantisſimum ἐπάδειν de amicorum conciliandorum modo, ut et θηρᾶν et alia, adhibet; ut ſcite monuerunt *Duumviri ſummi* GESNERVS ὁ μακαρίτης, et ERNESTI V. Cl. Socrates igitur ipſe ἐπωδὸς, rem illam difficillimam, illis opinatoribus ſive potius adverſariis dilucidam reddens, ante omnia inquirit in illas res, in quas illa diſſipatio ſ. τὸ διασκεδάννυσθαι cadat; et deinde quae vis et natura ſit animi noſtri conſiderat. Quod πάθος ſive affectionem, quum docuiſſet rebus concretis convenire, ἀξυνθέτοις vero neutiquam, quod uno eodemque modo ſe ſemper habeant; pergit deinde ad duplex rerum genus progredi, quarum alterum mutationem ſubire posſit, quod τὸ ὁρατὸν, alterum neutiquam, quod ἀειδὲς et ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχον dicit. Quae diſtinctio rerum in hoc univerſo, ſane non videtur ſatis eſſe ſubtilis: quum enim animum ἀειδῆ dicit, non videtur cogitaſſe de rebus coecis, et ab adſpectus iudicio remotis, quibus minime convenire videtur haec notio, κατὰ τὸ αὐτὸ ἔχον. Quis enim ignorat, aërem et aetherem etiam ἀειδές τι eſſe, et mutari tamen poſſe, nec ſemper per ſe manere? Quam dubitationem etiam in ſequentibus *Simmias* pro-

proponit, quum harmoniam etiam *ἀόρατόν τι*, lyram autem *ὁρατὸν* appellat: unde ex hac opinione animum harmoniam dici poſſe, ideoque eam prius, quamvis divinam, quam lyram interire, contendit. Viſibili igitur rerum generi adnumerat corpus, inviſibili autem animum, quem corpus ſocium quaſi ſibi aſſumere dicit, quod res, veluti viſu, auditu etc. intueatur: hac corporis contagione, animum ad ea, quae non ſemper eodem modo ſint, trahi, et in errorum tramites abduci; quoties vero animus per ſe ſcrutetur res, toties illum ſe conferre ad ſempiternum et aeternum. (cf. *Theaetet.* ſ. *de ſcientia* p. 86. ed. Baſ.) Notandus iterum hic eſt error *Platonis*, notionibus per ſenſus, in animo obverſantibus, illum ad errores abduci et perturbari: quae querela, quam *Plato* ſupra iam occentavit, eodem redit, ut ſupra monuimus, corpus potius obeſſe in cogitando menti, ideoque illam incluſam eſſe in corpore. Quum autem per ſe, ſine corporis adiumento, mens cogitet; ad illud purum, immortale, et eodem modo ſe habens, reverti, illamque affectionem *φρόνησιν* appellari. Adiungit denique (*Segm.* XXVIII.) animum corpori, ad obediendum ficto, praeſtare: *ὃ δοκεῖ σοι τὸ μὲν θεῖον, οἷον ἄρχειν τε καὶ ἡγεμονεύειν πεφυκέναι, τὸ δὲ θνητὸν ἄρχεσθαι καὶ δουλεύειν.* Arx igitur huius argumenti ſita eſt tribus *ἐπιχειρήμασι*, ut *Olympiodorus* ad S. XXVI. monet. Diviſa enim noſtra *συστάσει* in corpus et animum, et conſtitutis duobus rerum generibus, ut ſupra diximus, quaerit, corpusne an animus magis *τοῖς ἀδιαλύτοις* adnumeretur? quod quum animo tribuiſſet, tribus enuntiationibus, animum immortalem demonſtrari poſſe, dicit: quarum prior ex eius inviſibilitate, altera ex intelligentiae vi ſ. prudentia, tertia ex imperio in corpus, ducta eſt. Sed haec demonſtratio non invicta videtur. Animo quidem convenit *τὸ ἀόρατον*; ſed, quod a nullo cerni poteſt, non efficitur illum eſſe immortalem. Quot enim rebus inviſibilibus non conveniret immortalitas? Altera mentis proprietas *φρόνησις*, quam *Cicero* prudentiam vertit, (*Offic.* I, 43.) ſatis arguit, illam divinum

quid ſpirare, (*Tuſc.* I, 28. 29.) ita ut veteres, praeſertim *Stoici*, animum non tantum *divinae particulae auram* Horat. Sat. II. 2. ἀπόσπασμα quoddam deorum, ſive ut eam *Plato* multis in locis vocat, ἀπόσπασμα, τμῆμα, μέριον τῆς τȣ̃ παντὸς ψυχῆς; ſed et ipſum Deum vocarent v. c. in *Somnio* c. VIII. *Deum te igitur ſcito eſſe.* Plura huiusmodi nomina collegit *Lambin.* ad loc. *Horat. laud.* Sed ex ipſa hac praeſtantisſima animi virtute, per ſe immortalitas, ut opinor, evinci nequit. Cogitari enim poteſt, Deum, rem quamvis excellentisſimam, per ſummam illam potentiam, qua omnia a ſe condita deſtruere valet, iterum in nihilum redigere posſe. Sed, an e divina ſit ſapientia, eiusmodi facere, longe alia quaeſtio eſt, quae in indaganda hac re minime praetermitti debebat; et, ſi qua vis argumenti eſt in illa ratione pro noſtra re, illa non e φρονήσει, ſed e ſapientia divina ducenda eſt. Hanc argumentationem igitur potius imperfectam et nondum abſolutam dicam, ſatis ſuperque, philoſophiam veterum valde mancam eſſe, probantem. De imperio, quo mens corpus moderatur, eadem quae diximus valere videntur: quae omnia praeclare dicta, ſi invictis argumentis res demonſtrata eſt, in ſubſidium quaſi vocari posſunt. Non negandum eſt, animi praeſtantiam ſummam contineri illo imperio, quod nos Deo ſimiliores reddit, ut et innuunt ſacrae litterae, v. c. 1 Cor. XI, 7. ἀνὴρ — εἰκὼν καὶ δόξα Θεȣ̃ ὑπάρχων, ad quem locum *Beza: imago gloriae Dei, in quo nimirum elucet Dei maieſtas et imperium:* eiusmodi autem argumentandi ratio non rem ipſam conficit, ſed quaſi poſt principia collocanda eſt. Ex hiſce dictis colligit *Plato:* τῷ θεῷ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιαλύτῳ, ſimilem eſſe animum, *Segm.* 28. Unde quis opinari posſit, *Platonem* hiſce attributis animo humano ſimplicitatem, quam recentiores dicunt, tribuere; ſed id nobis longe ſecus videri, rationibus oſtendere conabimur. Primum enim veteres philoſophi, egregie pasſim de animo ſentientes, eius naturam, quam recentiores in immaterialitate, quam vulgo vocant, ponunt,

Digitized by Google

nunt, non tam accurate, ut noſtri homines, intellexiſſe videntur. Appellant animum quidem θεῖον, coeleſtem, *Cic. de Seneƈt.* 21. vim divinam mentis, *Tuſc.* I, 29. coeleſti ſemine oriundum, *Lucret. II.* 199. etc. ſed an *Plato*, quum eum vocat μονοειδῆ et ἀδιάλυτον, eius ſimplicitatem et immaterialitatem innuerit, valde dubium eſt. Etſi verbo μονοειδὴς in latina lingua vox *ſimplex* reſpondere videtur; tamen, ſi quid video, de rebus non ex diverſis generibus elementorum concretis adhibetur. *Cicero* quidem, qui a *Platone* fere totus pendet, et in libris philoſophicis eius ſtudia eſt aemulatus, τὸ μονοειδὲς vertit: *nihil in ſe habens admiſtum, diſpar ſui atque disſimile* (in *Cat. mai.* c. 21. vel *Tuſc.* I, 29. *nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.* Quibus ex locis facile quis adduci in eam ſententiam poſſit, ut *Ciceronem*, animo ſimplicitatem, ea vi, quam recentiores huic verbo ſubiiciunt, tribuiſſe putet; inprimis ſi ſequentia verba loci laudati, *quod cum ita ſit, certe nec ſecerni, nec dividi, nec diſtrahi poteſt, nec interire,* legat. Quin *Cicero* ipſe vocabulo *ſimplicis* utitur in *Catone* 21. „*cum ſimplex animi natura eſſet:* ſed hanc poteſtatem, quae vulgo huic verbo tribuitur, falſam eſſe, docuit *Vener. Erneſti* in *Clave Ciceron.* ſub hac voce, et ὡς ἐν παρόδῳ in *Init. doƈtr. ſolidioris Dialeƈt.* S. II. c. IV. p. 392. Veteres enim *ſimplex* opponunt *mixto*, et ex diverſis elementorum generibus concreto, ſive ei quod eſt ex pluribus diſparibus et diſſimilibus, non ei quod partes habet. Hoc ſenſu ſumendum apud *Virgil. Aen.* VI. v. 747. ubi animum Aetherium ſenſum, atque aurae ſimplicis ignem vocat. Si quis acriter ad ſententias veterum philoſophorum de animi natura intendit animum, illos ſic in diverſum trahi animadvertet, ut incertus quisque fiat longe incertior. Fuere enim, qui animum ignem, animamque, vel, ut paullo poſt loquitur *Cicero Tuſc. Qu.* I, 27. 29. eius naturam igneam et ſpirabilem putarent, ut ex loco *Virgiliano* intelligi poteſt. Alii aliam ſententiam habuere; ut auƈtores in diverſum abeuntes, tanquam in compendio exhibet *Cicero, Tuſc.* I, 9. 10. *Servius*

 qui-

Digitized by Google

quidem ad verba: *aurai ſimplicis ignem, ſenſualem* i. e. *Deum, per quod, quid ſit anima oſtendit.— Simplicis autem noſtri comparatione: qui conſtat de ligno et aere. Ille enim per ſe plenus eſt et aeternus, quia ſimplex. Omnia enim σύνθετα exitum ſortiuntur — unde et atomos, perpetuas dicunt, quia ſimplices ſunt, nec recipiunt ſectionem.* Sed haec vaga ſunt; quid enim ignis aeternus? Vocem ſimplex iungit *igni Servius*, cum proprie ad *auram* pertineat. Sed, ut opinor, *Servius* eandem vim verbo *ſimplicis* tribuit, quam antea propoſuimus: ignis licet hic mentis ſit aeternus, auctore *Servio*, materia tamen quaedam ſit neceſſe eſt, ſimplexque recte vocatur, quod non continetur diſparibus et diſſimilibus, niſi forte verbum *ignis* tropice ſumſit. *Ariſtoteles* quidem longe ſanius reliquis philoſophis: quintam enim quandam naturam induxit, a reliquis rerum naturis plane diverſam, nihil, ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum habentem; quam tamen non ſatis ſubtiliter definire poteſt. *Quintum genus adhibet*, ait *Cicero* (*Tuſc.* I, 10.) *vacans nomine: et ſic ipſum animum ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quaſi quandam continuatam motionem et perennem:* de quo verbo erudita eſt animadverſio in *Indice graeco-latino Ciceronis*, ubi docetur, *Ariſtotelem* vidiſſe, animi actiones eſſe eas, quae in materiam cadere non poſſint, nec ab ullo genere elementorum, quae quidem nobis nota ſint, proficiſci. Quam praeclare autem atque recte *Ariſtoteles* de mente ſenſiſſe videtur; tam abſurde contra ea, auctore *Cicerone Acad. Quaeſt.* L. I. c. 7. eius et ſiderum unam eandemque originem eſſe voluit. „Etenim quintam „illam naturam, ſive quintum genus elementorum ſingulare, „e quo eſſent aſtra, eſſe rebatur. quas qualitates reliquas quatuor uniusmodi, vel ut *Plato* noſter, μονοειδῆ et ſimplices eo ſenſu, quo diximus, nominavit. Sic aeri et lumini hoc ſenſu ſimplicitatem tribuere poſſumus eatenus, ut omnes huius materiae partes non diverſis elementorum generibus cernantur, ſed eiusdem ſint naturae, vid. *Vener. Cruſ. Metaphyſ. Segm.* 109. Quid igitur? aſtra et mentes eiusdem ſunt naturae,

Digitized by Google

turae, ut auctor nobis eſt *Ariſtoteles?* niſi forte aſtris haec praeſtantia tribui poteſt, ut praeterita teneant, futura provideant, et complecti poſſint praeſentia. Ad hanc ſententiam alluſiſſe videtur *Virgilius Aen.* VI. 747.

> — — purumque reliquit
> Aetherium ſenſum —

ad quem locum *Servius: ſiderum* πῦρ νοερόν. Omnino autem de hac *Ariſtotelis* opinione mentis eadem mihi dici videntur, quae *Lactantius* de eius ſententia de Deo dixit (I, 5.) „*Eum quid Deus ſit ignoraſſe, et in hac re ſecum non conveniſſe, imo repugnantia ſibi dixiſſe et ſenſiſſe.*

Ut autem, unde digreſſi ſumus, revertamur, *Plato* animum ſimilem eſſe dicit ἀδιαλύτῳ, quod *Olympiodorus* ad eundem locum explicat: ἀδιάλυτόν ἐςιν, ὡς μὴ ἐκ μερῶν συγκείμενον. Quae definitio ſi vera eſt, reſpondet hoc vocabulum voci *ſimplex*, quae rem, ut recentiores volunt, omnibus partibus carentem ſignificat: (*v. Erneſt. Init. doctr. ſolid. Met. Seg. 65. p. 209.*) ſed neſcio, an *Plato* non potius notionem, quam verbo ſimplicis ſupra ſubiecimus, huic vocabulo tribuerit: quo ſenſu aeri et lumini, quod nihil admixti et concreti habent, ſimplicitatem, ideoque ἀδιάλυτοι tribuimus. Ut enim hanc potius ſententiam ſequar, inclinat animus propterea, quod μονοειδεῖ et ἀδιαλύτῳ opponuntur τὸ πολυειδὲς et διαλυτὸν, quae verba ſignificatione non differunt, ut eorum disiuncta; tribuuntur enim uni eidemque rei. Ex dictis Platonis autem, hae enuntiationes derivari poſſunt: omne μονοειδὲς eſſe ἀδιάλυτον, contra vero omne πολυειδὲς διαλυτόν; quare ratio τοῦ διαλυτοῦ redditur, quod ſit ex diverſis elementorum generibus concretum, atque ſui diſpar; τὸ μονοειδὲς autem ἀδιάλυτον eſſe, quod uno et ſimplici elementorum genere conſtet, quinto nempe, ut *Ariſtoteli* placebat. Τῷ μονοειδεῖ igitur materia quaedam ſubiecta eſſe poteſt, minime vero ex diſparibus conſtans, ſed, ut noſtri loquun-

quuntur, *homogenea*, quod πολυειδὲς eſt concretum, et ex diſparibus generibus compoſitum. Ex his effici puto, e Platonicis his verbis neutiquam animi immaterialitatem elici poſſe: plerisque enim philoſophorum non repugnans fuiſſe videtur, materiae purae, ſ. μονοειδεῖ, vim memoriae, cogitationis etc. indi a Deo potuiſſe. Vniverſe autem monendum eſt, veteres in his atque ſimilibus rebus valde difficiles eſſe intellectu, nec ſibi ſemper conſtare, ut vel, praeter graecos philoſophos, lectio *Ciceronis* quemque docet.

His addimus locum, pro confirmanda noſtra opinione, de voce μονοειδοῦς, cui notionem ſimplicitatis, eo ſenſu quo recentiores ſumunt, ſubiectam negabamus, ex *Sympoſio*, idoneum, (p. 190. ed. Baſ.) ibi τὸ καλὸν, quod Socrates explicat, dicitur εἰλικρινὲς, καθαρὸν, ἄμικτον, ἀλλὰ μὴ ἀνάπλεων σαρκῶν τε ἀνθρωπίνων, καὶ ἄλλης πολλῆς φλυαρίας θνητῆς, ἀλλ' αὐτὸ τὸ θεῖον καλὸν — μονοειδὲς· unde ſatis intelligi poſſe puto, μονοειδὲς idem eſſe ac ἄμικτον et καθαρὸν, et disiunctum eſſe ἀνάπλεων σαρκῶν ἀνθρωπ. etc. quod ἄμικτον, ſ. quod non ex diverſis elementorum generibus concretum eſt, ad immaterialitatem rei cuiusdam probandam, ut ego quidem opinor, non ſolum facit; et, quod facile eſt ad intelligendum, ſane nulla indiget demonſtratione. Quae cum ita ſe habeant, plura addere nihil attinet; audiamus potius Socratem noſtrum diſſerentem, in quo verſabimur ita, ut, animadverſis iis, quae ad eius argumenta illuminanda pertineant, ſubinde grammaticas obſervationes admiſceamus.

Segmento XXIX. corpus, ait, celeriter diſſolvi, animum vero neutiquam; quamquam illud multum temporis durare poſſit: συμπεσὸν γὰρ καὶ ταριχευθὲν etc. i. e. corpus enim, *antea tumidum*, *viſceribus exſectis* conſidens et conditum, ut Aegyptii faciant; ὀλίγου ſc. δεῖν propemodum totum per longum temporis ſpatium manere, et putredine expers eſſe. Quem ſenſum verum eſſe puto; nec videre poſſum, quomo-

quomodo *Ficinus* τὸ συμπεσὸν vertere potuerit, *ſervatum:* cum τὸ συμπίπτειν de re tumida, quae conſidit, dicatur. Animum autem ſe conferre in locum purum, et ab omnium oculis remotum, εἰς ᾅδου, i. e. ut Poetae loquuntur, in campos Elyſios, ſive inſulas fortunatas. Ἅδην non modo locum tormentorum infernalium, ſed et purae beatitatis indicare, ſatis notum eſt. *Ioſephus* quidem et *Theodoretus*, ᾅδην omnibus hominibus tribuunt, impiis quidem σκοτεινὸν, piis autem φωτεινόν: unde in veteribus MSS. oratio dominica invenitur, πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν ᾅδῃ: v. *Colomeſ.* Κειμ. *litt.* p. 62. 63. In univerſum tenendum eſt, ᾅδην notare regnum Plutonis, Plutonemque ipſum, tanquam regem Manium, ditiſſimum bonorum optimorum largitorem. Unde et in *Cratylo* (p. 54.) propterea ſic dicitur; ᾅδην autem ἀπὸ τοῦ ἀειδοῦς, non vocari, ſed Plutonem; φοβούμενοι τὸ ὄνομα, πλούτωνα καλοῦσιν αὐτὸν — Eiusmodi animum *Socrates* ſic adumbrat, ut nihil commune cum corpore, i. e. voluptates, quibus corpori quis ſerviat, ſecum quaſi abſtrahat; (ἅτε τὲ οὐδὲν κοινωνοῦσα αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ ἑκοῦσα εἶναι —. τὲ εἶναι hic more Atticorum, praeſertim cum voci ἑκὼν iungitur, abundat; (ut praeter *Vigerum de Idiot. gr.* p. 187. et *Bachius* ad *Xenoph. Apol.* 106. monuit.) Illum, luce philoſophiae colluſtratum, ait, eiusmodi vitam ex praeceptis philoſophiae agere, quae ſit meditatio mortis. Quam praeclaram ſententiam, ut plurimas, *Cicero* (*Tuſc. Qu.* I. 30.) ante oculos habuit, et fere ad verbum convertit: „*Tota enim philoſophorum* (mallem ſcribere potuiſſet *chriſtianorum*) *vita commentatio mortis eſt.* Eiusmodi mentem contra ea, voluptatum delinimentis infucatam, et tanquam praeſtigiis obcoecatam, nec puram corpore excedentem, et, timore τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ ᾅδου retractam, circa monumenta et ſepulchra verſari. Quae opinio et *Philoni* Iudaeo, Platonicae ſapientiae maximo aemulo, pluriinisque Magiſtris Iudaicis, probata fuit, veluti *Iarchio;* qui eiusmodi ſpiritus vagantes inveniſſe ſibi viſi ſunt. *Pſ.* XCI, 6. Iudaei enim traduntur ſe intuliſſe monumentis, ut πνεῦμα ibi verſans, ipſorum corpori

pori immitteretur; Manes enim ibi degere credebant: eiusque rei veſtigia deprehendiſſe ſibi videntur Ieſ. LXV, 4. quod valde dubito. v. *Ven. Semmleri* comment. germ. de daem. Hal. 1752. in *Erneſtii Bibl. Theol.* T. III. pag. 784. recenſitam. Etſi haec ſententia fabuloſa videtur, Platonicamque, ut opinor, philoſophiam ſapit; aliquid veri tamen habere videtur. Daemonia enim ſacrae litterae tradunt habitare in ſepulchris, ut apparet ex Marc. V, 3. Sunt quidem, qui iſta δαιμόνια inventum paganorum philoſophorum, et hinc in ſcripturas ſacras traductum velint, ſcriptoresque ſacros erroribus ethnicorum ſe accommodaſſe, et in opinione de daemonibus ſ. Manibus, quos nocuiſſe hominibus illi crediderint; quorum ſententiae ego non ſubſcribo, poſtquam oculis meis videre didici. cf. *S. Deylingium* τὸν μακαρίτην P. II. Obſ. XXVIII. qui inſtar omnium eſſe poteſt. Ex quo fonte autem *Plato* hanc ſententiam hauſerit, ut ad rem noſtram redeamus, non ſatis certe definire audemus; niſi illam fortaſſe Pythagorae debet, qui ab Aegyptiis, ſive a Iudaeis, eam accepit: in quod vero inquirere, non eſt huius loci. Illos Manes, ſive humanos animos, Socrates dicit tam diu ubivis locorum errare, donec iterum aliquando corpori iungantur: illabi autem corporibus eiusmodi animalium, quae aliquam ſimilitudinem morum cum iis habeant. Itaque libidinoſos et guloſos in aſinos; tyrannos autem et iniuſtos, more rapacium luporum agentes ferenteſque, in lupos, accipitres, milvioſque ingredi iubet: quae omnia ex Pythagorae ratione eſſe ducta, nemo non intelligit. Si proni eſſemus ad fingendas allegorias, hoc ſermone crederemus adumbratos eſſe hominum mores, quos Pythagoraei his imaginibus beſtiarum illuſtrarint; quod vero ut ſequamur, non inclinat animus. Temperantes autem et iuſtos in corpuſcula apum ſeu veſparum minuta includit; quod paullo difficilius eſt intellectu: quare, pace lectorum, locum ipſum explicabimus. Vtramque virtutem, temperantiam et iuſtitiam, vocat δημοτικήν, et πολιτικήν; quod illa ſcilicet δημοτ. ſine ſtudio (ἄνευ φιλοσο-

λοσοφίας καὶ νȣ̃) quod iactant philoſophi, ab hominibus popularibus comparari poſſit, et haec, ſc. πολιτική, ſeu iuſtitia, in cauſſis rebusque civilibus cuique ius ſuum tribuat. Has binas virtutes aliis verbis, ſed eadem ſententia, in *Sympoſio* (p. 189.) exprimit, easque adminiſtrandarum civilium et domeſticarum rerum prudentia contineri ait. (ἡ περὶ τὰς τῶν πόλεων καὶ οἰκήσεων διακοσμήσεις; male legitur διακόσμησις, ſed eſt peccatum operarum; ᾗ ὄνομά ἐςι σωφροσύνη τε καὶ δικαιοσύνη.) Quemadmodum iuſtitiam vocat πολιτ. ἀρετήν; ita apes vocat γένος πολιτικόν; quod legenti mihi primum mirum videbatur. Sed poſtquam locus *Virgilii* in *Georgicis* (L. IIII, 1. ſſq.) ſuccurrit longe pulcherrimus, in quo de apibus ſic:

*Admiranda tibi levium ſpectacula rerum,*
*Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis*
*Mores et ſtudia et populos et proelia dicam —*

ſtatim cepi, quod illis animalculis mores, ſtudiaque polit. divinus poeta tribuit, cur apes in ζώοις πολιτικοῖς numerentur: ut ſimili modo *Ariſtoteles* eas (L. I. 1. H. A.) ita vocat. Itaque cum hac apum πολιτεία respublicae bene inſtitutarum urbium comparantur, quod ſapientiſſimae perhibentur; rempublicam habent, conſilia privatim ac duces gregatim: ceſſantium inertiam notant, caſtigant, mox et morte puniunt: ex aliis quoque ſaepe dimicant cauſſis, easque acies contrarias duo imperatores inſtruunt; ut paſſim loquitur *Plinius*, quem multa de apibus lectu digna animadvertentem, ſi lubet, conſule. (L. XI. 10. 11. 17. 18. ſq. cf. *Cerdam* ad loc. *Virg.* et Intt. ad. v. 155.) Ex quibus, ut credo, ſatis elucet, cur gens apum, ut eas *Virgilius* nominat, πολιτικὸν γένος appelletur, et cur temperantes et adminiſtrandae Reipublicae apti homines poſt mortem, in ſui ſimile genus redeant; ut ſupra rapacibus tyrannisque, lupos accipitresque, tanquam domicilium ſatis eorum naturae accommodatum, aſſignaverat. Quae fabula Platonica, ſive malis Pythagorica, forte plerisque Theologis paganis occaſionem vocandi

animos *μελίττας* dedit, quod iuſti moderatique in priori vita, apibus poſt mortem ſe iunxerint. Non minus notandum eſt, Lunam quoque vocatam *μέλισσαν*, quod immittat animas, ut e *Porphyrii* verbis de Nympharum antro conſtat: — *ψυχαῖς* — *ἃς ἰδίως μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν* — *σελήνην τε οὖσαν γενέσεως προστάτιδα* — Sed Porphyrius tradit, animos ob dulcedinem vitae ſic vocatos: quod in medio relinquimus. Haec pluribus apud *Voſſium* de *orig. et progr. idol* II, 443. diſputantur, qui locum *Porphyrii* non primus laudavit, ſed *Muretus* V. L. II, 20. apud *Grut. in Theſ.* T. II, 929. et *F. Urſinus*, notante *Reiskio* V. C. ad *Theocr. Idyll.* XV. T. II. p. 243.

Nunc pergit Socrates deſcribere mores philoſophorum verorum, quos dicit mentem, non autem corpus curare; (*ἀλλὰ μὴ σώματα πλάττοντες ζῶσι*) quae verba *Ficinus*, mea quidem ſententia, paullo obſcurius convertit ad verbum: *qui neque corpori fingendo vivunt.* Sed quid ſit *vivere corpori fingendo*, niſi ex contextis intelligas, ex hac verſione vix cognoſces. *σῶμα πλάττειν* eſt nimiam et paullo molliorem corporis curam habere, ut delicatuli elegantesque homines facere ſolent. Hanc formam ſic accipiendam eſſe, ex ſuperioribus liquet: antea enim dixerat, *ἐκεῖνοι οἷς τι μέλει τῆς αὐτῶν ψυχῆς.* Eadem fere loquendi forma utitur *Plutarchus*, de pueror. ed. IIII. *τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν τῶν τέκνων, ἀναγκαῖον ἐστιν, ἵνα ταῦτα ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται*, quae cura neceſſaria, nimia autem putida, quam Socrates ſugillat. Quemadmodum dicitur corpus *πλάττεσθαι*, ita et animus: latinique in ſimili re verbo *fingendi* utuntur, etiam de corpore, quod natura vel formoſum vel deforme fingit. *Corn.* Ageſ. VIII. ut omnes norunt. Iam conquerente illo, animum tam arctis vinculis corpori alligatum et quaſi agglutinatum eſſe, philoſophiae tribuit *λύσιν*, quae, retecta ſenſuum externorum ad verum cognoſcendum infirmitate, non modo animum conſolando foveat,

ſed

ſed et illum in ſe colligere, (αὐτὴν εἰς αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀθροίζεσθαι) abſque contagione cum corpore, vel, ut fere *Horatius* loquitur, ſua ſe virtute involvere iubeat. Eum hoc modo verum cognoſcere, et a voluptatibus immunem, venire ad divinam atque puram aliquam conſuetudinem. His praeclare diſputatis a Socrate, tamen adverſariis non facta eſt fides, animum eſſe immortalem; quapropter et graviter dolet, ſe arte vaticinandi inferiorem iis videri cygno, qui morti vicinus, prae gaudio vitae melioris conſequendae, canat. - Hanc de cygno fabulam *Ficinus* interpretatur allegorice, in argumento ad *Phaedon.* p. 488. *Pythagorice quidem, ubi dicit, cygni animam ſupervivere: allegorice vero intelligitur cygnum in numero ſolarium animalium contineri,* et Socratem ſolarem eſſe, tum quia Phoebi oraculo approbatus eſt, tum quia mentibus hominum medebatur.* Sed ne per ſomnium quidem cogitaſſe id *Platonem* puto: ſolent hoc facere nimii alicuius hominis admiratores, ut omnia vere et egregie dicta eſſe velint; ut praeſertim Stoici contorte et abſurde dicta de diis Homericis allegorice interpretabantur, ut recte dixiſſe videretur Poeta; (v. *Ern. ad Hom.* A. 390.) ita in bella explicatione rerum difficiliorum, inque nimia ſtultaque admiratione *Platonis*, *Ficinus* cedit nemini. Equidem hunc locum litteraliter interpretandum eſſe puto. Nam etſi cygni cantus antiquorum plurimis fabuloſus viſus eſt, v. c. *Aelian.* V. H. I, 14. et *Plinio* X, 23. aliiſque, quos laudare putidum foret; tamen a *Socrate*, vel potius *Platone*, hanc fabulam abſque credulitatis ſuſpicione commode ad rem praeſentem accommodari potuiſſe, mihi eſt perſuaſum. Illuſtrant enim quaedam apud philoſophos et oratores, veteres praecipue, etſi non probant ſubtiliter; et quaedam κατ' ἄνθρωπον ut aiunt, et non κατ' ἀλήθειαν, apte interdum dicuntur. *Cicero* quidem auctor ſatis locuples eſt, fabulis rem gravem illuſtrari poſſe: Mithridatem dicit ex regno ſuo profugiſſe, ut ex eodem Ponto Medeam, quam praedicant in fuga fratris ſui membra in iis locis, qua ſe parens perſequeretur,

diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, moerorque patrius celeritatem perſequendi retardaret. (*pro Lege Man. IX.*) Num credibile eſt, *Ciceronem* fabulam de Medea habuiſſe veram? Hunc locum et *Cicero* interpretatus eſt, (*Tuſc.* I,30.) ***ut cygni, qui non ſine cauſſa Apollini dicati ſunt, ſed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid in morte boni ſit, cum voluptate et cantu moriantur: ſic omnibus bonis et doctis eſſe faciendum.***

His dictis Socratis *Simmias* ſcrupulos movere tentat, et, cur ſibi allata argumenta non ſatisfaciant, diſputat. Univerſe recte monet, non fieri poſſe, vel valde difficile eſſe, ut claras et diſtinctas notiones quis in hac vita habeat: interim ſeligenda eſſe argumenta idonea. Tum dictis Socratis illudit, transferendo illa ad lyram et chordas et harmoniam, quam dicit ἀόρατόν τι καὶ θεῖον eſſe; et lyram chordasque, σῶμα et σωματοειδῆ. Argumentatur autem ita: (S. XXXVI.) Neceſſe eſſe, animum tanquam harmoniam, quae videlicet in conſenſione et commixtione frigidorum et calidorum, aridorum et humidorum contineatur, corpore immoderate laxato, aut a morbo intenſo, ſeu vexato, quamvis divinum, interire, veluti harmoniam: reliquias corporis autem diu manere. Formas loquendi de corpore *Plato* apte deſumſit de chordis, ὅταν χαλασθῇ τὸ σῶμα — ἢ ἐπιταθῇ ὑπὸ νοσων: χαλᾶν enim eſt laxare, et ἐπιτείνειν intendere chordas: dixerat autem antea, corpus comparari poſſe cum lyra chordisque, itaque eleganter has formas transfert ad corpus. Tum iubetur Cebes Simmiam refutare, ſententiamque ſuam dicere. Ille autem ſe nec Simmiae, nec Socrati, quamvis plurima divine diſſerenti, aſſentiri profitetur: in eo Simmiam erraſſe, animum citius corpore perire; illum admodum diu ſupereſſe, et multa corpora conterere, antequam eſſe deſinat. Simmiam vero ſic alia ſimilitudine iugulat: illum qui ex textoris mortui adhuc reſidua veſte velit colligere, animum eius πολυχρονιώτερον ſupereſſe, quum veſtis, tanquam

τὸ

τὸ ὀλιγοχρονιώτερον, ſuperſit; male ſtulteque diſputare. Argumentationem potius ſic eſſe inſtituendam: eiusmodi textorem, conterendis ac texendis pluribus veſtimentis poſteriorem, ultima vero texenda priorem obire; quippe cum veſtes antea contextas contriverit, extremam autem, paullo ante mortem confectam, neutiquam; ergo non poſſe ſupereſſe, ultima veſte non diſciſſa: ideo non ſequi, hominem eſſe viliorem veſtimentis, cum tandem aliquando prius obiiſſe dicatur corpore. Hanc ſimilitudinem transfert ad animum: hunc corpore diuturniorem, multa corpora, veluti textorem, conterere ſive deſtruere poſſe: quibus contritis fluxisque, animum ἀεὶ τὸ κατατριβόμενον ἀνυφαίνειν, i. e. iterum cum alio corpore coniungi, retexendo ſibi quaſi aliud veſtimentum: hanc autem migrationem animi, deſtructionemque corporum, non in infinitum fieri poſſe: ideo hac ſola ratione tandem aliquando animum citius corpore interire. Hanc bellam demonſtrationem evincere ſibi videtur ex animi defatigatione, per tot migrationes in alia corpora futura. Sed haec magis intricata quam vera eſſe, vix monere neceſſe eſt: apparet enim facile, Cebetem diu manſuros animos, ſemper, negare; ut poſtea cum eo Stoici fecerunt. (*Cic. Tuſc.* I. 32.) Etſi hic et alter male de animi natura diſputarunt; eorum tamen ſermonem idoneum, quem explicaremus, habuimus, partim ut locum paullo difficiliorem redderemus clariorem, partim etiam ut ſuavitatem ſubtilitatemque differendi Socraticam commendaremus, eoque plurimos ad elegantiam Platonis cognoſcendam inſtigaremus, eorumque animos acueremus. Varietas enim illa iucunda, quae dialogos condit, et lectores partim acutis dubitationibus confutationibusque moratur, ut obſervanda diſputantium vel imbecillitate et ſubtilitate, ingenium acuant, verumque, collatis inter ſe argumentationibus, inveſtigent, adſperſis ſubinde utilibus obſervationibus.

Quaeſtioni, quare philoſophi, an Theologi? animos *μελίττας* vocarint, auctore *Porphyrio*, et, hanc appellationem forte a Pythagorica et Platonica ratione ductam, iuſtis moderatisque impoſitam, quod ex mente diſputantis Socratis, apibus poſt mortem ſe iungerent, paulliſper, lecta nunc magni GESNERI de *Meliſſis* diſputatione, immorari, et quaedam ad hanc rem, attentione ſatis dignam, illuſtrandam, ulteriusque inveſtigandam, pace lectorum, adiicere nobis liceat. Apes imaginem eſſe hominum praecipue iuſtorum et temperantium, ex *Phaedonis* noſtri loco, cum *Virgiliano* (L. IIII. Georg.) conferendo, patet; (S. 31.) cum eiusmodi homines apibus iungi dicit, quas *πολιτικὸν* et *ἥμερον γένος* vocat: quae coniunctio, quam fingamus veram eſſe, niſi eſſet ſimilitudo quaedam naturae apum cum iis, neutiquam locum habere poſſet. *Porphyrius*, in illa antri Ithacenſis deſcriptione, (Od. N. 102.) Nymphis, animas humanas, e coelo deſcendentes, ad generationem et corpora adſumenda, innui putat: et hanc illis voluptatem eſſe, ita delabi ad generationem, *τέρψιν ἦναι αὐταῖς τὴν εἰς γένεσιν πτῶσιν* p. 117.) Qua ratione locum Homericum interpretari potuerit allegorice *Porphyrius*, non difficile eſt intellectu, qui conſuetudinem doctorum, ubique opinionem inventam, ſibique arridentem, accommodantium recordetur: cur vero Nymphas animos e coelo delabentes putarit, paullo obſcurius videtur. Mihi quidem *Porphyrius* videtur ex varia vocis Nymphae poteſtate hic philoſophari. Nymphae enim dicuntur apes, quamprimum formam coeperunt habere, ut ait *Plinius* H. N. XI. 16. cum quo *Heſychius* facit: *νύμφαι — οἱ σκώληκες οἱ πτεροφυοῦντες, οἱ ἐν τοῖς τῶν μελισσῶν κυττάροις*, vermiculi qui plumeſcunt, inque apum loculamentis ſunt: apes enim, ut idem *Plinius* docet, gallinarum more incubant, et vermiculos creant; (etſi, quomodo foetus apum progeneretur, magna et ſubtilis inter eruditos quaeſtio fuit, ut intelligi poteſt ex *Virg.* IIII. Georg. 200. 281. ſq. *Plin.* l. c. *Ovidioque* Faſt. I, 376.) unde *Servius* ad v. 309. *Virg.*

— *Viſen-*

— *Viſenda modis animalia miris,*
*Trunca pedum primo*

adnotat: „*et quod ex cadavere naſcuntur animalia* (quae ſententia hodie exploſa eſt,) *et quod apes ex vermibus procreantur.* Ad quam opinionem veterum *Heſychium* reſpexiſſe puto. Porphyrius ipſe apes et favos, Nympharum ſymbolum dicit, ut ex eo notat *Voſſius* L. V. de phyſiol. chriſt. et Theologia Gent. p. 606. praeterea apes apud *Homerum* l. c. in illo antro mellificant; nonne videri poteſt, Porphyrium propterea, quod veteres animos μελίσσας vocarint, et nymphae vocabulum apem ſignificet, has Nymphas Homericas μελίσσας, i. e. animos humanos habuiſſe? Sed, quod haec res, ut e diſputatione ſupra laudata videmus, in *comment. Soc. Goetting.* qui nobis non ſunt ad manum, pluribus eſt expoſita, nihil opus, poſt tot tantosque labores, in hanc rem inquirere: hoc modo ex *Porphyrio* addamus, haec animalcula puritatis, ſanctitatis, et temperantiae habere imaginem, etenim

— *nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes*
*In Venerem ſolvunt;*

nec omnes animas, ad generationem properantes, μελίσσας vocari, ſed eas, quae cum iuſtitia victurae, et, peractis iis, quae diis placerent, ad illos ſint rediturae: quae omnia cum noſtro Platonis loco pulchre conveniunt; temperantes enim iuſtique viri, qui ex *Porphyrii* mente ſunt μέλισσαι, remeare in apes (S. 31.) dicuntur. Sed, his miſſis, rem ante propoſitam ulterius explicare pergamus.

Finita hac *Cebetis* diſputatiuncula, quam paullo ante explicavimus, *Echecrates*, ex hac variorum varia de immortalitate animi opinione, fere fluctuans, animoque pendens, id ſolum quaerit, Socratesne ſatis animo leni et tranquillo, an perturbato defenderit ſuam rationem, quaſi pro rei vel probabilitate, vel reprobatione, aliquid inde elicere poſſet;

poſſet; et a *Phaedone*, eius ſuavitatem et tranquillitatem animi obſervante, confirmatur et erigitur, praecipue commemoranda eius ratione, qua ſuperiori ſermone a ſe fugatos victosque ad conſiderandam hanc rem iterum inſtigaverit. Quo in loco (S. 38.) notanda eſt forma: ἴσως οὐδὲν ἄτοπον i. e. θαυμαστόν. *Heſych.* enim: Ἄτοπος, παράδοξος λόγος, ἢ θαυμαστός. et *Thomas Mag.* Ἄτοπον οὐ μόνον τὸ ἄλογον, ἀλλὰ καὶ τὸ θαυμαστόν. πλάτων ἐν Φαίδωνι· ὡς ἄτοπον, ὦ ἄνδρες. Locus eſt c. 3. Narrat igitur *Phaedo*, Socratem ad ſe dixiſſe: Αὔριον ἴσως τὰς καλὰς ταύτας κόμας ἀποκερῇ, i. e. cras hanc tuam pulchram comam tibimet ipſe tondebis: medium neceſſario h. l. ex legibus *Kuſteri* τοῦ πάνυ, locum habebat; v. de V.M. p. 14. ed. *Fiſch.* quibus verbis luctum indicare voluit, non illum quidem, quem ſine dubio *Phaedo* ex morte magiſtri ſui timet; (ἔοικεν — ὦ σώκρατες) ſed cui uterque, cum ratio bona ſibi interierit, ſit expoſitus; (ἐάνπερ γε ἡμῶν ὁ λόγος etc.) alium enim luctum non verendum eſſe, ſi argumentis fidem habeat. Graecos, ingenuos ſcilicet, in rebus laetis comam aluiſſe, in triſtibus vero totondiſſe, vel notum ex *Pfeif. G. A.* p. 734. quod vero de illa raſura, qua quis ſibi ipſe crines amputabat, intelligendum videtur: qui enim tonſori operam dabant, non in luctu conſtituti, ſed omnibus voluptatibus et laetitia affluentes erant, ut didici ex *Kirchm. de funer. R.* L. II. p. 209. Quam imperterrita et firma mens Socratis fuerit, elucet ex eo loco, quo amicos, ſub finem vitae ſuae valde plorantes, increpat: ſe ideo dimiſiſſe mulieres, ne eiusmodi quid illis accideret: ſe audiviſſe, ὅτι ἐν εὐφημίᾳ χρὴ τελευτᾶν, i. e. bona verba, laetam aliquam acclamationem in alicuius morte eſſe dicendam. quae ſententia Pythagoraeorum fuit, notante *Olympiodoro.* (ad S. 66.) Forma deſumta eſt a ſacrificiis: in rebus enim divinis, quae publice fiebant, a praecone imperabatur, ut faverent linguis, ſ. bona verba dicerent, (quod eſt εὐφημεῖν) vid. praeter Lamb. ad Hor. III. 1. *Briſſon.* de form. I, p. 8. ſq. Socrates, ut perſequamur deinceps eius orationem, ſuadet Phaedoni, ut niſi illum

Digitized by Google

lum fugiat ratio, more Argivorum iuret, ſe non prius comam nutriturum, quam Simmiam et Cebetem vicerit. Notandum hoc loco, *Ficinum* non legiſſe καὶ με διαφ. — ſed ἐμὲ vel μὲ, vertit enim, *ac me fugeret ratio*; ut etiam inveni in *Baſ. ed.* apud *Henr. Petri:* καί μὲ διαφ. ὁ λόγος: quam lectionem diſcrepantem a recepta notare omiſit diligentiſſimus *Fiſcherus*, V. C. mihi tamen lectio Fiſcheriana contextui accommodatior videtur, et facile incuria librariorum ex μὴ fecit μέ. Quodſi enim ratione, i. e. notionibus claris, ſubtilibus, animoque ipſi infixis, adeoque verisſimis, deſtitutus fuiſſet Phaedo, nullo modo, ut auctor ſuaſorque illi fuerat Socrates, Cebetem et Simmiam, in alia omnia abeuntes, diſputando vincere poterat. Ceterum, alludit Socrates ad factum Argivorum, cum Lacedaemoniis de agro Thyrea certantium, quod apud *Herodot.* I, 82. legimus relatum, et quod, loci huius illuſtrandi cauſſa, ſtrictim huc poſuimus. Lacedaemonii, contendentes cum Argivis de hoc agro, eum, etſi Argolicae terrae partem, tamen interceptum in ſua tenent poteſtate: ventum eſt ab utrisque in colloquium, nolentibus Argivis terrae ſuae partem alieno relinquere: ſpondent, ut dimicent triceni, qui vincant, eorum ſit ager: delecti viri utrinque manus conſerunt: binis his partibus proelium eſt anceps, tribus ex ſexcentis ſuperſtitibus, duobus Argivis, uno Spartano: concurritur denuo, at Lacedaemonii vincunt: quo detrimento Argivi, detonſa coma, *) legem ferunt, ne prius alant comam, neve mulieres auro ſe ornent ante, quam recuperaſſent Thyreas. Et haec quidem hactenus. Ad hoc Socratis conſilium Phaedo nunc reſpondet: πρὸς δύο οὐδ᾽ ἡρακλῆς λέγεται οἷος εἶναι; at Socrates contra: ἀλλὰ καὶ ἐμὲ τὸν Ἰόλεων παρακάλει, ἕως ἔτι φῶς ἐστι: ille tandem, παρακαλῶ οὐχ ὡς ἡρακλῆς, ἀλλ᾽ ὡς Ἰόλεως τὸν ἡρακλῆ; quos

*) κατακειράμενοι τὰς κεφαλάς, eadem, ut Noſter, forma media, in ſimili re, utitur.

fluctuationem praecipue ii, qui repugnantes rationes ament, et ſibi ſolis ſapientiae laudem tribuant, nec in rebus, nec in rationibus firmum quid habeant, ſed tanquam in Euripo ſurſum deorſumque iactentur, nec ullum tempus in aliquo firmiter maneant. Vt igitur ſint boni viri, etſi μισάνθρωποι illos eſſe negent; ita et eſſe, ut tacite innuit Socrates, firmas rationes: quamquam, quemadmodum ſint multi deceptores malique, et multae infirmae rationes ſint, propterea vero non omnem e medio tollendam eſſe veritatem, cum comprehenſio ſ. perceptio, hodie demonſtrationem vocant, non in omnes res cadat: multa eſſe ſpecioſa et fallacia argumenta, quae niſi quis dignoſcere poſſit a firmis et invictis rationibus, ideo non efficiant nihil percipi poſſe; culpam potius huius inſipientiae conferendam eſſe in ignorantiam hominum, non autem in rationes ipſas. Haec, ut opinor, eſt vis comparationis, et ſenſus loci. Variant libri et hoc in loco: alii enim οἱ περὶ τοὺς αἰτιολόγους λόγους, ut in Baſ. 2. et Fiſcheriana: ſed Ald. Baſ. 1. Turneb. et Ficini libri αἰτιολογικούς, ut notat *Fiſcherus*; ſed, pace *Viri clar.* *Ficini* auctoritas pro hac lectione nulla eſt vertit enim: qui plurimum contradictorias rationes agitant; ergo in libro ſuo habuit ἀντιλογικούς, ut Stephanus in margine poſuit, et quam lectionem ſine dubio probavit *Ficinus*, quod, ut mihi videtur, contextui eſt accommodata. Vituperat enim Socrates illos ſine dubio, qui τέχνην ἀντιλογικὴν ſectantur, quos paſſim carpſit, v. c. in Sophiſt. p. 102. τὸ τῆς ἀντιλογικῆς τέχνης, ἆρ᾽ οὐκ ἐν κεφαλαίῳ περὶ πάντων πρὸς ἀμφισβήτησιν ἱκανή τις δύναμις ἔοικεν εἶναι, et in *Phaedro* p. 208. adverſarios docet repugnare omnibus, ut iuſtum iniuſtum, et vice verſa reddere poſſint: et hanc artem ἀντιλογικὴν non modo verſari in iudiciis et concionibus, verum in omnibus quae dicantur etc. Eiusmodi homines, qui in omnibus repugnant, ſolent plerumque eſſe Sceptici, nihilque percipi poſſe dicunt: ſive ut Noſter ait: οἴονται ὅτι οὔτε τῶν πραγμάτων οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδὲ βέβαιον, οὔτε τῶν λόγων etc. et tam inſtabiles ſunt, veluti

*Euripus*

*Euripus undas flectit inſtabilis vagas*
*Septemque curſus flectit; et totidem refert*
*Dum laſſa Titan mergit Oceano iuga.*

Utinam nonnulli hominum noſtrorum, qui omnem veri ſenſum dubium reddunt, deque rebus graviſſimis, in Theologia praecipue, ambigunt, haec ſapienter dicta legerent, virumque longe ſe ſapientiorem audirent, quam homunculos ſui ſimiles, i. e. a vera ſapientia alienos, nihil amplius quam levia effutientes dicta, imperitiae ſummae teſtimonia certiſſima! His dicta Socratis (S. 40.) ſucclamabimus: *non perſuadeamus nobis, nihil firmi ſanique eſſe in rationibus; ſed nos potius non ſanos eſſe* —

His cautionibus praemiſſis, Socrates rationem reddit, cur tanta contentione et pertinacia contra hos adverſarios, nec more philoſophorum, ſed indoctorum diſſerat, qui ſemel poſitam aliquam ſententiam magno ſtudio nitantur aliis perſuadere: illud modo inter ſe illosque intereſſe, quod non aliis, ſed ſibimet ipſi hanc ſententiam probet, et, ſi haec vera ſint quae dicantur, pulchrum eſſe aſſentiri; ſin vero animus poſt mortem non ſuperſit, hunc ſuum errorem tamen aliquid boni parere eo, quod amicis non moleſtus ſit querelis et luctu, in quem, abſque hoc errore, alias incidere potuiſſet. Quam incerti ſubinde veteres in clariſſima luce, et pulcherrimis de immortalitate animi dictis fuerint, et hic intelligi poteſt; quam animi fluctuationem in *Apologia* (32. S.) et cum eo *Cicero*, qui fere in rebus philoſophicis totus a *Platone* pendet, prodit: v. c. c. 23. in *Cat. quodſi in hoc erro, quod animos hominum immortales eſſe credam, lubenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.* Interim, Socrates hanc ignorantiam non perpetuam fore, ſed paullo poſt deletum iri, quaſi eo animum erigens, credit. Fiſcheriana Phaedonis editio hic iterum

rum differt a Baſ. 2. *Ficinique* libris, habet enim, καινὸν γαρ ἦν; at Baſ. habet κακὸν γαρ ἦν, et ſic *Ficinus* vertit: *malum enim eſſet:* quae lectio cur, absque ratione in notis reddita, ſit repudiata, non video; varietas ſaltem indicari debebat cum cauſſa huius mutationis; τὸ καινόν, ut lubens profiteor, mihi eſt ſuſpectum.

In tanta huius rei ambiguitate, melius tutiusque tamen Socrates eſſe arbitratur, τὸ πεισθῆναι ſ. aſſenſum praebere his dictis; quod argumentum, a tuto ut dicunt deſumtum, magnam vim in animos hominum habet. Vacillant interdum ſubtiliſſimi veterum philoſophorum, cum certos ſuis diſputationibus volunt reddere dubios, ut non raro aliquis queratur:

*incertior ſum multo, quam dudum;*

quod in ſuperioribus etiam variis in locis deprehendimus: nec aliter in tam ſubtili gravique re fieri poteſt. In hac autem diſputatione tam prudenter partes ſuas agit Socrates, ut dociles, ſuo ipſius exemplo, demonſtranda tranquillitate animi ſua in re graviſſima, inſtruat, et tranquillos animo reddere poſſit. Fingit enim Socrates, (S. 40.) ſi vera ſint quae dicantur, pulchrum, immo operae pretium eſſe, iis aſſentiri, quippe cum hac opinione ſpes dulcisſima futurae felicitatis nos alat; ſin vero morte ſenſus exſtinguatur, ut fingit, nihil ait detrimenti ſe capere defendenda animi immortalitate, contra ea lucri plurimum habere, cum fletu luctuque ſuis non ſit moleſtus: inſuper eiusmodi ignorantiam futurae alicuius ſortis non haeſuram ſemper in animo, ſed ablatum iri; ſecus autem eſſe apud eos, qui impugnent hanc opinionem, ut tacite innuere videtur, illi enim impugnanda aliqua re gravi, plurimum damni habent. Multo copioſius hunc locum illuminavit in Apolog. 32. qui ob pulchritudinem converſus a *Cic.* in Tuſc. Qu. I, 41. *Neceſſe eſt, ſit alterum de duobus: ut aut ſenſus omnino mors auferat, aut in alium quendam locum*

*ex*

*ex his locis morte migretur; quamobrem, ſive ſenſus exſtinguitur, morsque ei ſomno ſimilis eſt — dii boni! quid lucri eſt emori? ſin vera ſunt quae dicuntur, migrationem eſſe mortem in eas oras, quas, qui e vita exceſſerunt, incolunt; id multo iam beatius, te, cum ab iis, qui ſe iudicum numero haberi volunt, evaſeris, ad eos venire, qui vere iudices appellantur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum* — Tutum igitur omni modo, egregie diſſerit Socrates immortalitatem animi ſtatuere, nihil perdimus ſi ſenſus exſtinguantur, contra vero lucramur; *quid lucri enim eſt emori?* permultum autem lucramur, ſin vera ſunt quae dicuntur: *quid enim beatius?* Etſi hic locus non ſatis copioſe eſt expoſitus, quod non fieri propter cognitionem tenuem veterum in eiusmodi rebus poterat; (cf. S. 35.) mirandum tamen eſt, illos tam probabiliter ſubinde de hac re diſſeruiſſe. Quodſi enim convertatur haec diſputatio ad eos, quibus haec vana ac ridicula videntur, detrimentum, quod ex negata tam gravi re caperent eiusmodi male feriati homines, pluribus explicari, resque maioris momenti fieri poterat. Tetigit quidem antea hanc rem, cum monet, operam dandam, ut mens ſana fiat, propter reliquam vitam agendam, (S. 40.) quae conſiderando huius vitae conſilio, alteriusque praemiis vel poenis, nos manentibus, quietior fluat; ſed tribus modo (cf. S. 30.) Dubius etiam interdum videtur Socrates, an melius ſit mori, et inde immortalitatem conſequi, nec ne? v. c. in fine *Apolog.* 33. *Tempus eſt iam hinc abire me, ut moriar, vos, ut vitam agatis: utrum autem ſit melius, dii immortales ſciunt: hominem quidem ſcire arbitror neminem: Cicero* vero notat l. l. *etſi quod praeter deos negat ſcire quemquam*, id ſcit ipſe, utrum melius ſit; nam dixit ante: ſed ſuum illud nihil ut affirmet, tenet ad extremum. cf. Acad. qu. I, 4.

Ex tota deſcriptione vitae *Socratis*, in qua finem vitae bene tranſegit, ſi vera ſunt omnia, quae *Plato Xenophonque* tradunt, perſuaſum mihi eſt, eum ſumma de immortali

animo

animi perſuaſione ex hac vita diſcesſiſſe, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Nemo recentiorum, puto, hoc argumentum a tuto melius contra religionis irriſores et ἐμπαικτας huius aetatis maiori arte et ſollertia adhibuit, quam *Dittonus*, in egregio libro *de ver. rel. Chr. ex reſ. Chriſti*, P. I, c. 5, ſq. ut *Moshemius in diſſ. de vi arg. quod a tuto ducitur*, notavit.

Etſi Socrates admodum tenues ſcrupulos, quos Simmias et Cebes illi moverant, aſpernari potuiſſet; omni ſtudio tamen illos eximere iis tentat. Si videatur illis vera dixiſſe, aut aſſentiantur; ſin minus, repugnent et obnitantur: ſed ſedulo caveant, ne, dum annitatur ſeipſum illosque decipere, velut apes, aculeo in illis relicto, abeat. Ἐξαπατᾷν h. l. eleganter dictum pro argumentis elegantibus, nos quaſi capientibus et ſeducentibus, aliquem ad ſuas partes trahere. Latet hic venuſta εἰρωνεία, qua ſolet uti Socrates, ut *Platonis Xenophontis*que lectoribus notum eſt: v. c. Mem. II, 6. ubi pro *laudare* adhibet κατηγορεῖν, διαβάλλειν, κατειπεῖν. Non enim in eo erat, (moriturus enim erat, quo tempore nemo ſapiens aliis falſa, nedum ſibi ipſi perſuadet,) ut alios diſputando vinceret, ſaepius enim id fecerat, idque nemini non erat notum; ſed ut ipſe in dictis ſuis acquieſcere, et ἐν εὐφημίᾳ migrare ex hac vita poſſet, ut antea diſertis verbis, ὅπως αὐτῷ ἐμοὶ ὅτι μάλιστα δόξει οὕτως ἔχειν S. 40. Fornam τὸ κέντρον ἐγκαταλιπεῖν imitatus *Cic.* v. c. de Orat. III. 34. de Pericle: ut in eorum mentibus, qui audiſſent, quaſi quosdam aculeos relinqueret. Haec hactenus.

## *MÉLANGES DE PHILOSOPHIE ET DE Mathématique etc.*

id eſt:

***MISCEL-***

## *MISCELLANEA PHILOSOPHICA ET MATHEmatica, Societatis regiae Taurinenſis, ad annos 1760. usque ad 1761.*

Auguſtae Taurinorum, e Typogr. regia, quaternis, c. tabb. aen. quamplurimis

Secundus Miſcellaneorum philoſophico mathematicorum Tomus hic, continet ſequentia, quae ad Philoſophiam pertinent, capita: 1) *Alberti Halleri* emendationes et auctaria ad ſtirpium Helveticarum hiſtoriam. 2) *Caroli Allioni* ſynopſin methodicam ſtirpium horti Taurinenſis. 3) *Iohannis Franciſci Cigna* de motibus electricis experimentum. Cum Florentini Academici, Boyleus, Hauksbeus, Nolletus, ac alii praeſtantisſimi Phyſici, in definienda quaeſtione, num aer ad motus electricos ciendos ſit neceſſarius, et quantum eius actio ad illos producendos conferat? multum deſudarint: clariſſimus tandem Beccarius, novis, iisque ingenioſe excogitatis experimentis, demonſtravit, electricos motus in vacuo accurato penitus extingui, in rariori autem ita languere, ut eorundem alacritas pro ratione ſubducti aeris imminuatur. Demonſtrata igitur ad motus electricos aeris neceſſitate, illud quaeri adhuc poſſe videbatur, id ne vi eius coercendi, an alii proprietati ſit adſcribendum? ad cuius quaeſtionis definitionem viam ineundam praeſcribit Auctor clarisſimus, eamque experimento illuſtrat. 4) *Iohannis Baptiſtae Gaber* experimentorum de putrefactione humorum animalium ſpecimen ſecundum, in quo praecipue agitur de ſedimento ſeri purulento, ac membrana pleuritica. Nullius humoris origo et natura aeque dubia eſt et incerta, ac puris. Nam cum leni foetore, aliisque quibusdam notis, cum corruptis humoribus convenit, et blanda tamen, miti, ac fere balſamica quadam indole, ab iisdem longiſſime differt, et craſſitie, denſitate, albedine, peculiarem corrupti humoris ſpeciem exhibet. Quare id vitae et vitalis actionis productum, Medici ac Chirurgi plerique conſtituerunt; quod nullibi, extra corpus natura vel arte paratum, huiusmodi humorem repeiſſent. Tandem

M cele-

celeberrimus *Pringle* veram huius humoris originem et geneſin invenit, animadvertitque, absque ulla vitae actione, digeſtum ſerum ſedimentum deponere, quod veri puris ſpeciem omnino prae ſe ferat. Hoc inventum clariſsimus *Gaber* illuſtrat multis experimentis, atque illud exornando, nonnulla circa pleuriticam cruſtam experimenta proponit. 5) Meditationes, illuſtrandis iis, quae de fluido elaſtico pulveris pyrii ſeu tormentarii, Volumine primo, propoſuit Comes illuſtr. *de Saluce*. Conſtant hac meditationes quinque capitibus, in quibus potiſſimum *Muſchenbrockii* et *Bernullii*, virorum clariſſimorum, obiectiones contra theoriam phyſico-chymicam, Tomo primo deſcriptam, uberius examinantur. Ea occaſione Comes illuſtr. curioſa experimenta, actionem aeris in pulverem tormentarium, propagationem eius, inflammationem, atque diſploſionem concernentia, proponit. Capite ſecundo de neceſſario, ad inflammandum pulverem iſtum, ignis calore, tam in pleno, quam in vacuo, diſſerit Auctor, ac pro diverſitate pulveris pyrii, diverſum ad id neceſſarium ignis gradum demonſtrat. Capite tertio quantitatem fluidi eiusmodi, ex diverſa quantitate pulveris eiusdem pyrii ortam, definit. Capite quarto proponit ingenioſisſimam methodum, eamque pulchre explicat, qua uſus eſt ad metiendam caloris intenſitatem, ex diverſa quantitate pulveris, tam in pleno, quam in vacuo, producti. Qua occaſione de vaporibus ſulphureis, pulveris pyrii, fomitum, candelarumque accenſarum, docte atque intelligenter diſſerit. Capite quinto indolem, effectus, atque uſum pulveris pyrii, in cuius compoſitionem ſulphur non ingreditur, copioſe examinat. Multa in his meditationibus ſingularia, cognitu non utilia ſolum, ſed iucunda etiam, occurrunt. 6) *Iohannes Franciſcus Cigna* de frigore ex evaporatione, et affinibus phaenomenis nonnullis, docte diſſerit. Tomo primo clariſſimus Auctor de Thermometrorum, variis liquoribus madentium, refrigeratione ex inflato vento, nonnulla protulerat, eorum plane neſcius, quae iam dudum clariſſimus *Cullen* hoc de argumento, in Specimine obſervatt. phyſ. et litterariar. Societ. Edimburg. T. II. p. 145. diſſeruerat. Cum itaque

que Cullenii theoriam egregiis experimentis exornatam A. cognoviſſet, atque cum experimentis ſuis contuliſſet, ſingulaque accuratius perpendiſſet, operae pretium duxit, quae in diligentiore conſideratione huius rei obſervare ei contigit, luculentius exponere, novisque experimentis confirmare. Mox 7) *Eiusdem* occurrit diſputatio de cauſa extinctionis flammae et animalium in aere intercluſorum. Demonſtraverat Cl. Auctor Tomo primo, flammam in intercluſo aere, nec propter erumpentes fumos, nec propter imminutam ab iisdem aeris elaſticitatem ſuffocari; quin et probabili coniectura ductus, putavit, ne alios quidem vapores ſuffocationis cauſam eſſe, ſed eam potius inde derivandam, quod aer a flammae calore pervertatur. Cum vero ab animalibus vitiatus aer flammam repente extinguere deprehendatur, hinc opinatur, utrumque phaenomenon ab eadem cauſa, quae gradu tantummodo differret, produci. Sed poſtquam non minus a ranis, calore propemodum deſtitutis, quam a ceteris animalibus, aerem corrumpi obſervavit, coepit dubitare de coniectura olim propoſita, novaque iam experimenta proponit lectu digniſſima, quibus propoſitam quaeſtionem accuratius dirimere conatur. *Felicis Valle*, Taurinenſis, Florula Corſicae, legitur 8) edita a *Carolo Allioni;* claſſique philoſophicae additiones ad meditationes de fluido elaſtico Comitis Ill. *de Saluce* finem imponunt 9). In claſſe mathematica leguntur: I) Litterae *Eulero* V. Cl. occaſione reſolutionis problematis Cl. *de la Grange*, de ortu ac propagatione ſoni, perſcriptae, quae continent ſolutionem eiusdem problematis, et quidem in hypotheſi medii elaſtici praediti tribus dimenſionibus. II) Obſervationes de functionibus diſcontinuis. In matheſi, ac imprimis in declaranda curvarum natura, adhuc nonniſi functiones continuas Geometrae conſiderarunt; ſed cum primum *Eulerus* et *de la Grange* Viri Cll. ſagaci mente inveſtigaturi leges vibrationum particularum aerearum eiusmodi, quae hypotheſi naturae reſponderent, deducerentur ad curvas, quarum rami in inſtanti fiant rectilinei, quod legi continuitatis contrarium eſt, neceſſario hoc genus functionum admittendum, earumque theoriam

 con-

condendam eſſe deprehenderunt; et id quidem eo accuratius, quo ſaepius illae non ſolum in hoc problemate, ſed etiam in quaeſtionibus dynamicis et hydrodynamicis occurrunt. Methodus vero ſolvendi problemata, in quibus eiusmodi functiones locum obtinent, admodum difficilis eſt; et quidem primo, ſi numerus corporum mobilium ponatur eſſe finitus, multoque difficilior, ſi a corporibus numero finitis progrediamur ad numerum corporum infinitum. Danieli Bernulli et Alambertio Vir. Cll. tranſitus talis parum evidens parumque rigoroſus viſus eſt, in ſolutione problematis de propagatione ſoni, Tomo primo a clariſſimo de la Grange exhibita. Nova, eaque ſimpliciori methodo itaque idem problema ab eo ſolvitur, in qua natura functionum discontinuarum uberius declaratur. III) Specimen novae methodi, determinandi maxima et minima in formulis integralibus indefinitis. IV) Uberior eiusdem methodi declaratio in diverſis problematis dynamicis, auctore Cl. *de la Grange*. V) Illuſtratio principiorum Mechanicae fundamentalium, auctore *Daviet de Foncenex*. Exemplum clariſſimi d'Alambert ſecutus Auctor Cl. reducit principia fundamentalia Mechanices ad vim inertiae, compoſitionem virium, atque principium aequilibrii, eaque generaliſſime conſiderando inſignes propoſitiones, quibus tota Mechanica initur, tradit. VI) Additamenta clariſſimi *de la Grange* ad primam partem disquiſitionum de natura et propagatione ſoni, Volumine primo propoſitarum. Alambertus ſolutionem problematis de chordis vibrantibus Cl. de la Grange examinans, dubia in quibusdam eius capitibus propoſuit in opuſculis ſuis mathematicis, Tomo primo. Operae pretium itaque duxit Cl. de la Grange, analyſin ſuae ſolutionis de novo inſtituere, eamque illuſtrare, ut obiectiones atque dubia illuſtris huius Geometrae removeret, novamque lucem theoriae huic accenderet. VII) Illuſtrationes eorum, quae de quantitatibus imaginariis Tomo primo inſerta ab ill. *Daviet de Foncenex*. De novo hic proponitur examen controverſiae quondam inter Leibnitium et Bernullium agitatae, de Logarithmis quantitatum negativarum, quam docte et accurate celeberrimus

mus Eulerus in Commentariis Academiae Regiae Boruſſicae ad annum 1749. deciderat; in qua deciſione cum nonnulla clariſſimo d'Alambert displicuerint, immo contraria vero viſa ſint, idem multa contra Foncenei theoriam, Tomo primo expoſitam, in litteris ad eum datis movit. Quare poſt accuratiorem huius theoriae conſiderationem docet, Logarithmos arithmetice conſideratos probe diſtinguendos eſſe a Logarithmis geometrice conceptis; cuius diviſionis non ſolum fundamenta tradit, ſed eam etiam ita comparatam eſſe putat, ut liti huic plane decidendae inſerviat. VIII) De infinito abſoluto in quantitate conſiderato, auctore *Gerdile*, Barnabita. Ex quo methodi invaluerunt, quibus infinitum ad leges computi redactum eſt, aliter Leibnitius, alter Fontenellius, aliter Angli, infiniti ideam concipiendam eſſe docuerunt. Ex Fontenellii ſententia infinitum mathematicum eſt reale, propriaque gaudet natura: hanc Cl. Gerdil oppugnat, atque falſam eſſe docet, primo ex formatione ſerierum numerorum infinitorum; ſecundo ex notionibus elementaribus geometriae; tertio ex proprietate lineae logarithmicae; quarto ex aſymptotiſmo hyperbolae; quinto ex progreſſionibus in infinitum creſcentibus; ſexto iisdem decreſcentibus; tandemque ſeptimo ex methodo approximandi. IX) Specimen Algebrae philoſophicae, in uſum artis inveniendi, *Ludovici Richerii*. Quamplurimi ad nomen metaphyſices, uſitata methodo cultae, exhorrent, et quamvis probe ex Algebra edocti ſimus, quantum ſigna algebraica uſum in inveniendo praeſtent: attamen praevidere facile poſſumus, paucos etiam illos, qui nobiliſſimam ſcientiam, Ontologiam, colunt atque amant in aeternum eſſe diſſerturos, conſpectis illis ſignis ingenioſiſſimis, quae Auctor ad deſignandas ontologicas propoſitiones, earumque combinationes excogitavit ac propoſuit. Tandem huic Tomo obſervationes de curſu fluminis Padi, una cum inveſtigatione cauſarum, cur curſus hic immutatus ſit, colophonem imponunt. De Tomo tertio, praeclari Operis, dicemus propediem.

## *M. HIERONYMI VIDAE, DE ARTE POETICA L. III. Commentarium de Poetae vita et carminibus addidit CHR. AD. KLOTZIUS.*

Altenburgi apud Richterum 1766. plagg. 13. in 8.

Cogitantibus nobis ſaepenumero de cauſsis, propter quas hodie meliores litterae, maxime poeſis divina veterum, in qua, paene una, omnis earum vis elegantia, et copia quodammodo, tanquam in centro aliquo videtur concurrere, adeo negligantur, et in contemtu ſint: inter alias multas etiam illa occurrit, quod partim ipſa illa veterum poetarum carmina aurea, nec ſatis frequenter, nec perſpicue ad artis praecepta, iuventuti explicantur; partim optimi recentioris aevi poetarum veterum imitatores, quos aureum illud in Italia Saeculum Mediceum extulit, adoleſcentibus in ſcholis non ſatis innoteſcunt, ſed vel nunquam, vel rarisſime in manus eorum perveniunt. Nam, ut de priori illo iam nihil dicamus, quis neſcit, lumina illa Parnaſſi, quae Saeculum decimum quintum et ſextum ingenii ſui et carminum fama illuſtrarunt, *Io. Bapt. Mantuanum*, *Iac. Sannazarium*, *Andr. Naugerium*, *Andr. Alciatum*, *Marcellum Palingenium*, *M. Ant. Flaminium*, *Aon. Palearium*, *Hieron. Fracaſtorium*, et ipſum illum *Vidam*, cuius iam de Arte Poetica libros indicaturi ſumus, omne in carminibus ſuis punctum tuliſſe? Sed quotusquisque eos adoleſcentibus in ſcholis, ne dicam explieari, (id enim non eſt ſumme neceſſarium, dum veteres rite explicentur, ad quorum hi ſe exemplum compoſuerunt,) ſed commendari ad privatae lectionis uſum ac voluptatem vidit? Cum tamen in horum virorum carminibus exactisſime expreſſa ſit tota veterum ratio, elegantia, lepos, et omnes omnino virtutes, quae in poetis requiruntur.

Itaque valde laudabile conſilium ſuscepit Ill. Klotzius, quod ad eiusmodi viri, M. Hieronymi Vidae, opus aliquod denuo edendum animum adiecit, eique duplicem propter hanc rem gratiam et habendam et agendam ab orbe litterato arbitramur: primum, quod ex magna eius Saeculi poetarum multitudine, non alium potius, quam hunc, delegit, cuius inſigne aliquod

aliquod ingenii monumentum ederet; deinde, quod huius ipſius viri non aliud potius, quam hoc de arte poetica opuſculum, repeti a typographo voluit. Nam quod ad prius attinet, ſane Vida habet multa prae aequalibus ſuis praecipua, maxime quoad externas carminis virtutes, numerum, laevitatem verſus et copiam, ut etiam ſummi viri exiſtimaverunt, quorum iudicia Ill. Klotzius in Commentarium adiectum ſuis locis inſeruit. Quod vero ad alterum, libri de arte poetica propterea caeteris eius carminibus praeferendi nobis videntur, quod in iis non modo voluptati legentium, ſed et utilitati conſulitur, et quod, quae ibi de carmine praecepta dedit, ea etiam ipſe, iisdem in locis, ubi dedit, accurate ſimul exſecutus eſt, ut adeo duplex libelli dos merito habeatur. Acceſſit et alia opuſculi edendi cauſſa, quod, ut Ill. Klotzius ait, „rarius ſibi in Germa„nia hic libellus occurrere viſus eſt, quam illius praeſtantia po„ſtulet, ſive quia harum litterarum ſtudia omnino a multis con„temnuntur, et negliguntur, ſive quod pauci Vidae ingenium „cognitum habent.“

Itaque primum textum Poetae ipſum, ex editione Plantiniana, quae Antwerpiae 1585. prodiit, ſublatis diligenter editionis eius mendis, deſcribendum operis dedit. Deinde cum libros ipſos commentario et annotationibus non egere animadverteret, quae de iis dicenda aut monenda eſſent, ea reiecit in Commentarium de vita poetae et carminibus. Exſtat quidem in Anglica editione, quam Triſtramus a. 1722. curavit, huius „Triſtrami Commentarius, de quo Vir Illuſtris, magna et prae„clara ſibi ſe fatetur pollicitum ſemper eſſe, antequam vidiſſet; „verum cum nactus eſſet intellexiſſe, nihil in eo eſſe reconditi, „nec cauſſam vidiſſe ullam, quare eum huic ſuae editioni ad„iungeret, adeoque libri molem augeret. Nihil enim aliud „egiſſe Triſtramum, niſi ut praecepta Vidae ſimilibus ſenten„tiis Ariſtotelis, Quintiliani, Eraſmi, Viperani, et Pontani illu„ſtraret. Quae praeterea addiderit, ea nullius fere momenti „eſſe.“ Itaque eum recte omiſit.

Suum vero de vita et carminibus Vidae Commentarium ſic diſpoſuit Vir Cl. ut poſt breve exordium, de iis, qui poeſin

et

Digitized by Google

et picturam verſibus celebrarunt, (p. 1 - 8.) primum vitam et fata Hier. Vidae breviter ac perſpicue narret, (p. 9 - 24.) deinde ſcripta eius, cum proſa, tum vorſa oratione edita, copioſe enumeret. Sic agit: 1) de *Hymnis* (p. 29-30.) 2) de *Libris VI. Chriſtiados* (p. 31-48.) quos, ut merentur, valde laudat, ſed tamen ineptum veteris Mythologiae uſum in iis reprehendit; 3) de *Bombyce*, (p. 49-50.) 4) de *ludo Scacchia*, cui fere palmam inter caetera Vidae poemata tribuit, (p. 51-54.) 5) de *Eclogis et Carminibus*, tum genuinis, tum ſuppoſititiis, (p. 55-56.) Porro enumerat editiones operum Vidae, cum omnium, tum ſingulorum (p. 57-60.). Tum virorum doctorum de Vida eiusque carminibus iudicia varia et laudes enarrat, eaque occaſione de eius virtutibus late diſſerit, easque, allatis exemplis, ei vindicat (p. 61-72.). Denique in ultimum locum reſervavit commentationem *de libris III. de Arte poetica*, quorum cauſſa totum commentandi laborem ſuſceperat (p. 73-105.). De his agit ita, ut primum honores, his libris a Cremonenſibus et aliis habitos, commemoret, deinde totum opus *κατὰ πόδα* percurrat, argumentum cuiusque libri indicet, laudet, vindicet, reprehendat, prout quoque loco res poſtulabat.

Ex hac tota Ill. Klotzii commentatione apparet laudabilis eius induſtria, et inſigne ſtudium afferendi omnia, quaecunque ad cognoſcendos, et melius intelligendos hos Vidae libros, facere aliquid poſſint. Nos, quod his, quae hactenus diximus, addamus, non habemus; noſtris enim laudibus Klotzius minime indiget. Id ſolum addemus, quod in fine Commentarii ſui dixit, et quod, vehementer optamus, ut eventum habeat: „Equidem, „ſi me hac iucundiſſimi carminis editione latinarum littera„rum ſtudium iuviſſe, aut, ſi fas eſt ſperare, amorem Muſarum „iuvenibus inſpiraſſe, laudemque Vidae, iam prope in Germa„nia ſeneſcentem, ab oblivione hominum, atque a ſilentio vin„dicaſſe intellexerim, vehementer laetabor, meque huius qua„liscunque operae fructum pulcherrimum tuliſſe iudicabo.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

## *publicata Lipſiae*

**Calendis Martii Anno MDCCLXIX.**

---

***CORPORA ANGELORUM EX LUC. XX. 27-39. mero in die collocata, contraque Virorum celeberrimorum, Viti, Moshemii, Odei oppugnationes defenſa, Auctore PETRO IANSSEN, SS. Th. D. eiusdemque et Hiſtor. Eccleſ. in Academia regia Duisburgenſi Prof. Ord.***

Lugd. B. 1767. 7. plagg. in 8.

Nihil tam abſurdum dici fingique poſſe, quod non ingenii humani vanitas interdum defendere audeat, libellus hic indicio eſt. Initio noſtri Seculi *Loerſius* quidam, de ſchola Calvini Theologus, illam de Angelorum corporibus opinionem, doctoribus nonnullis veteris Eccleſiae, nominatim Iuſtino, Tertulliano, Clementi Alexandrino, probatam, et dudum a viris doctis exploſam, recoquere, et in diſſertatione quadam de hac re Duisburgi habita defendere conatus eſt. Quae autem a *Vito* in Bibl. Brem. a *Moshemio* ad Cudworthi Syſt. et ab *Odio* in Comment. de Angelis, ſatis refutata cum aliquamdiu ſine patronis iacuiſſet: tandem *Ianſſen* noſter exortus eſt, qui illius abiectae opinionis ſuſcipere patrocinium, et eam adverſus virorum doctorum obiectiones,



Digitized by Google

ſcilicet, defendere conaretur. Auctor vero cum probe intellexiſſet, argumenta philoſophica in hoc genere nihil valere, ſed (ipſe fatetur) *cerae inſtar in quascunque torqueri partes, et ad ſerviendum hypotheſi cogi*, adde, totam de Angelis quaeſtionem, cum neque ex divinae, neque humanae, neque caeterarum rerum naturae neceſſitate colligi poſſit, eſſe eam, quae neceſſariis rationis concluſionibus locum prorſus non relinquat: ſibi in auctoritate S. S. acquieſcendum eſſe, et ad rem conficiendam unum locum Lucae XX. ſufficere exiſtimavit, quo beati homines, corporibus reſtitutis, dicuntur ἰσάγγελοι, quod verbum potiſſimum urget ad ſucci aliquid exprimendum, quo σωματολογία angelica coloretur ſua.

Ratio, qua in conſcribendo libello uſus eſt auctor, quadripartita eſt. Primum enim hiſtoria controverſiae leviter tacta, multus eſt in laudanda Angelorum praeſtantia, qualis in omnibus theologiae compendiis obvia eſt, nec facile alium uſum hic habere poteſt, niſi ut tirones, chriam de encomio Angelorum conſcripturi, habeant, unde facile ſumant quod in uſum ſuum convertant. Deinde ipſum Lucae locum interpretatur, et conatur demonſtrare, ſeu ut verius dicamus, poſtulat, ut ſibi volenti concedatur, *ſimilitudinem, quae inter Angelos beatosque homines ſit interceſſura, fore plane adaequatam, perfectam, et per omnia aequalem, adeo ut cum homines Angelis qua mentes, qua corpora, qua conditionem, plane ex aſſe futuri ſint pares, recte in illos ἀγαμία et ἀθανασία, quas Chriſtus ipſis tribuat, cadere poſſint.* De hac ratione poſtea plura dicemus. Tum deinceps aggreditur adverſarios, *Vitum*, qui illam ſimilitudinem in ſola ἀγαμίᾳ poſuerat; *Moshemium*, qui in immortalitate tantum; et *Odium*, qui et ob ἀγαμίαν, et ob immortalitatis beneficium, homines ἰσαγγέλους vocari exiſtimavit. Denique eos conatur refellere, qui ex nominibus πνεύματος et רוח, quibus in ſacris litteris appellantur Angeli, naturas incorporeas effici velint. Nam cum ea nomina originem ducant a ſpirando, clarum eſſe ait, naturas

naturas ab omni materia liberas per ſe intelligi non poſſe; ſed Angelos ſic vocari vel *a potiori* per ſynecdochen, uti Gen. XLVI, 26. et Act. VII, 14. per נפש et ψυχὴν homines ipſi ſint intelligendi; vel *a robore* et *vi ſingulari*, quam in operationibus adhibeant ſuis. Quare πνεῦμα Eſ. XXXI, 3. opponatur rei fragili atque imbecillae.

Etſi auctoris argumentandi ratio ita eſt comparata, ut per iocum ingenii exercendi gratia excogitata eſſe videatur, cuius vanitatem is, qui vel mediocriter in ſacrarum ſcripturarum interpretatione ſit verſatus, facile poſſit deprehendere: cum tamen rem ſerio agat, et tanta fidentia, ut, more Velleii apud Ciceronem, *nihil tam vereatur, quam ne dubitare de re aliqua videatur*, paucis opinionem hanc examinabimus. Vix ſine ſumma animi indignatione fieri poteſt, ut, quae auctor paſſim de certitudine ſuae opinionis iactat, legantur, veluti *corpora Angelorum mero in die collocata; corpora Angelorum ex uno Lucae loco poſſe demonſtrari ἀναντιῤῥήτως; ſeſe operam dare, ut Ang. corpora manibus teneantur; ſuum libellum conferre ad haereſin de Angelis incorporeis ex Eccleſia exſtirpandam; ſeſe tandem hanc controverſiam finire, et veritatem in merum evehere diem; adverſarios nunc cauſa cecidiſſe, et Loerſium ſuum in caſtris atque ſub ſignis veritatis militaſſe, clarum eſſe; ſeſe hanc doctrinam nunc in ſede tam ſolida firmaque locaſſe, et communiviſſe undique, ut pluribus ad ſui conſtabilitionem non indigeat adminiculis*, et quae ſunt his ſimilia ſummae fidentiae exempla, atque ſeſquipedalia verba.

Nomen ἴσον, quo omnis fere auctoris hypotheſis tanquam fundamento nititur, ſemper et in ſermone populari, a mathematicorum ſubtilitate et ἀκριβείᾳ remoto, perfectam ſignificare ſimilitudinem et aequalitatem, quae plane nulla in re differat, auctor neque probavit, neque unquam eum probaturum eſſe exiſtimamus. Etſi vero concedamus, in ſcholis mathematicorum ἰσάριθμοι, ἰσοσκέλη, et alia, in quibus



Digitized by Google

nonniſi magnitudinis habetur ratio, ſic dici, ut perfecta aequalitas intelligatur: ſi quis tamen in his verbis argutetur, et, magnitudinis ratione non contentus, ad caeterarum rei qualitatum vim deſcendat, is caveat, ne omnibus ſeſe praebeat phyſicis deridendum; ſicut apud Grammaticos idem periculum ſubit is, qui omnino in orationis popularis ſimplicitate ſummam ſcholae ἀκρίβειαν ſectetur. Id quod facile innumeris pene et ubique obviis ſacrorum profanorumque ſcriptorum exemplis demonſtrari poteſt, ſi quis operae pretium iudicaverit, in re minime dubia, et vel tironibus philologiae nota demonſtranda, multum temporis conſumere.

Nos aliquot eiusmodi exempla proferemus, ut appareat, quomodo ex uſu loquendi ea verba ſint iudicanda, in quibus comparationis alicuius habetur ratio. Si ſaepe Graecis res aliqua, v. c. ſtatura hominis alicuius, ἰσόδενδρος dicitur, plane ineptum, et a ſcribentis vel dicentis mente maxime alienum foret, praeter magnitudinis rationem, caeterarum rerum, quae arbori inſunt; qualitatem aequalitatemque ſomniare. Quodſi Antiochus 2 Macc. IX, 15. pollicetur, a ſe Iudaeos redditum iri ἴσους Ἀθηναίοις, nemo facile tam ſtultus et ineptus ſit, ut putet, praeter externam civium conditionem et aequabile ius, etiam animorum corporumque ἰσότητα ſpectari. Si illi operarii Matth. XX, 12. qui per diem totum opus fecerant, queruntur, ſibi ἴσους factos eſſe eos, qui non niſi unam laborarint horam: quis quaeſo eſt, qui non ſtatim intelligat et facile largiatur, praeter mercedis aequalitatem ſpectari nihil? Paulus Phil. II, 20. Timotheum vocat ſuum ἰσόψυχον, non eo quidem, quod animus Timotheanus in omnibus facultatibus fuerit ſimilis Paulino, nam alioquin docendi adhortandique officium, a Paulo in litteris ad Timotheum praeſtitum, plane ineptum et ſupervacaneum fuiſſet; ſed eo, quod exemplo ſuo Timotheus bene cupiat Philippenſibus, (ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει). Sed et vis atque poteſtas vocis ἰσαγγέλου apud Lucam

Digitized by Google

Lucam iudicari debet e locis parallelis, Matth. XXII, 3. Marc. XII, 25. ubi ſimilitudo, olim inter beatos et Angelos futura, exprimitur particula ſimilitudinis ὡς. Nec vero videmus, quibus de cauſis auctor dicat, rem a Luca *plenius* eſſe expreſſam; niſi quod forte putavit, in verbo ἰσαγγέλῳ petulantius contra omnem loquendi conſuetudinem argutari ſibi licere, in particula ὡς non item. Lucas enim cum plane eandem rem, quam Matthaeus et Marcus, tradat; eadem notio τοῖς ἰσαγγέλοις ſubiiciatur neceſſe eſt, quae ineſt in phraſi ὡς ἄγγελοι, niſi quis fidem Evangeliſtarum, aut divinam auctoritatem in dubium vocare malit, id eſt cum ſpecie aliqua rationis inſanire. At vero ὡς et ἴσον inter ſe differunt. Differunt certe hic, ſed ſono, non vi atque poteſtate. Chriſtus enim cum haud dubie Syriace ſit locutus, neque particula ὡς neque ἴσον uſus eſt, ſed forte איך, qua Syrus interpres et Lucae ἴσον, et caeterorum Evangeliſtarum ὡς reddidit. Particulam ὡς vero, ὥσπερ, τὸν αὐτὸν τρόπον, et Ebr. כ, כאשר, et quae his ſunt ſimilia, non omnibus numeris abſolutam aequalitatem ſignificare, plurimis librorum ſacrorum locis doceri poteſt. Sic v. g. 2 Sam. XIV, 17. Davides dicitur eſſe *ſicut* Angelus Dei (ἰσάγγελος). Quid? num plena ſimilitudo hic eſt intelligenda? Nullo modo. Nam ratio contexti facile demonſtrat, ſolam in iudicando prudentiam et aequitatem modeſtiamque ſignificari. Cum Satanas, ut mulierem ad negligendum Dei mandatum perduceret, ſpem ei iniecit, fore, ut eſus fructus illius homines reddat *ſimiles Deo* (כאלהים, ὡς θεός, ſ. ἰσόθεος): tanta ſtultitia ſane in Satanam non cadere videtur, ut ſperaverit, mulierem fore tam ſtultam et ab omni rationis uſu tam remotam, ut ſibi perſuadeat, ſeſe plane Deo Creatori et Domino rerum omnium ita fore ex aſſe parem. Verum omnis hic ſimilitudo eſt quaerenda in iudicio et prudentia boni malive discernendi, id quod ſtatim additur. Quodſi autem, quoties res alia cum alia comparatur, toties plena intelligenda ſit ſimilitudo, et perfecta paritas, quae tandem opinionum monſtra futura

 ſunt?

Digitized by Google

ſunt? Contemplare modo unum locum Matth. V, 48. ubi Chriſtus praecipit, ut ſimus τέλειοι ὥσπερ ὁ Πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Nonne ita periculum eſt, ne Weigelianorum ἀναμαρτησίᾳ, aut Pontificiorum arrogantiae de ſervandae legis divinae facultate, aditum patefaciamus? Quid? quodſi Chriſtus Matth. X, 25. docet, diſcipulo ſufficere, ſi ſit ὡς διδάσκαλος, num ea ſimilitudo debet intelligi quae etiam magiſtri naevos corporis vitiaque animi imitetur, veluti Platonis latos humeros? Plura eiusmodi exempla ſi quis deſiderat, adeat Glaſſii Philol. Sacr. p. 1008. Deinde tenendum eſt, in comparatione duarum rerum non ſpectari explicationem rei, quae ſerviat comparationi; ſed ab illius aliqua proprietate nota et inſigni peti illuſtrationem rei, quae comparetur. Quemadmodum enim Poeta, qui Achillem hoſtes fortiter invadentem dixit ſimilem eſſe leoni, noluit explicare nobis naturam et ingenium leonis, ſed animum impetumque Achillis: ita nec Chriſtus, comparans beatos cum Angelis, vult docere naturam Angelorum, ſed horum exemplo illuſtrat ea, quae paulo ante de beatorum ἀγαμίᾳ et immortalitate tradiderat. Sole enim clarius eſt, Servatorem velle demonſtrare beatorum hominum conditionem, qui cum ob immortalitatis beneficium matrimonia inire non cogantur, ſimilem ita eſſe conditioni Angelorum, in quos utrumque cadat. Hic locus tam luculentus eſt, ut nemini veterum, corpora Angelis tribuentium, unquam in mentem venerit, opinionis ſuae inde petere patrocinium. Quodſi denique ex ratione auctoris perfecta ſimilitudo eſt intelligenda, ſequitur, ut beati omnino Angeli et ſint, et dici debeant; quod tamen nunquam in libris ſacris factum eſſe legimus, ſed ſemper utroſque tanquam inter ſe diverſas naturas commemorari.

Verum ne in re ſatis nota diutius commoremur, agedum videbimus de argumentis, quibus ad rationem ſuam probandam A. uſus eſt. Primum conatur adverſariorum ſententiam cornibus petere, et ad abſurdum redigere. *Niſi enim*

*beati*

*beati ſint ſimiles Angelis qua corpora*, *relinqui* ait, *ut ſint qua mentes, adeoque ob ſanctitatis ſapientiaeque ſtudium fugere matrimonium.*

At vero Chriſtus neque de mentibus, neque de corporibus loquitur, ſed de conditione quadam Angelorum, qua ſint immortales, coniugiique expertes. Cur vero in tali ſint conditione, ab hoc loco alienum eſt quaerere; verumtamen cauſa eſt in promtu. Procreationem enim ſobolis immortalitatis beneficium facit ſupervacaneam; quod ſint immortales, ſola Dei voluntas atque benignitas agnoſcenda eſt. *Quod ſi concedatur*, pergit, *Angelos ob naturam ſpiritualem et incorpoream abſtinere matrimonio; effici*, *ut beati ipſi futuri ſint olim meri ſpiritus.* Duplex hic auctoris error deprehenditur. Primum enim demonſtrari non poteſt, perfectam intelligendam eſſe ſimilitudinem. Deinde Chriſtus hic non ſignificavit, Angelos ob naturam ſpiritualem abſtinere matrimonio, ſed, cum ſint immortales adeoque propagatio generis locum non habeat, matrimonium, plane eſſe ſupervacaneum. Igitur non modum, ſed cauſam potius talis abſtinentiae ſpectavit.

Auctor porro obiicit, *ſi angelos incorporeos eſſe concedatur*, *cum ita res diverſi generis*, (diſparata elegantia auctoris vocat), *comparationem beatorum corporeorum cum Angelis incorporeis non minus ſterilem abſurdamque eſſe, quam ſi Chriſtus illos ſimiles eſſe dixerit lapidibus aut arboribus, quippe quae nec ipſae matrimonium ineant.* Multis modis hic auctor ſummam in interpretandi legibus ſimulavit inſcitiam. Primum enim ignorare videtur vim conſuetudinemque comparandi, qua non tam omnino aequale cum aequali, ſed ſimile aliquam partem cum ſimili comparari ſolet; neque, uti antea oſtendimus, rei eius, quacum aliquid comparatur, ſpectatur explicatio, ſed non niſi qualitas aliqua aut conditio illius transfertur ad illuſtrandam rem, de qua quaeritur. Igitur cum Servator ſignificare vellet ἀγαμίαν beatorum hominum, uſus, maioris perſpicuitatis gratia, exemplo aliarum naturarum, quae

quae ipſae in coelo tali fruantur conditione: plane ineptire, et a conſilio Chriſti aberrare putandus eſt is, qui ex hac ſimilitudine audeat exprimere atque extorquere explicationem naturae angelicae omnis et ἀπόδειξιν; praeſertim cum id, quod auctor, repugnante omni uſu loquendi, finxit, demonſtrari nunquam poſſit, comparationem indicare perfectam utriusque rei comparatae ſimilitudinem. Deinde licet beati Angelique ſint diverſae naturae; nec tamen haec comparandi ratio abſurda haberi debet, nec exemplum, de arboribus lapidibusque ſumtum, ad rem cauſamque pertinet. Nam inter beatos homines et Angelos non eam intercedere diverſitatem, quae inter beatos et arbores, facile intelligitur. Utrique enim ſunt in numero naturarum intelligentium, in coelo habitantium, et beata fruentium viſione Dei, quorum plane nihil in arbores caeterasque res vita carentes cadit. Tum ſexcentis S. S. locis, res ſuapte natura plane inter ſe diſcrepantes, inter ſe, exigua de aliqua ſimilitudine, conferuntur. Sic e. g. Eſ. I, 18. peccata comparantur cum coccino et dibapho; Matth. X, 16. ii, qui prudentiam coniungunt cum innocentia morum, comparantur ſerpentibus et columbis. *Quodſi angelos incorporeos eſſe concedatur*, *ſequi* auctor putat, *ut et ipſi beati olim futuri ſint incorporei.* Verum ſua ἰδιότητι deceptus graviter errat, nec quid abſurdi ex hac interpretandi ratione, ſeu, ut verius dicamus, philoſophandi pruritu in litteris ſacris, ſequatur, videt. Quid? poſtquam homines ab initio ad imaginem, hoc eſt, ſimilitudinem Dei ſunt conditi atque efformati, num quaeſo ſequitur, ut Deus corporeus, aut homines incorporei fuerint? Non minus a vero abhorrere videtur, quod auctor more ſuo ſatis fidenter affirmat, *comparationem beatorum cum incorporeis Angelis, quae ita fiat in re plane impoſſibili*, *eſſe ἀπροσδιόνυσον.* Nam cum ipſe iubeat, *Angelorum corpora carere membris iis, quibus in hac vita animali fiat procreatio ſobolis;* facile nemo non videt, auctorem ſibimetipſi repugnare, et ita, cum non minus impoſſibilis propagatio generis inducatur, comparationem

rationem

Digitized by Google

rationem aeque ἀπροσδιόνυσον exiſtere. Nam poteſtne citius fieri procreatio ſobolis a natura quidem corporea, ſed membris genitalibus deſtituta, quam a natura plane incorporea? riſum teneatis amici!

Ipſum vocabulum αἰῶνος non poteſt effugere periculum, quin invitum a partibus auctoris ſtare cogatur. Videamus, quae ſuccenturiandi ei imponantur partes. *Quodſi beati homines poſt reſurrectionem ἰσάγγελοι dicuntur ἐν αἰῶνι ἐκείνῳ: ſequitur, ut et ἐν αἰῶνι τέτῳ fuerint ἰσάγγελοι. Nulla vero ſimilitudo eſſe potuit, niſi Angeli ipſi coporibus ſint praediti.* At vero hoc eſt fingere, non interpretari. Primum enim, quis unquam auſus eſt affirmare, quod olim futurum ſit, idem neceſſario nunc eſſe et ſemper fuiſſe? Deinde ſi vel maxime libidini auctoris concedamus, Chriſtum etiam reſpexiſſe ſimilitudinem quandam, quam homines in hac vita cum Angelis communem habeant: hinc tamen nullo modo efficitur, ut in ſolis corporibus illa conſiſtat. Mens enim ratione praedita, utrisque communis, ſatis magnam efficit ſimilitudinem. Quod auctor dicit, *Chriſtum, ſi, Angelos ratus eſſe meros ſpiritus, comparationem ab entibus diſparatis petere voluiſſet, beatos facilius adhuc, magisque appoſite, et ad auditores accommodatius, potuiſſe comparare cum Deo, utique verbo ἰσόθεοι*: id plane ineptum putandum eſt. Nam hinc ſequitur, ut, ſi collatio diverſarum rerum ex mente auctoris ἀπροσδιόνυσος habenda ſit, comparatio multo ineptior extitiſſet propterea, quod Deus plus differt ab hominum natura, quam Angeli. Aliud argumentum ad ſuam ἰσαγγελίαν ornandam ſumit A. *a nomine υἱῶν Θεῦ, quod Angelis et beatis, in vitam, ἀμέσως, vi divina creatrice ſola, revocatis, commune eſſe ait.* Verum enim vero, ſi vel maxime interpretationem huius appellationis concedamus, nihil tamen hinc efficitur, niſi ut modo creationis ſint ſimiles; ceterum, res duae eadem fieri poſſunt ratione, et ab eadem cauſa, quae nihilcminus ſint ſua natura longe inter ſe diſcrepantes. Id quod

nemo negabit, niſi qui ſe omnibus Phyſicis deridendum praebere velit. Argumentum, quod omnium graviſſimum putat, ſumit *ab vulgari tum Iudaeorum opinione, Angelis corpora affingentium, quam Ieſum ſua demonſtratione tanquam veram approbaſſe*, ait. Verum non ſatis certum eſt, hanc tum opinionem vulgo obtinuiſſe inter Iudaeos. Tum ſi Chriſtus ex eo, niſi quod vulgo probaretur, argumentari non potuit; quomodo quaeſo factum eſt, ut in diſputatione cum Sadducaeis, Angelos omnino eſſe negantibus, exemplum ab Angelis ſumeret? Haec fere ſunt, quae de opinione A. argumentationeque admonere haberemus. Brevitatis gratia omittimus alia, quae paſſim in hoc libello vel plane perperam, vel certe temere ab A. prolata ſunt: veluti de *tempore* creationis Angelorum, de definitione *ſimilium*, poſteros Adami non dici neque dici poſſe *filios Dei*, et quae ſunt his ſimilia.

Quae A. ſub finem libelli adverſus Angelorum incorporeorum defenſores protulit, cum nonniſi demonſtrent, vocem *πνεύματος* et רוח interdum etiam de re corporea dici, tantam vim habere non putanda ſunt, ut adverſariorum ſententia proſtrata et rationibus ſpoliata iaceat. Nam cum diſerte de Deo, animisque humanis, quas naturas materiae expertes eſſe omnes concedunt, idem nomen adhibeatur in ſacris litteris: patet, uſum loquendi permittere, ut idem nomen eodem ſenſu de Angelis accipiatur, quippe qui et ipſi in numero naturarum intelligentium ſunt habendi.

In univerſum, quaeſtionem de corporibus Angelorum putamus plane ſupervacaneam in tantis tenebris, in quibus et contemplatio huius univerſi, et librorum ſacrorum auctoritas, nos hoc in genere verſari ſinit. Id ipſum A. ſenſiſſe videtur, cum ad extremum, paullulum de ſua arrogantia et fiducia remittens, cogitur fateri, *Scripturam ſacram Angelos ἀσωμάτυς ſupponere magis, quam docere.* Ceterum, valde dubitamus, an A. ipſis patronis ſuae opinionis omnino ſatis- feciſſe

feciſſe videatur. Nam inprimis ab eo poſtulari poterat, ut ſuam ἰσότητα uſu loquendi demonſtraret, quod plane neglexit: deinde, ut auctoritatibus doceret, opinionem de corporibus Angelorum, temporibus Chriſti, fuiſſe vulgo receptam probatamque. Quid multis? auctor cauſam malam et dubiam peſſime defendiſſe videtur, et argumentando, ſeu potius argutando, plane obſcuram et incertam, quantum in ipſo fuerat, effeciſſe.

## *ADNOTATA QUAEDAM DE NUMERIS eorumque Anatomia. Auctore I. H. LAMBERT.*

§. 1.

Ab antiquiſſimis retro temporibus, de inveniendis numerorum diviſoribus cogitarunt, quotquot Numerorum doctrinam ſuſceperunt augendam promovendamque. Problema quidem eatenus ſolutum eſt, quatenus tot inſtituendae ſunt diviſiones, quot dantur numeri primi, radice quadrata numeri propoſiti inferiores. Quodſi enim ex his nullus ſit, qui propoſitum numerum metiatur, tuto colligitur, numerum iſtum eſſe primum. At vero ſi dicendum quod res eſt, hac ratione tentando potius, quam methodo certa, eaque directa, expeditur negotium. Haec ipſa vero methodus adhucdum in deſideratis eſt, atque plus una laborat difficultate. Quoniam vero eius impoſſibilitas neque demonſtrata eſt, neque facile a quoquam demonſtrabitur, operam haud perdidiſſe cenſendus eſt, qui vel unum in iſta re paſſum ulterius progrediatur. Hanc ob cauſſam, quae ſequuntur, cum lectoribus communicare haud ambigo.

§. 2.

Si per numerum quemcunque $a$ dividatur unitas, producaturque ſeries decimalis, haec finita eſt abrumpiturque, quoties numerus $a$ fuerit ex claſſe numerorum $2^n$ .. $5^m$.

§. 3.

Quodſi vero numerus $a$ non ſit ex iſta claſſe, ſeries in infinitum producitur, ita tamen, ut quotientes, qui initio diviſionis prodierunt, poſt certum terminorum numerum eodem ordine recurrant, ut adeo ſeries iſtas haud incongrue *periodicas* nominaveris. Ita v. gr.

$\frac{1}{7}$ = 0, 142857, 142857, 142857, 14 etc. in infinitum.

$\frac{1}{41}$ = 0, 024390, 24390, 24390, 24 etc. in infinitum.

Prior ergo fractio producit periodum 6 terminorum, poſterior 5.

§. 4.

Numerus membrorum periodi, ſi maximus eſt, unitate minor eſt numero $a$, per quem dividendo periodus iſta producitur. Plerumque tamen longe minor prodit.

§. 5.

Si proponatur periodus quaelibet, numerus $a$, qui iſtam producit, dividendo facile reperitur. Sit v. gr. periodus

6489

ſcribatur fractio

$$\frac{6489}{9999}$$

ita ut denominator tot conſtet novenariis, quot ſunt periodi membra: haec fractio reducatur ad minimos terminos, eritque

$$\frac{6489}{9999} = \frac{721}{1111}$$

Ergo

Ergo periodus iſta producitur, ſi 721. per 1111. dividatur.

§. 6.

Theoremata haec iam in Tomo 3. *Actor. Helveticorum* dedi demonſtrata. Uberius vero hic exponam, quae inde conſequuntur, ad Anatomiam numerorum facientia.

§. 7.

Sit $a$ numerus primus, $b$ vero numerus quilibet per $a$ non diviſibilis, dico fore

$$\frac{b^{a-1}-1}{a} = \text{numero integro.}$$

Ponatur

$$b = c + 1$$

erit

$$b^{a-1}-1 = -1 + c^{a-1} + (a-1)\,c^{a-2} + (a-1).\frac{(a-2)}{2}\,c^{a-3} + \text{etc.} + 1.$$

In hac ſerie termini quilibet per $a$ multiplicati, cum per $a$ ſint diviſibiles, ponantur brevitatis ergo $= Aa$, eritque

$$b^{a-1}-1 = -1 + Aa + c^{a-1} - c^{a-2} + c^{a-3} - \ldots\ldots + 1.$$

Haec vero progreſſio cum ſit geometrica, datur eius ſumma, eſtque

$$b^{a-1}-1 = -1 + Aa + \frac{c^{a}+1}{c+1}$$

ſive

$$b^{a-1}-1 = -1 + Aa + c^{a-1} - \frac{c^{a-1}-1}{c+1}$$

Quare

$$\frac{b^{a-1}-1}{a} = A + \frac{c^{a-1}-1}{a} - \frac{c^{a-1}-1}{a(c+1)}$$

Eſt vero

$$\frac{c^{a-1}-1}{c+1} = \frac{c^{a-1}-1}{b} = \text{numero integro:}$$

Cumque $b$ ponatur ipſi $a$ incommenſurabilis, patet fore

$$\frac{c^{a-1}-1}{a(c+1)} = \text{numero integro}$$

quoties eſt

$$\frac{c^{a-1}-1}{a} = \text{numero integro.}$$

Hoc vero ſi fuerit, erit quoque

$$\frac{b^{a-1}-1}{a} = A + \frac{c^{a-1}-1}{a} - \frac{c^{a-1}-1}{a(c+1)} = \text{num. integro}$$

Theorema ergo de numero $b$ verum erit, quoties verum eſt de numero $c$ unitate minori. Et de hoc numero verum erit quoties verum eſt de numero $c-1$, quare et de numeris $c-2$, $c-3$, $c-4$ etc..... 1. Sed verum eſt de numero 1. unde reciproce verum erit de 2, 3, 4...... $c$, $b$.

En celebre illud *theorema Fermatianum*, cui demonſtrando Cel. *Eulerus* plurimam operam impendit. Demonſtrationem dedi, qualis meditanti mihi primum ſeſe obtulit.

§. 8.

Quodſi iam ponatur $b = 10$, theorema hoc ſeriebus decimalibus adplicabile eſt, quippe erit

$10^a$

Digitized by Google

$$\frac{10^{a-1} - 1}{a} = \text{numero integro,}$$

duobus caſibus exceptis, quibus $a = 2$ vel $a = 5$. Etenim $b = 10$ eſt multiplum numeri 2 et numeri 5.

§. 9.

Sit $a$ numerus primus, exceptis 2 et 5, atque ſi fuerit

$$\frac{10^m - 1}{a} = \text{numero integro,}$$

erit $m$ vel multiplum ipſius $a - 1$, vel $= a - 1$, vel pars aliquota ipſius $a - 1$. Uterque caſus prior per ſe patet. Tertius facile demonſtratur. Etenim numerorum $10^{m-1}$ et $10^{a-1} - 1$ prior conſtat $m - 1$, poſterior $a - 1$ novenariis. Quodſi ergo hic per illum dividatur, atque quotus non ſit numerus integer, reſiduum conſtat certo numero novenariorum, qui eſt $< m - 1$. At vero quoniam ponitur, numerum $m - 1$ novenariorum eſſe minimum, qui diviſionem per $a$ admittat abſolutam, conſequens eſt, $a - 1$ per $m - 1$ debere eſſe diviſibilem.

§. 10.

Si numerus primus $a$ dividat $10^m - 1$, et numerus primus $b$ dividat $10^n - 1$, ſintque numeri $m$, $n$, inter ſe primi, numerus $a\,b$, qui inde fit dividet $10^{mn} - 1$. Si vero numeri $m$, $n$ non ſint primi inter ſe, ſumatur minimus eorum communis dividuus, qui ſi ſit $c$, dico numerum $a\,b$ numerum $10^c - 1$ dividere. Eſt enim

$$\frac{10^c - 1}{10^m - 1} = \text{numero integro}$$

et $10^c$

$$\frac{10^c - 1}{10^n - 1} = \text{numero integro.}$$

Quoniam vero $a$ metitur denominatorem $10^m - 1$, et $b$ denominatorem $10^n - 1$, atque $a$, $b$, ſunt numeri primi, patet, numerum $ab$ metiri $10^c - 1$. Ceterum generalius haec patent: quippe ſi

$$\frac{d^m - 1}{a} = \text{num. integro.}$$

et

$$\frac{d^n - 1}{b} = \text{num. integro.}$$

atque $c$ ſit minimus, quem $m$ et $n$ metiantur, erit quoque

$$\frac{d^c - 1}{ab} = \text{num. integro.}$$

eoque magis

$$\frac{df^c - 1}{ab} = \text{num. integro.}$$

Excipitur caſus, ubi ſumitur $a = b$, ſive pro utroque idem numerus primus.

§. 11.

Si numerus impar quicunque $g$ unitatem dividendo producat periodum $g - 1$ membrorum, numerus $g$ erit primus. Si negas, ſint $a$, $b$ eius factores, ut ſit $ab = g$. Iam dividendo unitatem ſeorſim per $a$ et per $b$, prodeat priori caſu periodus $m$ membrorum, poſteriori caſu periodus $n$ membrorum. Sed ad ſummum eſt $m = a - 1$, et $n = b - 1$ (§. 4.), unde periodus, quae prodit dividendo per $g = ab$, ad ſummum eſt $\frac{(a - 1).(b - 1)}{2}$ membrorum, (§. 10.) cum $a - 1$ et $b - 1$ ſint numeri pares. Quoniam ergo

Digitized by Google

ergo $a > 1$ et $b > 1$, erit $\frac{(a-1).(b-1)}{2} < ab - 1$.

adeoque periodus minor quam $g - 1$ membrorum. Quod cum evertat hypotheſin, liquet, numerum $g$ eſſe primum.

§. 12.

Si numerus quicunque $g$ unitatem dividendo producat periodum $m$ membrorum, atque $g - 1$ per $m$ dividi nequeat, numerus $g$ non erit primus. Quodſi enim primus eſſet, $g - 1$ per $m$ divideretur (§. 9.) Quare primus eſſe nequit.

§. 13.

Si numerus quicunque $g$ unitatem dividendo producat periodum $m$ membrorum, atque $g - 1$ per $m$ dividi poſſit, ſitque $m$ numerus primus, tunc numerus $g$ aut eſt primus, aut ſi diviſores habet, erunt iſti ex claſſe numerorum $2^n . 5^m$, aut ternarius, aut novenarius, aut denique numeri tales, qui unitatem dividendo producunt periodum, quae itidem eſt $m$ membrorum. Quoniam enim numeri ex claſſe $2^n . 5^m$ producunt ſeriem finitam, haec periodos non mutat, quoad numerum membrorum. Similiter ternarius et novenarius producunt periodum μονόκολον, unde nec iſti periodorum longitudinem mutant (§. 10.). Quoniam vero facile dignoſcitur, an numerus propoſitus per 2, 5, dividi poſſit, dividatur, quoties has diviſiones admittet, atque quotus, quem ponemus $= q$, nihilominus unitatem dividendo producet periodum $m$ membrorum. Quodſi et $q : 9 = r$ ſit numerus integer, etiam $r$ unitatem dividendo producet periodum $m$ membrorum. Ponas iam $r$ non eſſe primum, verum $= ab$. Unitas dividatur per $a$, $b$ ſeorſim. Quodſi ergo prodeant periodi $m$ membrorum, conſtat propoſitum. Ponas vero periodos prodeuntes eſſe $p$ et $q$ membrorum, atque per §. 10. patet, $m$ debere eſſe multiplum ipſius $p$, et ipſius $q$. Quoniam vero $m$ ponitur eſſe numerus primus, aut erit

P $p = m$,

Digitized by Google

$p = m$, $q = 1$, aut $p = 1$, $q = m$, aut $p = m$, $q = m$. Sed $p = q = 1$ eſt periodus μονόκολος quae nonniſi ternario aut novenario debetur. Quare vel $p$ vel $q$ debet eſſe $= m$, vel uterque erit $= m$.

§. 14.

Quodſi vero $m$ non ſit numerus primus, tunc utique multiplum eſſe poteſt ipſorum $p$, $q$, unde pluribus modis poſſibile eſt ut numerus $g$ non ſit primus.

§. 15.

Si numerus primus $a$ unitatem dividendo producat periodum $a - 1$ membrorum, ut ſit

$$\frac{10^{a-1} - 1}{a} = \text{numero integro}$$

erit quoque

$$\frac{10^{(a-1):2} + 1}{a} = \text{numero integro.}$$

Etenim ob $a$ numerum primum, erit $a - 1$ numerus par. Ponatur ergo $a = 2m + 1$
erit

$$a - 1 = 2m$$

$$\frac{a - 1}{2} = m$$

Unde

$$\frac{10^{a-1} - 1}{a} = \frac{10^{2m} - 1}{a} = \frac{(10^m + 1).(10^m - 1)}{a}$$

Sed $a$ ipſum $10^m - 1$ non metitur, quia periodus eſſe ponitur $a - 1$ membrorum. Quare oportet $a$ metiatur factorem alterum $10^m + 1$.

§. 16.

Digitized by Google

§. 16.

Hac ergo ratione his caſibus diviſio ſi actu ſit inſtituenda ad dimidiam operationis partem reducitur. Dato enim quotus pro

$$\frac{10^m + 1}{a} = q$$

dabitur quoque pro

$$\frac{10^{2m} - 1}{a} = (10^m - 1)\, q = 10^m .\, q - q.$$

adeoque per ſimplicem ſubtractionem ipſius $q$ a $10^m\, q$. Ita v. gr.

$$\frac{10^3 + 1}{13} = 77.$$

unde

$$77000 - 77 = 76923.$$

Eſt ergo

$$\tfrac{1}{13} = 0,\ 076923,076923,\ 076 \text{ etc.}$$

§. 17.

Viciſſim, ſi fuerit

$$\frac{10^n + 1}{a} = \text{numero integro} = q$$

erit

$$\frac{10^{2n} - 1}{a} = (10^n - 1)\, q = \text{numero integro}.$$

Ita v. gr. reperitur

$$\frac{10^5 + 1}{9091} = 11$$

Quare erit

$$\frac{10^{10}-1}{9091} = 1100000 - 11 = 1099989$$

adeoque

$$\tfrac{1}{9091} = 0,0001099989,000109 \text{ etc.}$$

§. 18.

Similiter ſi $\frac{1}{a}$ producat periodum $2\,m$ membrorum, adeoque ſit

$$\frac{10^{2m}-1}{a} = \text{numero integro,}$$

erit quoque

$$\frac{10^{m}+1}{a} = \text{numero integro.}$$

ponendo nempe $a$ eſſe numerum primum. Eſt enim

$$10^{2m}-1 = (10^{m}+1).(10^{m}-1)$$

ſed

$$\frac{10^{m}-1}{a}$$

produceret periodum minorem quam $2\,m$, unde oportet ſit

$$\frac{10^{m}+1}{a} = \text{numero integro.}$$

§. 19.

Si numerus $a$ non ſit primus, atque unitatem dividendo producat periodum $2\,m$ membrorum, erit $a$ ipſi $10^{m}+1$ commenſurabilis. Quoniam enim

$$\frac{10^{2m}-1}{a} = \text{numero integro,}$$

et

$10^{2m}$

$$10^{2m} - 1 = (10^m + 1) . (10^m - 1)$$

patet

$$\frac{10^m - 1}{a}$$

non eſſe numerum integrum. Quare ad ſummum factores quidam metientur Numerum $10^m - 1$. Quoniam ergo oportet reliqui factores metiantur ipſum $10^m + 1$, patet propoſitum. Ita v. gr.

$$\frac{1}{81103} = 0,00001233,000012 \text{ etc.}$$

producit periodum 8 membrorum; quare cum ſit

$$\frac{10^8 - 1}{81103} = \text{num. integro,}$$

numerus 81103 aut metietur ipſum $10^4 + 1$, aut ipſi erit commenſurabilis. Inſtituto examine

$$\begin{array}{r|r|l}
10001 & 81103 & 8 \\
 & 80008 & \\
\hline
1095 & 10001 & 9 \\
 & 9855 & \\
\hline
146 & 1095 & 7 \\
 & 1022 & \\
\hline
73 & 146 & 2 \\
 & 146 & \\
\hline
 & 0 &
\end{array}$$

patet, utrique eſſe communem diviſorem 73. Quare

$$\frac{81103}{73} = 1111 = 11 . 101$$

ut adeo numeri 81103 factores ſint 73. 11. 101.

§. 20.

Si numerus $a$ non ſit primus, atque unitatem dividendo producat periodum $2m$ membrorum, ut ſit

$$\frac{10^{2m} - 1}{a} = \text{numero integro},$$

dico, ſingulos numeri $a$ diviſores, exceptis iis qui ſub forma $2p.5q$ continentur, periodum $2m$ membrorum eſſe producturos, quoties fuerit $m$ numerus primus, et

$$\frac{10^m + 1}{a} = \text{numero integro}.$$

Ponatur numeri $a$ diviſor quilibet $= b$, et factor alter $= c$, ut ſit

$$a = bc$$

Erit ergo

$$\frac{10^{2m} - 1}{a} = \frac{(10^m + 1).(10^m - 1)}{bc}$$

Ponas iam $b$ metiri ipſum $10^m - 1$. Quoniam vero $a$ metitur ipſum $10^m + 1$, patet, hunc numerum quoque diviſibilem eſſe per $b$. Habent itaque $10^m + 1$ et $10^m - 1$ communem factorem $b$. At vero $10^m + 1$ et $10^m - 1$, quoniam impares ſunt, et binario differunt, diviſorem communem habent nullum. Quare $b$ ipſum $10^m - 1$ metiri nequit. Quoniam ergo metitur ipſum $10^m + 1$, ac proinde ipſum $10^{2m} - 1$, patet, $b$ unitatem dividendo producere periodum $2m$ membrorum. Eſt enim $2m$ duplum numeri primi, adeoque in alias periodos non reſolubilis. Ita v. gr.

$$\tfrac{1}{91} = 0,010989,010989, \text{etc.}$$

producit periodum 6 membrorum. Cumque $\frac{6}{2} = 3$ ſit numerus primus, conſequens eſt, diviſores numeri 91, ſi quos

quos habet, unitatem dividendo, producere periodos 6 membrorum. Eſt vero $91 = 7 \cdot 13$, et

$$\tfrac{1}{7} = 0,\ 142857,\ 1428 \text{ etc.}$$
$$\tfrac{1}{13} = 0,\ 076923,\ 076 \text{ etc.}$$

§. 21.

Si numerus *a*, non primus, unitatem dividendo, producat periodum *m* membrorum, ſitque *m* numerus primus, diviſores numeri *a*, ſaltem unus eorum, producet periodum *m* membrorum, reliqui aut ſunt ternarius, aut novenarius, aut ex claſſe $2^p \cdot 5^q$. Hic enim periodorum longitudinem non mutant, atque ſi ſoli eſſent, vel ſeriem finitam, vel periodum μονόκωλον producerent. Quoniam vero periodus ponitur eſſe *m* membrorum, patet, alios inſuper adeſſe diviſores, ſaltem unum. Ponas vero plures adeſſe, et quoniam *m* eſt numerus primus, periodus *m* membrorum ex aliis minoribus conflata eſſe nequit. Quare ſinguli iſti diviſores periodum *m* membrorum producunt. Ita v. gr. numerus 4187, qui per 2, 3, 5 non dividitur, producit periodum 13 membrorum, cum ſit

$$\tfrac{1}{4187} = 0,\ 0002388344877,\ 0002388 \text{ etc.}$$

Quoniam ergo 13 eſt numerus primus, conſequens eſt, diviſores numeri 4187, ſi quos habet, itidem producere periodos 13 membrorum. Sit ex diviſoribus aliquis *b* numerus primus. Quoniam ergo producit periodum *m* membrorum, erit $b - 1$ multiplum ipſius *m* (§. 9.). Ponatur $b - 1 = n.m$, eritque

$$b = nm + 1$$

Quare in caſu exempli propoſiti oportet *b* ſit ex ſerie 14, 27, 40, 53, 66, 79 etc. Quoniam vero *b* eſt numerus primus, atque minor aſſumi poteſt radice quadrata numeri 4187,

Digitized by Google

4187, patet, ex hac ſerie unicum numerum 53 aſſumendum eſſe, quo, inſtituta diviſione, reperiri poſſit, an numerum 4187 metiatur. Reperitur vero

$$4187 = 53 \cdot 79$$

patet ergo et his caſibus, ubi *m* eſt numerus primus, diviſores facile reperiri.

§. 22.

Si numerus *a* per 2, 3, 5 non diviſibilis producat periodum *m n* membrorum, periodus iſta in alias minores reſolvi poteſt. Etenim $10^{mn} - 1$ dividitur per $10^m - 1$ aeque ac per $10^n - 1$. Ponamus *m*, *n* eſſe numeros primos. Quoniam ergo *a* neque $10^m - 1$, nec $10^n - 1$ metitur, aut primus eſt, aut utrique $10^m - 1$, $10^n - 1$ eſt commenſurabilis, aut factores habet, qui itidem producunt periodum *m n* membrorum. Caſu primo et tertio res liquet. Pro ſecundo ponatur $a = b\,c$, et *b*, *c* producant periodos *p*, *q* membrorum. Erit ergo $p < m\,n$ et $q < m\,n$. Unde cum *m n* debeat eſſe multiplum ipſius *p q*, et praeter *m*, *n* alios diviſores non agnoſcat, patet eſſe $p = m$, $q = n$. Producit ergo diviſor *b* periodum *m* membrorum, et diviſor *q* periodum *n* membrorum. Quare cum ſit

$$\frac{10^m - 1}{b} = \text{num. integro}$$

et

$$\frac{10^m - 1}{c} = \text{num. integro}$$

erit $10^m - 1$ et $10^n - 1$ ipſi *a* commenſurabilis. Ita v. gr. numerus 1517 producit periodum 15 membrorum, quae cum in periodos 3 et 5 membrorum reſolvi poſſit, pericu-

riculum fiat; an 1517 ſit ipſi $10^3 - 1$ et $10^5 - 1$ commenſurabilis. Reperitur vero

```
999|1517|1          1517|99999|65
   | 999|               |98605|
 518|999|1            1394|1517|1
    |518|                 |1394|
   481|518|1            123|1394|11
      |481|                |1353|
      37|481|13            41|123|3
        |481|                |123|
           0                    0
```

Sunt ergo 37 et 41 diviſores numeri 1517.

§. 23.

Si numerus *a* per 2, 3, 5 non diviſibilis producat periodum *mnp* membrorum, ſintque *m*, *n*, *p* numeri primi, periodus iſta in alias minores reſolvitur *m*, *n*, *p*, *mn*, *mp*, *np* membrorum. Quare eadem ratione fiat periculum, an numerus *a* ipſis $10^m - 1$, $10^n - 1$, $10^p - 1$, $10^{mn} - 1$, $10^{mp} - 1$, $10^{np} - 1$ ſit commenſurabilis. Hoc ſi fuerit, diviſores reperiunt. Quodſi vero nullo modo ſuccedat, numerus *a* aut erit primus, aut, ſi diviſores habet, ſinguli periodum *mnp* membrorum producent, eruntque uti §. 21. multiplum ipſius *mnp* unitate auctum. Ita v. gr. numerus 2449 producit periodum 195 membrorum, eſtque 195 = 3. 5. 13. Unde periodi minores erunt 3, 5, 13, 15, 39, 65 membrorum. Ex his tantum $10^{13} - 1$ et $10^{15} - 1$ reperiuntur ipſi 2449 commenſurabiles, ſuntque diviſores communes 31 et 79. qui ergo metiuntur numerum 2449. Similiter numerus 10001 quippe $= 1^4 + 1$, producit periodum 8 membrorum, quae in periodos 2, et 4 membrorum reſolvitur. At vero neque $10^2 - 1$ nec $10^4 - 1$ ipſi 10001 eſt commenſurabilis. Quare, ſi quos diviſores habet,

Q ſingu-

ſinguli periodos 8 membrorum producent, atque erunt numeri primi ex claſſe $8k+1$. Quare diviſione numeri 10001 per 17, 41, 73, 89, 97 $< \surd$ 10001 tentata, pro ſolo diviſore 73 ſuccedit, eſtque

$$10001 = 73 \cdot 137.$$

ut adeo et 73, et 137, periodos 8 membrorum producant. Similiter numerus 1000001 utpote $= 10^6 + 1$ producit periodum 12 membrorum. Et numeri 12 diviſores ſunt 2, 3, 4, 6, unde fiunt periodi 2, 3, 4, 6 membrorum. Videatur igitur, an $10^2 - 1$, $10^3 - 1$, $10^4 - 1$, $10^6 - 1$, ipſi 1000001 ſint commenſurabiles. Quod unico tantum caſu ſuccedit, reperiturque ipſi $10^4 - 1$, et ipſi 1000001 diviſor communis 101. Et eſt

$$\frac{1000001}{101} = 1901$$

Eſt ergo et 101 et 1901 numerus primus, et uterque producit periodum 10 membrorum. Simili ratione numeri 100001 reperiuntur factores 11 et 9091; et numeri 10000001 factores 11 et 909091.

## §. 24.

Si numerus $a$ unitatem dividendo periodum $m$ membrorum, atque $m$ non metiatur $a - 1$, vidimus ſupra (§. 12) $a$ non eſſe numerum primum. Habet ergo factores $b$, $c$, ut ſit $a = bc$. Quodſi iam $b$, $c$ unitatem dividendo producant periodos $p$, $q$ membrorum, erit vel $m = pq$ vel $pq$ erit multiplum ipſius $m$ (§. 10). Quoniam ergo $m$ non metitur $a - 1$, neque factum $pq$ metietur $a - 1$. Quare vel $p$, vel $q$, vel $p$ et $q$, erit ad $a - 1$ primus, et $m$ in periodos minores reſolvi poteſt. Singulis ergo his caſibus diviſores numeri propoſiti $a$ facile inveniuntur (§. 22). Ita v gr. numerus 1261 producit periodum 96 membrorum. At

vero

Digitized by Google

vero 96 non metitur $1261 - 1$. Quare numerus 1261 non eſt primus. Quoniam vero numeri 96 diviſores ſunt 1, 2, 3, 4, 6, 8, 12, 16, 24, 32, 48. totidem exiſtent periodi minores, ex quibus neceſſario ſaltem unica ipſi 1261 commenſurabilis eſt. Reperitur vero, inſtituto examine, commenſurabilem eſſe periodum 6 membrorum, cum 999999 et 1261 communi diviſore 13 gaudeant. Eſt ergo

$$1261 = 13 \cdot 97$$

§. 25.

Numerus primus $a$ ſit duplum numeri primi $b$ unitate auctum, ſive $a = 2b + 1$, erit (§. 8.)

$$\frac{10^{2b} - 1}{2b+1} = \text{numero integro.}$$

Quodſi ergo $2b + 1$ unitatem dividendo producat periodum quae ſit $< 2b$ membrorum, iſta vel nullla, vel unius, vel 2, vel $b$ membrorum erit. At inter numeros primos nonniſi 11 periodum bimembrem producit, et periodus unius membri inter numeros primos ſoli ternario debetur. His ergo caſibus exceptis, periodus erit vel $b$, vel $2b$ membrorum, adeoque omnium maxima. Ita v. gr.

| | | |
|---|---|---|
| $2 \cdot 3 + 1 = 7$ | dat periodum | 6 membrorum |
| $2 \cdot 11 + 1 = 23$ | . . . . . . . . . | 22 |
| $2 \cdot 23 + 1 = 47$ | . . . . . . . . . | 46 |
| $2 \cdot 29 + 1 = 59$ | . . . . . . . . . | 58 |
| $2 \cdot 41 + 1 = 83$ | . . . . . . . . . | 82 |
| $2 \cdot 53 + 1 = 107$ | . . . . . . . | 106 |

etc.

Contra ea

| | | |
|---|---|---|
| $2 \cdot 1 + 1 = 3$ | . . . . . . . . . . | 1 |
| $2 \cdot 2 + 1 = 5$ | . . . . . . . . . . | 0 |
| $2 \cdot 5 + 1 = 11$ | . . . . . . . . . . | 2 |

Et

| | | |
|---|---|---|
| $2 \cdot 113 + 1 = 227$ | . . . . . . | 113 |

Q 2 §. 26.

Digitized by Google

§. 26.

Sint numeri primi $2a+1$, $2b+1$, prior unitatem dividendo producat periodum $A$ membrorum, alter periodum $B$ membrorum, et qui inde fit $(2a+1).(2b+1) = 4ab + 2a + 2b + 1$ producat periodum $C$ membrorum; erit $2a$ vel $= A$, vel eius multiplum, et $2b$ vel $= B$, vel eius multiplum (§. 9.). At vidimus, $C$ non ſemper metiri ipſum $4ab + 2a + 2b$. Quo ergo inveſtigentur conditiones, generaliſſime ponemus

$a$ eſſe factum ex numeris primis $tmnpqr$.
$b$ . . . . . . . . . . . . $tmnPQR$.

erit ergo

$$2a = 2tmnpqr.$$
$$2b = 2tmnPQR.$$

Factores iſti prout caſus tulerit ponentur $= 1$, et ſi plures dentur, ſub his ſubintelligi poterunt. Ita v. gr. ſi $a$, $b$ ſint inter ſe primi, fiet $t = m = n = 1$. Si $b$ ſit multiplum ipſius $a$, fiet $p = q = r = 1$. Et ſi $a$ vel $b$ vel uterque ſit primus, ad $p$ vel $P$ reducitur, poſitis reliquis factoribus $= 1$. Iam ponatur

$$A = (2)\ tmpq$$
$$B = (2)\ tnPQ$$

binarium parentheſi includendo, quoniam quandoque abeſt, quandoque retinetur, quod fit quandocunque $\frac{2a}{A}$ vel $\frac{2b}{B}$ eſt numerus impar. Quoniam dantur caſus, quibus $\frac{2a}{A} < a$ et $\frac{2b}{B} < b$, his caſibus quidam ex factoribus ipſius $a$ vel ipſius $b$ valorem $A$ vel $B$ non ingrediuntur. Hanc ob cauſam

Digitized by Google

ſam in valore $A$ omiſſum vides factorem proprium $r$ et communem $n$, ſimilique ratione in $B$ omiſi factorem proprium $R$ et communem $m$. Ponas enim eos non eſſe omittendos, cenſeri poterunt eſſe $= 1$, adſunt enim factores eorum vices tuentes. Iam ponetur (§. 10)

$$C = (2)\ tmnpqPQ.$$

In hoc valore (2) omittitur, ſi in utroque valore $A$, $B$ omittatur, reliquis caſibus retinetur. Erit ſubſtitutis valoribus

$$\frac{(2a+1)(2b+1)-1}{C} = \frac{4tmnpqr.tmnPQR + 2tmnpqr + 2tmnPQR}{(2)\ tmnpqPQ}$$

$$= \frac{4rtmnR}{(2)} + \frac{2r}{(2)\ PQ} + \frac{2R}{(2)pq}$$

Patet ergo, diviſorem (2) etiamſi retineatur, non impedire, quo minus haec expreſſio ſit numerus integer. Pars eius prima

$$\frac{4\ ArtmnR}{(2)}$$

neceſſario eſt numerus integer, quare quaeſtio ad alteram partem

$$\frac{2r}{(2)PQ} + \frac{2R}{(2)pq}$$

ſive ſimpliciter

$$\frac{r}{PQ} + \frac{R}{pq}$$

reducitur. Haec vero fractio nunquam eſt numerus integer, niſi uterque diviſor ſit $= 1$, adeoque

$$A = (2)\ tm.$$
$$B = (2)\ tr.$$

 Quodſi

Quodſi ergo in valoribus $A$, $B$ deſint factores proprii ipſorum $a$, $b$, erit

$$\frac{(2a+1).(2b+1)-1}{C} = \text{numero integro}$$

reliquis caſibus, iisque longe frequentiſſimis, non erit

$$\frac{(2a+1).(2b+1)-1}{C} = \text{num. integro.}$$

Ita v. gr. $\frac{1}{41}$ producit periodum 5 membrorum, et $\frac{1}{101}$ periodum 4 membrorum. Eſt ergo

$$\begin{array}{ll} 2a+1=41 & 2b+1=101 \\ a=20=2^2.5 & b=50=2.5.5 \\ A=5 & B=4 \end{array}$$

Quare

$$\begin{aligned} (2)\,a &= (2)\,tmnpqr \\ &= (2)*5.2**2 \\ (2)\,b &= (2)\,tmnPQR \\ &= (2)*5.2**5 \end{aligned}$$

Hinc

$$\begin{aligned} A &= (2)\,tm*pq* \\ &= **5**** \text{ Hic enim omittitur } (2) \\ B &= (2)\,t*nPQ* \\ &= 2**2***=4.\text{ Hic enim retinetur } (2) \end{aligned}$$

Quoniam ergo $p=q=P=Q=1$, patet eſſe

$$\frac{(2a+1).(2b+1)-1}{C} = \text{numero integro.}$$

Quod facile examini ſubiicitur. Nam cum

$\frac{1}{41}$ producat periodum 5 membrorum

$\frac{1}{101}$ : : : : : 4 : : : :

conſe-

conſequens eſt (§. 10)

$\frac{1}{41} \cdot \frac{1}{101} = \frac{1}{4141}$ producere periodum 20 membrorum. Sed

$$\frac{4141-1}{20} = \frac{4140}{20} = 207 = \text{numero integro.}$$

§. 27.

Ex his, quae hactenus de ſeriebus decimalibus expoſui, plurima ſunt quae et aliis progreſſionibus adplicantur. Decimales propterea reliquis praetuli, quod ſyſtema numericum iis eſt accommodatum. Hoc unum notabo, alias plerumque prodire periodos, ſi alia aliaque aſſumatur progreſſio. Ita v. gr. ſupra vidimus (§. 16.)

$$\frac{1}{13} = 0,\ 076923,\ 076923,\ 0 \text{ etc.}$$

in ſyſtemate decimali dare periodum tantum 6 membrorum, ut adeo hinc colligi nequeat, an 13 primus ſit nec ne? (§. 11). At vero, ſi loco progreſſionis decimalis adhibeatur dyadica

$$1,\ 2,\ 4,\ 8,\ 16,\ 32 \text{ etc.}$$

periodus duodecim membrorum emerget, atque inde colligitur, 13 eſſe numerum primum. Eſt enim, reſidua duplicando, et ſi 13 exundant, 13 abiiciendo, reſiduorum ſeries

1, 2, 4, 8, 16
    3, 6, 12, 24
        11, 22
            9, 18
                5, 10, 20
                    7, 14
                        1, 2 etc.

Sic et pro quovis numero primo $a$ dantur progreſſiones

$$1,\ m,\ m^2,\ m^3,\ m^4, \text{ etc.}$$

quae

quae periodum producant $n - 1$ membrorum, quod cum de numeris compoſitis nunquam locum habeat, patet, et hinc peti poſſe numerorum primorum criterium. Denique ſi in ſerie decimali duo numeri primi, uti v. gr. 41 et 271, aequalem periodum 5 membrorum producant, alia adhibita progreſſione periodos producent inaequales. Simili ratione rarior ille caſus numeri 4141, qui in ſyſtemate decimali periodum producit 20 membrorum, ceu partem aliquotam ipſius 4041 — 1, (§. 25) alia aſſumta progreſſione ſpeciem numeri primi mentiri deſinit. Etenim in ſyſtemate dyadico periodum producit 100 membrorum, et cum

$$\frac{4141 - 1}{100} \text{ non ſit} = \text{numero integro,}$$

hinc utique liquet, numerum 4141 non eſſe primum.

*COMMENTARIUS IN MALACHIAM, CUM EXAmine critico verſionum veterum, et lectionum variarum Houbigantii. Accedit ſpecimen Bibliorum Polyglottorum, Auctore CAROLO FRIDERICO BAHRDT, Profeſſore Erfordienſi.*

Lipſiae, ex Officina Heinſia, 1768. plagg. 10. cum praef. octonis.

De huius commentarii indole ut eo accuratius dicamus, videndum eſt primo de prolegomenis ei praefixis. In his autem conſultum duxit Cl. *Bahrdtius* plane tacere de *auctore* libri, de *nomine* et *aetate* Malachiae, de *ſtatu Iudaeorum*, quem haec prophetia reſpicit, de *divina libri auctoritate*, aliisque eius generis rebus. Haec enim omnia, ab iis, qui vel in univerſam Scripturam Sacram introductiones dederunt, vel in ſingulos Scripturae libros commentati ſunt, copioſe expoſita reperiuntur. Solum igitur huius libri argumentum

tum

Digitized by Google

tum propoſuit Auctor Lectoribus, quod rectius et accuratius, quam quidam vulgarium interpretum, aſſecutus eſſe videtur. Sententia autem *Bahrdtii* eſt haec: Malachiam, reliquorum Prophetarum more, libellum ſuum non uno eodemque tempore litteris mandaſſe, ſed, ſingulis orationibus ad populum habitis, ſingularum ſummam domi deſcripſiſſe, et demum in unum Volumen collegiſſe.

Hinc in quatuor partes totum Malachiae libellum deſcripſit *Bahrdtius*. I) In prima reprehendit Propheta populi Iudaici, et potiſſimum Sacerdotum, in negligendo cultu Dei publico, impietatem, atque de violato foedere Levitico, Dei nomine queritur, Cap. I. usque Cap. II, 10. II) Alio tempore ſermonem habuit de matrimonii iuribus non violandis, v. 10-16. Cap. II. — III) Poſtea quum profanorum hominum improbitas latius proſerperet, adeo ut magna Iudaeorum pars, fidem in promiſſiones de redemtione generis Iudaici per Meſſiam futurum fere dimitteret, atque ad Naturaliſmum declinaret, duabus orationibus graſſanti malo ſuccurrere iuſſus eſt. Itaque a Cap. 2, 17. usque ad Cap. 3, 12. horum rationes exponit, et refutat, repetitis de Meſſia et *redemtore*, et *iudice*, vaticiniis. IV) Hoc argumentum perſequitur Propheta a Cap. III, 13. usque ad finem. Atque haec de Prolegomenis dicta ſunto.

Progredimur ad Commentar. ipſum. Ac primum *Bahrdtius* latinam Malachiae verſionem dedit, quae et ſenſum diligenter exprimit, et ſatis eleganter ſcripta eſt. Quod ut confirmemus, verſiculos aliquot huius verſionis apponimus. Priora capitis primi commata ita verſa ſunt: *Oracula divinitus edita per Malachiam, quibus Iſraelitae graviter admonentur, poenaeque iis nuntiantur. Iova, amore, inquit, ſingulari vos amplexus ſum. Sed vos ne agnoſcere quidem velle videmini beneficia, quibus praecipuum hunc amorem ſignificavi. Ac ſi neſciretis, Iſaacum meum Idumaeorum aeque ac Iudaeorum patrem exſtitiſſe — ait Iova. Quod quum ita ſit, cur vos tamen Iſraelitas*

*litas adeo amavi ut Idumaeos negligerem? Nam eorum non ſolum regionem dirui vaſtarique iuſſi, ſed etiam, quamvis regiones vaſtatas reſtituere olim conentur, ita eos prohibere a conatu decrevi, ait Iova, dominus univerſi, ut, ſi quae reaedificent, denuo ea deſtruam, adeo ut nunquam deſinant vocari regio a Diis maledicta ſcelerum cauſa. Et haec ipſi olim experiemini, et potentiam bonitatemque Dei celebrabitis, quod fines adeo veſtros amplificaverit*, etc.

Quae verſione latina diligenter explicuit *Bahrdtius* Malachiae verba, de iis uberius in notis egit. Notae vero duplicis ſunt generis; aliae ſunt philologicae, aliae criticae. Philologicae ſenſum verborum e natura et legibus linguae accurate et copioſe eruunt. Interdum verba paullo fuſius, quam locus poſtulare videbatur, explicantur. Sed longior fuit *Bahrdtius* in eruendis quibusdam vocum ſignificationibus eam ob cauſam, quod Lexica vulgaria in docendis vocum originibus tam ieiune interdum verſantur, ut ſanior interpres ad eiusmodi digreſſiones ſe abripi facile patiatur. Bonam harum obſervationum indolem vel ex eo elucere arbitramur, quod Auctor ipſe fatetur, ſe eas non ſolum uſui proprio, cuius iam erudita aliquot ſpecimina exhibuit, ſed etiam doctrinae Grotii et Fiſcheri noſtri, debere. En obſervationum philologicarum ſpecimina quaedam. Cap. I, 1. משא quum a *ferendo* dicatur, et *onus* quod quis fert, et *ſententiam* a iudice *prolatam*, ſignificat. Dici autem hanc vocem monet *Bahrdtius* in utramque partem, atque tum demum malo ſenſu ſumi, ubi על ſequatur, pro quo אל h. l. ita ut משא אל־ישראל ſit: *ſententia gravis de reprehendenda Iſraelitarum impietate atque potisſimum ingratitudine.* Quae eſt Cap. I, 2. verborum אהב et שנא explicatio, ea egregie facit ad explicandum vexatum illum Rom. IX, 13. locum: τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα. Namque אהב eſt *praeponere*, שנא vero, vi oppoſitionis, non *odiſſe*, ſed *poſthabere*, *negligere*. — יהוה צבאות nihil aliud eſt quam Iova dominus univerſi.

Nam

Nam צבא non copiam hominum vel ſpiritum tantum notat, ſed quamcunque multitudinem rerum, etiam inanimatarum, Graece παντοκράτωρ. — Diligenter admodum expoſitae ſunt notiones vocum in v. 6. Cap. I. occurrentium. Sic de verbo אב dicit, id apud orientales aeque ac apud Graecos et Latinos, pro *auctore gentis* ſumi. Hinc in V. T. de Deo rarius dici. Spiritualem vero τοῦ אב, πατρὸς, notionem, novo Teſtamento propriam, ibi locum non habere. De verbo ארנים monet, ſi quis velit ex eo probare pluralitatem perſonarum, ei fatendum eſſe, ſe numquam libros Hebraeorum legiſſe. Primum enim ארנים poni in reſpectu ad ארנין, de quo antea dixit. Deinde אני dici, non אנחנו, quod tamen poni debuiſſet, ſi pluralis ad Deum pertineret. Deum tantum dicere voluiſſe, ſe cum Iudaeis eſſe in eadem relatione, in qua ſint ſubditi erga magiſtratus: *bin ich nicht eure Obrigkeit?* ita ut pluralis ponatur ideo, quia Deus erat ארנים, i. e. magiſtratuum omnium inſtar. Non minus lubrica *Bahrdtio* videntur eſſe argumenta, quae e voce אלהים ducuntur; longeque aptiora putat ea, quae verbis pluralibus et ſubſtantivis cum ſuffixis pluralibus nitantur. — Cap. I. v. 8. phraſis haec: שת פני פלני, *tollere faciem alterius*, explicatur, triplicemque habere ſignificationem allatis locis probatur. Denotat: 1) *revereri*, 2) *benevole excipere* deprecantem, vel munera ferentem, 3) *Favere* ex lucri aut partium ſtudio. Cap. II. v. 3. locum valde obſcurum: ונשא אתכם אליו, reiectis aliis verſionibus, ita vertit *Bahrdtius: hoc feret vos ad ſe*, i. e. *haec ignominia cum tanta egeſtate efficiet, ut culpam agnoſcatis, vosque ſtulide egiſſe intelligatis.* Hanc interpretationem cum e legibus linguae, tum e ſequentibus verbis, וידעתם, probat. Cap. II. v. 7. verba כהן et מלאך vir doctiſſimus in numero plurali ſumit, et de miniſtris Dei in univerſum explicat. At nos perſuadere nobis auſimus, eſſe h. l. deſcriptionem inſignis legati ad Levitas miſſi, ut pactum illud, de quo ſermo eſt, renovaret. Atque is legatus videtur nobis Eſras eſſe, quoniam



Digitized by Google

omnes characteres optime in eum conveniunt; cuius libri lectionem in hoc Propheta explicando inprimis utilem putamus. Cap. II, 10. miratur *Bahrdtius*, viros quosdam doctos per אב Iacobum intelligere, quum tamen primum Deus ſupra Cap. I, 6. hoc nomine inſigniatur; deinde analogia membrorum requirat, ut idem ſubiectum intelligatur in propoſitione priori, *quod* in poſteriori, et vice verſa. — Cap. II, 15. recte ſtatuere cenſemus *Bahrdtium*, voce אחד intelligi Abrahamum. Verſum ita latine reddit: *Certe primus et unus ille, magnae poſteritatis parens, hoc veſtro more non egit, quamvis vigoris ſatis haberet reliquum. Nihil enim ille voluit, quam ut larga poſteritas a Deo promiſſa obtineretur. Vos itaque cohibete libidinem veſtram* etc. Nos tamen hunc locum ita interpretari malimus, ut dicamus, exceptiones Iudaeorum primum afferri, et deinde iis reſponderi. Atque ita ſenſus eſſet hic: *Nullus ne hoc fecit ſalva tamen virtute ſua?* Haec ſunt verba Iudaeorum ſe excuſantium, afferentiumque exemplum Abrahami, praeter unam aliam quoque ducentis uxorem in matrimonium. Reſponſio Prophetae: *Sed cur fecit ille unus? quaerebat ſemen Dei*, i. e. promiſſum a Deo filium. Longe alia fuit veſtra et Abrahami conditio: vos hoc facitis libidinis cauſſa, Abraham, ut promiſſum a Deo filium acciperet. Hac ratione nos רוח explicamus per *virtutem, excellentiam*, quae ſignificatio ſaepius in Scr. S. occurrit. — Cap. III, 1. 2. ſſ. diligenter explicatur celebre illud de Ioanne, Chriſti praecurſore, vaticinium. Sic placent quae v. 2. de παρουσία Chriſti diſſerit, quam in N. T. plerumque denotare dicit *inſtructionem regni gratiae*, factam 1) *per redemtionem humani generis;* 2) *per deſtructionem reipublicae Iudaicae, et gentium adoptionem*. Verſu 3. huius capitis ſcite exponitur verbum ישב, quod dicitur cum de *iudicibus*, tum de *doctoribus*, aliquoties etiam de *artificibus* in officina occupatis. Sed id h. l. notaſſe, non ſufficere putat *Bahrdtius*. Nam, ut bene monet, ſaepe, ubi ipſa actio ſequitur, ut h. l. *ſedendi*, vim fere amittit, et nihil indicat

quam

quam hoc, eum, qui dicitur שבת *ſedere, iam in re tractanda occupatum eſſe, eum rem ſerio agere et ſedulo.* Hinc ita vertit h. l. *in eo ſedulo occupatus erit.* — Cap. III, 3. per בני לוי non, ut Druſius vult, eccleſiam Chriſtianam, ſed omnes eccleſiae Meſſianae omnium temporum doctores intelligit. Cap. III, 15. phraſin בחן אלהים recte exponit, per *ſceleribus ſe dare, reluctante conſcientia, eo tamen animo, ut videas, an Deus te ſit puniturus, cum id tibi nolis perſuadere.* Eodem Cap. v. 18. verbum שוב de converſione a quibusdam, v. c. ab ipſo Grotio, explicatur. Sed recte tradit Auctor, שוב ſequente verbo, exprimere *iterationem*, et mox per *iterum*, mox per *re*, verti poſſe. Itaque h. l. vertit: *tunc denuo videbitis* etc. — V. 23. נורא non *tremendus*, ſed *reverendus, illuſtris*, recte redditur. Atque haec ſufficiant de notis Philologicis, quas non eſſe contemnendas, vel pauca haec, quae dedimus, ſpecimina, luculenter demonſtrant.

Accedimus ad alterum notarum genus, hoc eſt criticas, ſeu eas, quae in ſanitatem lectionis inquirunt. Examinavit autem *Bahrdtius* varias et Houbigantii, et Verſionum veterum ſcripturas. Naturam indolemque huius generis notarum non accuratius deſcribere nos poſſe arbitramur, quam referenda *Bahrdtii* ſententia, qua notae iſtae nituntur. Et primum Syriacam verſionem Polyglottorum quibusdam in libris cum Alexandrina mirifice convenire dicit, ut adeo ſuſpicetur, eius auctorem Alexandrinos in vertendo ſecutum eſſe, et modo Codicem Ebraicum ad manus habuiſſe, quem in iis locis, ubi lacuna eſſet in Alexandrinis, aut verſio ipſi ſuſpecta, conſuleret. Quod eos facilius conceſſuros eſſe putat, qui ſtatuunt, Verſionem Vulgatam ex Alexandrina confectam eſſe, et qui in hoc Malachiae libello Syriacam cum Vulgata conferre velint. Nam in eo certe utraque haec verſio ubique fere conſentit. Contendit quoque, Arabicam e Graeco fuiſſe confectam. Et omnino pronus eſt in eam ſententiam, ut putet, verſionum Veterum

plerarumque auctores, exceptis Chaldaeo, Aquila, et Symmacho, Alexandrinam ſecutos fuiſſe. Et recte quidem. Sed quum omnes illae Verſiones hodie valde corruptae et interpolatae ſint, diligenter eae diiudicandae ſunt. Cui negotio feliciter peragendo, ſequentes *Bahrdtius* conſtituit regulas. Primo loco conferendam eſſe praecipit verſionem Alexandrinam cum Ebraeo, atque, ne omnis eius diſcrepantia pro variae ſcripturae indicio habeatur, cavendum. Videndum porro quid habeant ii, qui Alexandrinam ſecuti ſunt. Arabicae verſionis minimam eſſe auctoritatem dicit, quum recentioribus temporibus confecta ſit, et coeco pede Alexandrinae vitia ſequatur, quod manifeſte e locis apparet, ubi utramque inter ſe contulit. Eo magis autem animadverti debere ſuadet Arabicae a Graeca diſſenſum, quem certiſſime indicare perhibet, in verſione Graeca legendum eſſe aliter. Poſt Arabem Syrum conferendum eſſe docet. Hic ubi ab Alexandrina diſſentit, nihil habet auctoritatis pro ſtabilienda coniectura; Alexandrinam eſſe corruptam, niſi in iis locis, ubi ſimul a Chaldaeo et Ebraeo diſcedit, Vulgatumque ſequitur; nam tum pondus diſſenſum habere arbitratur. Et ſaepius ſe animadvertiſſe refert, Syrum, ubi haeſerit in verbis Alexandrinorum, Chaldaeam paraphraſin, aut ipſum textum Hebraeum conſuluiſſe. Atque eiusmodi diſſenſus nullam vim habet, in criticis ſuper Alexandrina verſione animadverſionibus. Contra vero ubi Syrus ab Ebraeo textu aeque ac Chaldaica paraphraſi omnino abhorret, et cum ſolo Vulgato, vel Arabe convenit, ibi Alexandrinos ſecutus eſſe iure cenſetur. Ac de hac re ita quidem monet *Bahrdtius*, ut, ubi Syrus cum hodierno Alexandrino textu conveniat, tum textum Alexandr. genuinum et purum eſſe certiſſime colligatur; ubi vero ab eo diſſentiat, tum etiam textum Alexandr. olim aut aliter iacuiſſe aut lacunam habuiſſe, manuque medica indigere, ſtatuatur. Denique, ubi Syrus, Arabs, et Alexandrini conſentiant, ibi Vulgatam verſionem, ſi ſimiliter ab Ebraeo aliena ſit, pro ſana

non

Digitized by Google

non habendam, ſed reſtituendam eſſe arbitratur. Has *Bahrdtii* obſervationes uberius referre placuit: quum et per ſe ſint dignae, quae accuratius conſiderentur; et indolem notarum criticarum, in hoc Malachiae commentario occurrentium, prodant. Ex his enim placitis, Verſiones, cum Alexandrinam, tum reliquas examinavit, emendavitque. In examinanda Vulgata adhibuit varias ſcripturas, quas Blanchinus, in *Vindiciis, Canonicarum ſcripturarum Vulg. lat. editionis*, è Codice Toletanae eccleſiae, litteris Gothicis exarato, dedit. Houbigantii lectiones, non infeliciter, multis in locis examinantur. Praecipue animadvertit *Bahrdtius*, in viro hoc doctiſſimo, quod varias quaſcunque ſcripturas, quas vulgari lectioni praefert, ex ſcriptionis ſimilitudine, quae inter utramque lectionem eſſe cernitur, derivare ſoleat, et fere raro in illud coniecturarum genus incidat, quo gloſſae, e marginibus textui illatae, indagantur et reiiciuntur. Certe *Bahrdtius* hoc coniecturarum genere ſaepius uſus eſt, e. g. in vexato illo loco Cap. I, 12. וניבו נבזה אכלו. Verbum enim אכלו e margine in textum illatum eſſe monſtrat. Plura vero examinis veterum verſionum exempla dare poterimus tunc, cum altera Hexaplorum Origenis pars edita fuerit.

Reſtat ut de *Appendice* aliquid dicamus, in quo ſpecimen bibliorum Polyglottorum dedit. Huius quidem ſpeciminis rationes eo redeunt, ut Verſio Alexandr. integra deſcribatur; ut diverſitate litterarum eius ab Ebraeo diſſenſus ſignificetur; denique, ut huic verſioni Vulgata, Syriaca, Arabica, cum Chaldaea et reliquis Orientalibus, ſubiiciatur, nempe iis modo in locis, ubi ſingulae ab Alexandrina diſcedunt. Et talis quidem editio commoda non levia haberet. Primum enim magna bibliorum Polyglottorum moles ad exiguum opus redigeretur, et parceretur ſumtibus emtorum mirifice. Porro verſiones omnes in quovis loco ſimul conſpici, atque, ubi cum Ebraeo conveniant, ubi minus, iudicari

Digitized by Google

cari poſſet. Nam abſentia earum de conſenſu, praeſentia vero de diſſenſu Lectorem ſtatim moneret. Deinde, quod magni momenti videtur *Bahrdtio*, viri docti, talis editionis ope, celeri negotio de univerſa natura verſionum iudicare, et v. c. in quibus libris Alexandrini ab Ebraeo magis minusve diſcedant; quarum verſionum auctores, et in quibus libris, Alexandrinos fuerint ſecuti; quae verſiones cum aliis verſionibus magis minusve conſpirent; et alia multa intelligere, aliosque docere poſſent. Speciminis cauſſa Pſalmus primus, ea, quam diximus, ratione, exhibitus eſt.

Ceterum, hoc quoque commentario Cl. *Bahrdtium* non levem linguarum orientalium, et philologiae, quam ſacram vocant, peritiam demonſtraſſe, lubenter profitemur.

## *MISCELLANEA PHILOSOPHICO MATHEMATICA Societatis regiae Taurinenſis, TOMUS III. ad Annos 1762 - 1765.*

Taurini ex typographia regia, 1766. pagg. 396. cum ſeptem tabulis aeneis, in 4.

Tertio hoc Societatis Taurinenſis Miſcellaneorum Tomo occurrit primo: *Maqueri*, Viri Cl. disquiſitio, de diverſa ſalium neutrorum ſeu mediorum diſſolubilitate in ſpiritu vini, una cum obſervationibus de diverſis his ſalibus. Cum claſſis horum corporum compoſitorum admodum ſit vaſta, tantum abeſt ut omnia ſint cognita, ut potius magnus eorum numerus ſuperſit adhuc, quae chymici nondum viderunt, multo minus eorum proprietates eruerunt; quinimo nec maxime communes ſalium neutrorum affectiones ſunt cognitae atque perſpectae. Quare Auctor Cl. maxime memorabilem atque utiliſſimam horum ſalium proprietatem, nempe diſſolubilitatem maiorem minoremque, expen-

expendendam ſibi ſumſit, cum ea non ſolum eorum naturam declaret, ſed ex ea etiam phaenomena cryſtalliſationis derivanda veniant. Plures iam Chymici eam conſiderarunt, atque definiverunt ea ſalia, quae aqua diſſolvuntur: ſed non ſola aqua actionem in ea exercet. Cognitum enim eſt rei peritis, ſpiritum vini aeque ac aquam menſtruum eſſe aptum ad diſſolvenda multa, imo plura ſalia, quam aquam; nemo vero, ex mente Cl. Auctoris, ea ſalia, quae ſpiritu vini diſſolvuntur, accurate conſideravit, quantitatemque, qua ſpiritus vini ſaturatur, determinavit, ſed in genere ſolum nonnulli affirmarunt, dari certa ſalia, ut terram foliatam ſedativam, etc. quae ſolvuntur a ſpiritu vini. Auctor Cl. itaque ſpecialius conſiderat Tartarum vitriolatum, nitrum ordinarium, ſal Glauberi mirabile, nitrum quadrangulare, ſal commune, ſal ammoniacum vitriolatum, ſal ammoniacum nitratum, mercurium ſublimatum corroſivum; aliaque eiusmodi ſalium neutrorum genera luculentius conſiderat, indubitatisque experimentis docet, quibus conditionibus ſpiritus vini ſit eorum menſtruum. II) *Iohannis Franciſci Cignae* diſſertatio, de novis quibusdam experimentis electricis. Occaſione eximiae verſionis gallicae Symmeriani libri, quam Nolletus Vir Cl. novis ac ingenioſis experimentis auxit, et in quibus illud maximopere oſtendit, quod in cruralibus per frictionem excitatis, et in vitris electricitatem ex communicatione habentibus, oppoſitae electricitates ſeiunctae et diſtinctae exhibeantur, Cl. Auctor multa collegit eodem ſpectantia. Capite igitur I. agit de frictione binarum taeniarum ſericearum eiusdem coloris: Capite II. de frictione binarum taeniarum ſericearum, oppoſitis coloribus infectarum; tum de Symmeriana cruralium electricitate loquitur. Cap. III. exponit de conſtanti taeniarum electricarum ad leves ſuperficies adhaeſione: Capite IV. de phaenomenis tubi aere vacui, aut deferentibus corporibus pleni, differit, deque analogia cruralium, oppoſitas electricitates habentium, cum onerato vitro; item de

S tenaci-

tenacitate electricitatis in coercentibus. Cap. V. De armaturarum officio in onere vitrorum, aliorumque coercentium. Tandem cap. VI. de contrariarum electricitatum natura diſſeritur. III) De actione calcis vivae in diverſa corpora, Auctore ill. Comite *Saluce*. IV) *Eiusdem* experimenta ad cauſas inveniendas mutationum, quae Syrupus violarum per mixtionem diverſorum corporum ſubit. V) *Iohannis Baptiſtae Gaber* Specimen tertium de humoribus animalibus. Cum experimenta de ſpontanea humorum mutatione Cl. Auctor inſtitueret, paulatim eo deductus eſt, ut varias etiam partes exploraret, quibus humores ſecundum naturam efficiuntur, atque adeo productiones varias, tum albuminoſae partis, quae ſerum conſtituit, tum lymphaticae et aqueae, ad examen revocaret; hinc in praeſenti diſſertatione varia de Ruyſchiana membrana, de flocculis, quos in calida miſſus ſanguis gignit, de fibroſa baſi cruoris inſulam efformante, de ſale ſanguinis eſſentiali, tentamina nata, Auctor Cl. deſcribit. VI) *Caroli Allioni* ſtirpium aliquot deſcriptiones, cum duorum novorum generum conſtitutione. Deſcribitur primo Ortegia dichotoma axillis ramorum unifloris: ſecundo Baſſia: tertio Lindernia: quarto Viola acaulis foliis palmato multifidis et laciniatis. VII) Manipulus inſectorum Taurinenſium a Carolo Allionio editus. VIII) *Iohannis Petri Mariae Dana*, de hirudinis nova ſpecie, noxa, remediisque adhibendis, diſſ. IX) *Eiusdem* de quibusdam urticae, marinae vulgo dictae, differentiis obſervatt.

Claſſis mathematica continet: I) Dilucidationes problematis de motu chordarum vibrantium, Auctore *Eulero*. Omnes, qui ſolvendo huic problemati de chordis vibrantibus ſe accinxerunt, illud ſub tribus conditionibus ſolummodo conſiderarunt: harum prima in eo conſiſtit, ut chorda duabus extremitatibus fixa, ac per quamcunque vim tenſa, concipiatur; altera vero motum huiusmodi tenſae chordae admo-

Digitized by Google

admodum parvum eſſe, ita ut figura, quam chorda motu eo conſequitur tempuſculo quocunque, ſit curva, cuius ſemiordinatae infinite parvae; tertia vero ſupponit, motum cuiuscunqe elementi chordae fieri ſemper ſecundum eandem applicatam. Generalius quidem poſſet tractari hoc problema; ſed generaliores hypotheſes ad calculum deducunt ita complexum atque compoſitum, ut nihil exinde concludi poſſit. Quare ill. *Eulerus* ſub his legibus ex principiis dynamicis ſolutionem eiusdem exhibet, non ſolum poſitis chordis aequaliter craſſis, ſed etiam craſſitudine earum inaequali concepta. II) Eiusdem Cl. *Euleri* legitur integratio aequationis differentio-differentialis, in qua tres variabiles quantitates occurrunt. III) *Eiusdem* Viri Cl. disquiſitiones ſequuntur de conſtruendis teleſcopiis ex quinque vel ſex lentibus, deque eorum perfectione promovenda. Cum haec theoria abſolvatur nonnullis formulis algebraicis, volumine decimo tertio Commentariorum Academiae Berolinenſis demonſtratis, huic eas loco, ne lectores ad eas inde petendas cogerentur, liberali atque prudenti conſilio, inſeruerunt Academici. IV) Clariſſimus *de la Grange* diverſa problemata, calculum integralem concernentia, conſiderat, eorumque occaſione, I motum fluidorum; II) chordas vibrantes expendit. III) generalem tradit methodum determinandi motum ſyſtematis quorumcunque corporum, quae in ſe invicem agunt in ſuppoſitione, quod haec corpora non niſi infinite parvas oſcillationes circa punctum aequilibrii peragant. IV) Hanc deinceps ſolutionem quarti problematis ad chordas ſonantes applicat; et dein V) Theoriam perturbationum Iovis et Saturni, ex eorum attractione mutua et reciproca expendit, formulisque circumſcribit, ex iisque eruit earum tabulas in numeris. Claſſem hanc, omnemque Tomum, claudunt excerpta ex diverſis *Lamberti* litteris, annis 1764. et 1765. ad Cl. de la Grange datis. Nos quidem vehementer optamus, diutiſſime Commentarios hosce, doctis hominibus omnibus,

inque his Phyſicis potiſſimum et Mathematicis, exoptatiſſimos, continuari.

---

## *NOVA LITTERARIA.*

### *De Primi Abitatori dell' Italia, Opera Poſtuma del Padre STANISLAO BARDETTI, della Compagnia de Geſu, Teologo di S. A. S. il Signor Duca di Modena. PARTE PRIMA, in 4. gr.*

De *Primis Italiae Incolis* Opus poſthumum, a *Bardetto*, Viro doctiſſimo, olim ſummo ſtudio conſcriptum, nunc typis exſcribendum ſuſcepit Typographus Mutinenſis, *Montanarius*, et conſilii, quod hac in re cepit, rationem ſingulari Programmate expoſuit, quod hic latine converſum cum eruditis communicamus, ut, quale ſtatuendum huic operi pretium ſit, cognoſcere aliquo modo et diiudicare poſſit. Ita vero ſcribit Montanarius.

„Quo difficiliores explicatu ſunt Origines gentium, et ſpiſſis ſaepenumero involutae tenebris, eo magis non ſolum curioſitatem Eruditorum excitarunt, ſed etiam barbarorum hominum attentionem, qui meliora ignorantes, maiores ſuos vel terrae filios fuiſſe, vel coelo delapſos credidere, omni tempore in ſe traxerunt. Hinc tantae Numinum generationes, et fabulae phyſicae natae ſunt, quibus ignorantia hominum tam diu nutrita eſt, donec ſanae rationis et criticae artis uſus eos ad modeſtiam et veri ſtudium reduceret. Iam omnes ſciunt, migrationes populorum ſolas fuiſſe, quibus hac vel illa mundi parte vaſtata, alia ſtatim populis abundare coeperit; neque aliud quidquam nobis eruendum reſtat, quam ut in modum ac tempus, quo migratio-

grationes iſtac olim acciderint, et unaquaeque natio initium ceperit, et ab aliis diſtincta fuerit, inquiramus.

Fuere quidem Scriptores haud pauci, qui in honorem Italiae disquiſitionem talem utique inſtituerent, ac ſumma diligentia in eruenda primorum Incolarum origine verſarentur: nemo tamen, quantum ſciam, neque deſiderio, neque exſpectationi eorum, qui Antiquitates Italicas amant, tum ſatisfecerat, cum Stanislaus Bardetti, Soc. Ieſu Sodalis, Vir clariſſimus, a prima ſtatim iuventute argumentum hoc ampliſſimum curatius tractandum ſibi ſumeret. Qua in re, cum poſt multos tandem multorum annorum labores et vigilias, eam operis huius partem, quae originem populorum Italicorum ultimam explicat, ad finem perduxiſſet, atque in eo eſſet, ut etiam ea omnia, quae mores, religionem, ritus, et linguas horum populorum diverſas ſpectant, e tenebris in lucem protraheret, et libro ſingulari collecta proponeret, morte impeditus, hanc alteram operis praeſtantiſſimi partem indigeſtam reliquit.

Interea ne totum hoc opus Eruditorum uſui eriperetur, conſtitui tandem, prelo ſubiicere ac publicare eam partem, quae perfecta omnino dici poteſt, et — *de primis Italiae Incolis* tradit: neque dubito, quin, quod deſideratum tam diu eſt opus, ab omnibus etiam harum rerum intelligentibus viris, benevole excipiatur.

S 3 Atque

Digitized by Google

Atque ne auribus Eruditorum me dare aliquid velle videar, indicem praecipuorum capitum, quibus omnis ſuper re propoſita concluſa eſt diſputatio, adiiciam, ut quo ordine conſcriptus ſit hic liber, a quovis intelligi poſſit ac diiudicari. Ego vero, quod ad ipſam huius operis praeſtantiam attinet, ex ſententia ac iudicio virorum graviſſimorum, qui manu exaratum legerunt, affirmare poſſum, tantam in eo graecarum latinarumque litterarum copiam, tamque praeclaram in iudicando modeſtiam reperiri, ut omnibus iis, qui ſuper hac re commentati ſunt, palmam praeripiat Bardettus, dignusque ſit, qui inter Scriptores Antiquitatum Italicarum praeſtantiſſimos, principem obtineat locum.

Ceterum, edendi huius Operis, quod Apparatus ad hiſtoriam populorum Italicorum univerſam dici poteſt, dignusque eſt, qui hiſtoriae Romanae et Annalibus Italiae ab incomparabili Muratorio olim conſcriptis praefigatur, ea erit ratio, ut uno tantum Volumine, ſatis quidem ſpiſſo ſed in duas diviſo partes, ea forma, quae quarta regia vulgo dicitur, excudatur, ac ſumma diligentia emendatum, et effigie ac vita Auctoris ornatum, cum praefatione uberiori, et indicibus rerum neceſſariis inſtructum, intra primum huius anni ſemeſtre in publicum prodeat. Pretium huius editionis, ad nummos 12. Paolinos conſtitutum, ſatis aequum atque honeſtum eſſe videtur.

His

Digitized by Google

His itaque praemiſſis, nunc ipſas, quibus hoc opus conſtat, partes, paucis indicabo. Prima nimirum Sectione Cap. I. narratur, quantum hucusque ſuper origine populorum Italicorum a viris doctiſſimis diſputatum, et quid de tota hac quaeſtione in univerſum ſtatuendum ſit. Cap. II. de utilitate ac praeſtantia huius argumenti diſſeritur. Cap. III. deinceps oſtenditur, primos Italiae populos eos iudicandos eſſe, qui ſub adventum Pelasgorum in Italiam poſt diluvium Deucalionis ibi iam habitaverint, adeoque primos homines per mare in Italiam haud veniſſe. Qua occaſione de antiquis navigationibus nonnulla proferuntur, ſimulque demonſtratur, Pelasgos fuiſſe primos, quorum auxilio Graeci ac Barbari in primis in Italiam fuerint transmiſſi. Cap. IV. Difficultates circa ea, quae Cap. III. dicta ſunt, e medio tolluntur, et ad obiectiones quasdam e ſcripturis ſacris petitas reſpondetur. Cap. V. Alia dubia e Scriptoribus profanis nexa ſolvuntur. Cap. VI. denique demonſtratur, Circumpadanos populos, et primos Italiae Incolas, fuiſſe Ligures, Umbros, et Tauriscos, e quibus omnes reliqui harum regionum populi originem traxerint. Altera dein Sectione Cap. VII. id potiſſimum agit Auctor, ut evincat, Ligures et Umbros, primos Italiae Incolas e Celtis ortos, et Tauriscos itidem Germanos fuiſſe. Cap. VIII. de primis Italiae incolis, Circumpadanis praecipue populis, nonnulla, partim ex originibus eorum Celticis et Germanicis tracta, partim ex

iis

iis quae apud Scriptores antiquos de his populis occurrunt deſumta, memoratu digna commemorantur. Cap. IX. De reliquis Italiae Incolis a Pado fluvio diſſitis, eorumque origine ultima diſſeritur. Cap. X. De Sicanis ſive Siculis, in primis etiam Italiae habitatoribus numerandis, agitur, et eorum origo Liguſtica demonſtratur. Cap. XI. De Aboriginum natione, ex Italis et Liguribus oriunda, dicitur. Cap. XII. Auruncos quoque gentem Umbricam fuiſſe declaratur; et Cap. XIII. tandem oſtenditur, quam maxime ex iis omnibus, quae ſuper origine horum populorum antea dicta ſunt, Antiquitates eorum illuſtrari, ac recte diiudicari poſſint.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Aprilis Anno MDCCLXIX.*

*MARTINI GERBERTI, NUNC S. R. I. PRINCIPIS et Abbatis Congregat. S. Blaſii, in ſilva nigra, iter Alemannicum, accedunt Italicum et Gallicum, ſequuntur Gloſſaria Theotiſca, ex Codicibus manuſcriptis, a Saeculo IX. usque ad XIII.*

Typis San-Blaſianis 1765. Alph. 1. plagg. 20. in 8. cum tabb. aeneis quamplurimis.

Cum in animum induxiſſet *Gerbertus*, Monachus Benedictinus, nunc Princeps Abbas San-Blaſianus, Vir doctisſimus, poſt vulgatas Italiae, Galliae, Hiſpaniae Liturgias, edere et Alemannicam, quae ſola fere deſideraretur adhuc apud romanenſes Europae nationes, videreturque etiam propterea exoptabilis, quod e primis Germaniae provinciis Alemannia fuerit, quae Chriſto nomen dederit. Iſtius conſilii rationes pepererunt aliud conſilium, itineris nimirum per Alemanniam inſtituendi, exquirendique, ſi quae forte in monaſteriorum ſcriniis, aut bibliothecis doctorum hominum, ſupereſſent, chartas membranasque veteres, illuſtrando operi, quod meditabatur, atque augendo inſervituras. Ingreſſus eſt hoc iter Vir ſummus Anno MDCCLX. relatis in ad-



Digitized by Google

verſaria non ſolum iis quae ſcopo inſervirent, ſed etiam rebus aliis multis, quae memorabiles ſibi viderentur. Atque hinc liber iſte, cuius titulum poſuimus, etiam amicorum ſuaſu enatus eſt, cuius iam lectoribus noſtris ſynopſin dabimus.

Ac primum res deſcribit, quae in itinere Alemannico memorabiles ſibi viſae fuerint, brevemque ſtatim initio de Alemanniae limitibus aevo medio in Helvetia, diſputatiunculam inſtituit; qua probat *Herrgotti* ſententiam, Proleg. VII. p. 54. Geneal. diplomat. aug. gent. Habsburgicae, certos fines ac terminos Burgundiae transiuranae, uti et veteris Alemanniae conſtituere, qui toti illi aevo, quod medium dicimus, univerſim congruant, ac inſtar regulae deſervire poſſint, rem factu eſſe non ſolum difficillimam, ſed paene impoſſibilem. Tamen, quidquid ſuper ea re dici poteſt, id omne *Schoepflinus*, Vir celebrr. immortali opere, quod Alſatiam illuſtratam inſcripſit, diligenter excuſſit. — Ad littus Rheni primum ſe *Gerberto* obtulit vicus *Zurzach*, quem a *Certo* ex familia Voltiniana veterano milite, *Certiacum*, inde *Zerzach*, *Zurzach* appellatum eſſe, ex inſcriptione quadam probare volunt. Quae tamen derivatio Auctori non placet, cum ob rationes a *Loyſio de Bochat* iam prolatas, tum ex eo, quod haec appellatio *Certiaci* neque in antiquis monumentis, neque in chartis medii aevi, usquam occurrat. *Zurzachio* relicto locum adiit celeberrimae olim urbis *Vindoniſſae*, in cuius antiquitatem diligenter inquirit. Cum *Herrgotto* contra *Guilimannum* negat, Habsburgenſium maiores unquam Vindoniſſae Comites appellatos fuiſſe. Non procul ab his veteris Vindoniſſae ruinis abeſt *Bada*, oppidum ad Limacum fluvium, et a thermis calidis celebratiſſimum, quarum iam Tacitus Hiſtor. lib. I. c. 67. meminit. Antiqua, quae *Badae* reperiuntur, monumenta enarrantur. *Bada* venit Auctor in vicum *Wettingen*, qui clarus eſt monaſterio Ciſtercienſis ordinis, alias *Maris ſtella* dicto. In bibliotheca monaſterii praecipuum monumentum eſt Necrologium, cuius

Digitized by Google

cuius primigenia ſcriptura eſt Saeculi XIII. Excerpta inde uſui fuerunt hiſtoriae diplomaticae domus Habsburgicae, ac porro eſſe queunt illuſtrandis ſtemmatibus illuſtrium Helvetiae familiarum. Hinc *Tigurum* profectus eſt, cuius exordium, antiquitatem, appellationemque fuſe indagat. Inter MSS. publicae huius urbis bibliothecae principem locum tenet Pſalterium Graecum, totum uncialibus litteris perſcriptum. Pſalmorum tituli, ac notae numerales, integerque ultimus Pſalmus, aureis litteris, reliqui omnes argenteis ſcripti ſunt. Incomparabilis hic codex, priſcae ac genuinae lectioni diſtinctionique cognoſcendae inſervit. Hunc codicem *Io. Iac. Breitingerus* ſingulari libello deſcripſit. Inter recentiores codices MSS. memorabiles ſunt *Ioſiae Simleri* Antiquitatum Helveticarum libri V. voll. IV, et *Heinr. Waſeri* hiſtoria Synodi Dordracenae V. Tomis. Bibliotheca Carolina Canonicorum in eadem urbe pluribus abundat veteribus MSS. nominatim codice latino Bibliorum, quem a Carolo M. ſcriptum eſſe dicunt, de quo tamen ideo dubitandum, quod codex ille litteris Longobardicis minuſculis ſcriptus eſſe dicatur. Dedit *Gerbertus* ſpecimen codicis aeri inciſum, quod exhibet prologum Hieronymi in ſeptem epiſt. canonicas. In prologo hoc pericopa illa 1 Ioh. V. de tribus teſtibus conſpicitur, quum tamen in codice ipſo exulet. Pro verbis, *Spiritus eſt veritas*, in Prologo eſt *Chriſtus eſt veritas*. Ita vero etiam *Bryennius*, cuius recenſionem nuper dedimus, in codice ſuo legerat, nam habet: ὅτι ὁ Χριςὸς ἐςιν ἡ ἀλήθεια. Vidit etiam *Gerbertus* in eadem bibliotheca Pſalterium Saeculi noni vel decimi, in quo notae criticae Origenis conſpiciuntur.

In monaſterio *Murenſi* oſtendebantur *Gerberto* Biblia a. 1479. impreſſa, quae uſui olim Zwinglio fuerunt, cuius manus notas quaſdam addidit. In celebri loco Gen. III, 15. ſubtiliter eraſa eſt littera *a*, eiusque loco ſubſtituta littera *e*, ita ut ſit: *ipſe conteret*, pro *ipſa*. Quod ideo ſe obſervaſſe dicit Auctor, ut contra Novatores b. V. Mariae honorem

 defe-

Digitized by Google

deferat, quae deiparae debeatur. Haec tamen obſervatio viro pontificiae religioni addicto condonanda eſt. Certe Zwinglii emendatio ſenſui loci non eſt contraria. — In monaſterio *Einſidlen* magnam invenit *Gerbertus* MStorum copiam, multos nempe Patres Graecos et Latinos, varia Conciliorum acta, itemque Canones. Reperit ibi etiam *Frowini*, Abbatis Engelbergenſis, opus *de libero arbitrio*, cuius praefationem edidit *Mabillonius*, in Annalibus Benedictinis. Ex MSto quodam correxit Auctor vulgarem errorem, quo opuſculum *Amalarii*, *de cerimoniis baptiſmi*, Alcuino tribuitur.

In celeberrima monaſterii *S. Galli* bibliotheca, oblatus eſt *Gerberto* catalogus MStorum huius bibliothecae, a *Kolbio* bibliothecario ordine digeſtus notisque illuſtratus. Cuius catalogi editionem *Gerbertus*, cum Academia Boica, vehementer exoptat. Pretio et aetate praecipue notandus eſt codex in papyro Aegyptiaca, litteris uncialibus ſcriptus, homilias Auguſtini et lib. Iſidori exhibens. Codex hic Mabillonio mille habere annos videtur. Alius codex Pſalterium continet, totum litteris aureis exaratum. Aliud Pſalterium, iuſſu Hartmoti, qui ſub finem Saeculi noni Abbas Sangallenſis fuit, ſcriptum eſt. Notabilis etiam eſt codex quatuor Evangeliorum in unam narrationem contractorum, ſeu harmonia IV. Evangeliorum, cum praefatione S. Victoris, epiſcopi Capuani, qui Saeculo VI. vixit. In hoc Evangeliorum codice eſt etiam verſio vetus Theotiſca, ex qua illa redintegrari poteſt, quae eſt in *Schilteri* Antiquit. Teuton. Et omnino multis aliis codicibus MStis bibliotheca Sangallenſis ornata eſt, quos Auctor breviter recenſet. Multa in ea ſunt Patrum ſcripta, quibus illorum opera ornari augerique poſſint. Quum quidam Sangallenſes codices ſcriptura Scotica ſint exarati, ſpecimen huius ſcripturae dedit Auctor, aeri inciſum. Notandum etiam eſt, Latinam verſionem, in codicibus Sangallenſibus, non raro a Vulgata abire.

Poſtea-

Digitized by Google

Poſteaquam Auctor ea narravit quae ipſi *Lindaviae, Brigantii*, et *Feldkyrchae* memorabilia videbantur, de Alemannia orientali, de origine finibusque eius, item de nomine Alemanniae diſſerit. — Per occaſionem eorum, quae refert Auctor de Calendario Germanico, litteris Romanis a. 1478. impreſſo, quod in urbe imper. *Iſnenſi* vidit, vehementer optat, ut Germani aboleant ſcripturam Gothicam, eiusque loco Latina utantur, ne exteri ab addiſcenda lingua hac noſtra deterreantur. — De libera urbe Imperiali, *Campidunum* dicta, recte monet *Gerbertus*, non antiquum eam Campodunum eſſe, quum hoc in regione Monachii quaerendum ſit. Bibliotheca Campiduni igne deleta eſt, omnesque eius libri conflagrarunt. Archivum tamen integrum eſt, a Carolingica inde ſtirpe, diplomatibus principum, in primis Ludovici Pii, inſtructiſſimum. — Inter MStos, quos in bibliotheca monaſterii *Ottoburani* vidit, memorabilis eſt codex characteribus Merovingico-Carolingicis ſcriptus, homilias continens. Codex antiquitatem monaſterii, quod 764. exſtructum eſt, aequare videtur. — Codex bibliorum latinus, qui *Memmingae* aſſervatur, atque a Cel. *Schelhornio* iam deſcriptus eſt, occaſionem praebuit *Gerberto*, alium codicem, huic ſimillimum, qui in bibliotheca San-Blaſiana reperitur, depingendi. — *Buxheimenſis*, ſi qua alia bibliotheca, inſtructa eſt libris ſub initium inventae artis typographicae impreſſis.

Ad ea, quae Auctori *Auguſtae Vindelicorum* memorabilia viſa ſunt, pertinent primum narratiuncula quaedam de S. Udalrico et S. Afra, quibus hiſtoriolis A. nimium tribuiſſe videtur. In bibliotheca fratrum Veithiorum, multos invenit codices MStos, eosque oppido antiquos. Sic vidit ibi Bedae expoſitionem in epiſtolas canonicas, litteris Anglo-Saxonicis ſcriptam, cum prologo, qui in editione Colonienſi Operum Bedae deſideratur. In MSS. operibus S. Bernardi nonnulla occurrunt, quae in editione Mabillonii non inveniuntur. Inſtructiſſima quoque eſt publica civitatis biblio-

theca MStis. Inter hos codices eminet quidam Evangeliorum Graecus, totus maiuſculis litteris ſcriptus, cum accentibus et notis muſicis. Narrat et aliquid *Gerbertus* de hoſtia Auguſtae Vindelicorum in templo ad S. Crucem ſervata, quam colorem ſanguineum aſſumſiſſe dicit, in ſolatium quidem fidelium, confuſionem vero Lutheranorum. Atque hac occaſione plures eiusmodi fabulas, ad defendendum transſubſtantiationis dogma, profert. Miratur vero Auctor, Lutheranos his miraculis non moveri. Et nos miramur, virum tanta doctrina inſtructum eiusmodi narratiunculis fidem habere poſſe anilibus.

*Ulmae* primum bibliothecam Canonicorum regularium, apud *Wengenſes*, adiit, ibique praeter alios codices MSS. oblata eſt ei Druthmari Grammatici expoſitio in Matthaeum, cum epitome in Lucam, cuius diligentiorem deſcriptionem legere cupiebamus. In bibliotheca urbis publica magna eſt copia rariorum Saeculi XV. editionum effloreſcentis artis typographicae. Varia quoque ibidem habentur opera impreſſa lingua Slavonica, item Venedica, atque inter alia confeſſio Auguſtana Vandalice verſa.

Ex iis, quae de monaſterio *Wiblingenſi* refert, commemorabimus diſputaciunculam, quam ſuper auctore libri de imitatione Chriſti inſtituit. Negat vero *Gerbertus*, Thomam Kempenſem libri auctorem eſſe. E rationibus quas profert, praecipue nobis placet haec, quod Wiblingae liber MStus quatuor libros de imitatione Chriſti continens invenitur, in quo anni 1384. et 1385. aliquoties occurrunt. Hoc vero tempore Thomas Kempenſis Auctor eſſe haud potuit, quippe qui a. 1379. natus erat.

In monaſterio *Zwifaltenſi* ingens eſt MStorum, opera Patrum exhibentium, copia Quorum tamen codicum non indoles deſcribitur, ſed nomina tantum recenſentur. Vidit ibi

Digitized by Google

ibi quoque Biblia eleganti et illuſtri manu ſcripta, uti in tergo his verbis notatur: *Wilhelmus, Saxoniae dux, haec biblia propria ſcripſit manu 1576.* — *Ochſenhuſanorum* monachorum doctrinam, ſtudiumque litteras promovendi, laudat *Gerbertus*, atque in eorum ornamentis multos eosque antiquos codices MStos Patrum eſſe refert. Dedit quoque ex codice epiſtolam quandam Bernardi, qua Mabillonii editio caret. — In relatione de monaſterio *Weingarten* multa habet Auctor, de reliquis ſanguinis Chriſti quae ibi ſervantur. Sed iterum miramur, virum doctisſimum talibus hiſtoriolis immorari potuiſſe. In bibliotheca, ex iteratis incendiis ſuperſunt tamen MSS. optimae notae, quidam litteris Merovingicis ſcripti: e. g. collectio canonum, item quaedam Auguſtini opuſcula. In cod. Saec. XII. habetur carmen Leoninum de Friderico primo Imp. quod auctor deſcriptum dedit. Praeter multa alia notatu digna, habetur ibi etiam libellus precum Lutheri a. 1522. impreſſus, cum hac inſcriptione: *Ein Betbüchlein der zehen Gebott des Vatter unſers und des Ave Marien D. Martini Lutheri.* Sed haec inſcriptio, totusque libellus, non proferri poteſt contra Lutheranorum doctrinam. Sciendum enim eſt, Lutherum non primo ſtatim reſtaurationis ſacrorum anno, ſed paullatim a ſuperſtitione romanenſi liberatum fuiſſe. — Deſcriptis iis quae *Salemii, Marisburgi, Petershuſii, Conſtantiae,* et *Creuzlingae* memoratu digna vidit, quaedam ad Concilium generale Conſtantienſe pertinentia enarrat. *Augiae* varias vidit Sanctorum reliquias, quas more ſui ritus fuſe deſcribit. Schola Augienſis valde celebris fuit Saec. IX. fuitque praecipua monachorum illius tunc in deſcribendis codicibus occupatio. Hinc ingens MStorum bibliothecae Augienſis copia, quorum *Gerbertus* catalogum confecit, cuius ſaltem epitomen avide expectabamus. *Schafhuſii* invenit Auctor Chryſoſtomi homilias in Matthaeum, Graece ante ſexcentos annos eleganter ſcriptas, nec non Alcorani Suras quasdam elegantisſime exaratas. Vidit ibi etiam rariores primae typographiae

graphiae editiones, in quibus eſt rariſſimum exemplar Bibliorum Germanicorum, ſine loco tamen et anno impreſſionis. Sunt qui putent, vocem theotiſcam antiquiſſimam in Pſalmo ſecundo, *warum grisgrambten*, eſſe notam primae Germanicorum Bibliorum editionis. Id recte negat *Gerbertus*, quum vox iſta in ſerioribus quoque editionibus occurrat. In monaſterio *Rhenaugienſi* inſignis eſt theſaurus MSS. praeſertim in rebus liturgicis.

Deſcripto primo itineris Alemannici ſemeſtri, ad alterum pergit Auctor. Huius memorabilia ſingula recenſere hoc loco, nimis longum foret. Lectu profecto digna ſunt ea, quae de *ſilva Martiana;* de urbe *Villinga;* de *agris Decumatibus;* de *Rothwila*, aliisque locis tradit. Fata *Tubingenſis* academiae breviter attinguntur, huiusque bibliotheca laudatur, praeſertim propter ſelectum, copiamque rerum et antiquitatum Graecarum, Romanarum, reliquae Europae, Germaniae inprimis. Quum *Stutgardii* oſtenſum *Gerberto* fuerit exemplum Bibliorum Germanicorum ex prima editione Moguntina Ioannis Fuſt, ſitque in monaſterio *S. Blaſii* exemplum cum hoc in quibusdam conveniens, bene fecit Auctor, quod utriusque exempli diſcrepantiam deſcripſit. Neque iniucunda lectu ſunt, quae de *Hirſaugia*, *Pfortzhemio*, *Carsruh*, *Bada*, commemoranda putavit. In deſcribenda breviter Alſatia, uſui ei fuerunt quae *Schoepflinus* in Alſatia illuſtrata tradidit. *Argentorati* Bibliothecam academicam adiit Auctor, cuius codices MSS. quum ipſi monſtrati eſſent, incidit in *Ubaldi* opus *de Muſica*, quod hactenus inter deperdita fuit habitum. Hoc opus ipſi cum Io. de Fulda opere de Muſica, communicatum fuit, ad ornandam quam parat Scriptorum Muſicorum ineditorum collectionem, hiſtoriamque, quam edere promiſit, muſicae eccleſiaſticae. Cel. *Schoepflino*, cuius conſuetudine Argentorati uſus eſt, ob inſignem humanitatem doctrinamque iuſtas laudes tribuit. Et quum doctus hic vir Argentorato artis typogra-

pographicae primordia vindicaverit, atque de ea re docte ſcripſerit, non male *Gerbertus* opiniones illius huc pertinentes repetiit. — In bibliotheca *Murbacenſi* inſignis eſt MSS. apparatus omnis generis veterum Scriptorum, et characterum: e. g. codex litteris uncialibus ſcriptus, tredecim Origenis homilias in Exodum continens, Victorii cyclus paſchalis litteris uncialibus minoribus, qui in eodem codice habetur, cum Gedulii carminibus, charactere Anglo Saxonico; elegantiſſimus porro codex Evangeliorum charactere Scotico. In codice quodam quo continentur conſtitutiones Apoſtolorum, in fine Clementis epiſtola ad Iacobum ita habet: *Finit* epiſtola, ut putatur, S. Clementis. Inde patere dicit Auctor, iam tunc hanc epiſtolam dubiam haud immerito habitam fuiſſe. — Quae de lapide ceraunio, quem de coelo cecidiſſe dicunt, vulgo narrantur, ea Auctor breviter indicat, atque huic hiſtoriolae aſſenſum ſe denegare haud poſſe fatetur. Nobis placent ea, quae laudatus iam *Schoepflinus* in Alſat. illuſtr. de hoc lapide protulit. Ex iis quae *Gerbertus* de *Baſilea* referenda eſſe cenſuit, non eſt magnopere quod proferamus, eſt enim haec urbs cum rarioribus bibliothecae publicae theſauris a viris doctis ſatis deſcripta. Cui enim ignotus eſt codex IV. Evangeliorum Baſileenſis, quem Millius Alexandrino aetate aequiparandum exiſtimavit? Aut quis non ornamento huic bibliothecae eſſe ſciat opera Athanaſii, in charta bombicina ſcripta, quo codice Comelius in editione a. 1600. uſus eſt, et quem prae aliis laudant Benedictini San-Maurenſes in nova edit. — *Friburgi Briſgoviae* conſpexit *Gerbertus* elegantisſimum Evangeliorum codicem Saec. circiter X. item Chronicon ſummorum Pontif. et Impp. de geſtis eorundem per fratrem Martinum de Ord. Praed. etc. ad annum usque 1267. Vidit etiam chronicon Bohemiae ad annum usque 1326. procedens. In monaſterio *S. Petri* in ſilva Marciana, praeter multa ad vitam Raymundi Lulli eiusque ſcripta pertinentia, invenit V. Cl. egregiam Bibliorum collectionem, quorum nonnulla deſcripſit. Quam

U mul-

multi *Auguſtae Vindelicorum* in bibliotheca eccleſiae cathedr. lateant codices MSti, Bernardus Pezius in Itinerario, quod habetur diſſertatione Iſagogica in Tom. I. Anecd. iam indicavit, qui et praecipuos monaſterii *Weſſofontani*, *Pollingenſis*, aliorumque Bavariae monaſteriorum codices notavit; adeoque Auctor non neceſſe putabat fuſe de iis agere. *Salisburgi*, in bibliotheca MSS. Capituli metropolitani egregius eſt MSS. theſaurus. Rariſſimus codex eſt Scotice ſcriptus, cum inſcriptione: *Cutberecht ſcripſit iſta quatuor evangelia.* Inſunt praeſtantiſſimi Patrum codices, plerique Saec. X. ſcripti, variae etiam Canonum collectiones. Omnino autem laudata bibliotheca inſtructa eſt codicibus 387, ex quibus 332. membranacei ſunt. Longe adhuc amplior eſt theſaurus MStorum praeſtantiſſimorum, inde ab octavo usque, potisſimum autem nono Saeculo, in bibliotheca monaſterii *S. Emerami Ratisbonae.* Nam codices ultra nongentos habet, quorum catalogus prodiit a. 1748. Exactiorem vero atque eruditis obſervationibus illuſtratum parat *Frobenius Forſter*, monaſterii Abbas, et S. R. I. Princeps. Nullo vero in loco tam egregia monumenta, cum pro liturgia Alemannica, tum hiſtoria muſicae eccleſiaſticae, Scriptoresque de re muſica, invenit, quam in Caeſarea *Vindobonenſi* bibliotheca, quae viris doctis, *Lambecii* in primis et iam *Kollarii* ſtudiis ſatis nota eſt. Nec minus celebris eſt bibliotheca *Monachii*, cuius praefectum, *Oefelium*, *Gerbertus* meritis laudibus effert. Quum iterum in monaſterium *Weingartenſe* reverteretur, gaviſus eſt formulas Andegavenſes, quas Mabillonius e codice Weingartenſi edidit, antea fruſtra ab Auctore quaeſitas, inventas fuiſſe, in codice quidem Theodoſiano, litteris Merovingicis ſcripto. Et quum has formulas quaererent, accidit, ut magnum numerum codicum MSS. invenirent. Praecipuus, quem in bibliotheca *Weiſſenavienſi* vidit, codex, leges Alemannicas continet, et, quod inprimis notandum, collectionem Capitulorum Anſegiſi, valde ab Editione Baluzii diverſam.

De

Digitized by Google

De itinere Gerberti Italico, ut multa moneamus non eſt neceſſe, quum multi exſtent virorum eruditorum libri, ad explicandos theſauros litterarios Italiae, ſcripti. Neque tamen nos Auctoris de Italia relationes legiſſe poenituit. Digna profecto lectu ſunt, quae de *Verona*, *Patavio*, *Venetiis*, *Bononia*, *Roma*, *Neapoli*, *Florentia* etc. retulit. Laudat etiam conſuetudinem, quam cum doctis Italiae viris habuit. Praedicat e. g. Vallarſium, Ballarinios, Blanchinium, Bandinium, et multos alios.

Reliquum eſt, ut de itinere Auctoris Gallico aliquid dicamus. In monaſterio *Flaviniacenſi* Remigium Ceillierium adiit, qui tum in adornanda bibliotheca eccleſiaſtica verſabatur. Integrum opus viginti octo tomis ſe comprehenſurum ſperabat, ſed morte praeventus imperfectum reliquit. De Lutetia diſſerens, ſodales e congregatione S. Mauri vehementer laudat, praecipuum eos ornamentum ac fulcrum ſolidioris eruditionis appellans. Linguam Latinam in Gallia neglectui haberi dolet. Narrat, ſe ex Ceillierio audiviſſe, ſe, cum duo priora volumina Bibliothecae ſcriptorum eccleſiaſticorum latine ſcripta Pariſios detuliſſet, neminem reperiſſe, qui in ſe reciperet editionem, niſi Gallice redderet. Novum Tractatum de re diplomatica, a Touſtainio et Tasſinio editum, iure laudat *Gerbertus*, eſt enim opus inſignis doctrinae atque egregiae utilitatis. Sangermanenſes ſodales obtulerunt ei pſalterium Tironis notis exaratum, de quibus qui aliquid diligenter ſcriptum cognoſcere velit, adeat Tomum III. laudati iam Tractatus diplomatici. Has Tironis notas quum ſtatim intelligeret, magnam in re antiquaria peritiam demonſtravit. Explicuit eas peculiari libro *Carpenterius*.

Appendicis loco Gloſſaria quaedam Theotiſca adiunxit, cum ſpeciminibus quibusdam antiquiorum codicum Theotiſcorum. Sunt haec ab Auctore Germaniam peragrante collecta, et *I. Sprengio*, Profeſſori Baſileenſi, communicata, qui notulas quasdam adiecit. Poterunt iſta Gloſſaria cognoſcendae antiquae linguae patriae inſervire.



Digitized by Google

Atque ex his abunde apparere arbitramur, hunc *Gerberti* librum plurima continere rem litterariam illuſtrantia, iisque praeſertim, qui rariores codices MStos hinc inde in bibliothecis latentes cognoſcere velint, profutura.

*IACOBI BRUCKERI REG. ACAD. SCIENT. Berolin. aliarumque Socii HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE, a mundi incunabulis ad noſtram usque aetatem deducta. EDITIO SECUNDA. Acceſſit Appendix, Acceſſiones, Obſervationes, Emendationes, Illuſtrationes, atque Supplementa exhibens. TOMI IV. VOLL. VI.*

Lipſiae, impenſis haeredum Weidmanni, et Reichii, 1767. quaternis.

Poſuimus titulum Operis egregii, omnibusque numeris abſoluti, et Auctori ipſi, atque adeo univerſae Germaniae inmortali gloriae futuri, nunc ſecundum editi, et Volumine integro aucti, cuius non modo molis magnitudo, verum etiam doctrinae accuratisſimae copia et ubertas, magno atque incredibili ſtudio parta, ſuperiora aequat. Quid enim aliud exſpectari poterat ab eo, qui plus quinquaginta annis in indaganda Hiſtoria Philoſophiae conſumſit, atque in hoc literarum genere veluti conſenuit? Ac propterea de opere ipſo plura exponere, eiusque praeſtantiam laudare in praeſenti, et commemorare pluribus verbis, eo minus neceſſarium videtur, quo magis ea omnia, quae in laudem eius dicere poſſemus, ſatis cognita ſunt viris doctis, luculenterque ita perſpecta, ut fama ipſius non modo inter patriae noſtrae fines conſtaret, ſed omnes etiam regiones, literarum amore florentes, Italiam in primis, Angliam, Galliamque pervaderet. Id tantummodo dicimus atque fatemur, nos

nos lubentiſsimo animo aſſentiri Heumanno, cum hoc opus, cui nihil ſimile ulla aetas in hoc genere vidit, inter Saeculi huius res maxime memorabiles referendum eſſe cenſeret, Venerandumque Senem ipſum, communem in hoc genere literarum praeceptorem exiſtimaret.

Operis ipſius Volumina quinque, antea iam edita, plane immutata nunc excuſa prodeunt, ita, ut etiam ſingulae paginae huius editionis priori omni ex parte reſpondeant. Quo rem eruditis gratiſsimam feciſſe arbitramur Virum Cel. cum et aliis incommodis hoc modo cavere voluit, et vero etiam huic, ne iis, qui priorem editionem poſſiderent, et augmenta tamen cognoſcere cuperent, alterius quoque editionis redimendae neceſsitas imponeretur. Itaque ea omnia, quae in Opere ipſo ex eo inde tempore, quo primum prodiit, vel copioſius explicanda, vel accuratius examinanda, vel denique mutanda atque emendanda obſervaverat, in peculiare Volumen congeſſit, quod Operis integri ſextum conſtituit. Iam percurremus totum hoc Volumen, et quae nova operi ipſi acceſſere, praecipuam partem, quam breviſsime fieri poterit indicabimus, ut intelligere poſsint lectores, non relanguiſſe Senis Ven. animum, ſed idem ſtudium, quanquam labor eſſet admodum improbus, eandemque diligentiam et induſtriam, in Supplementis probaſſe, quae in ipſo opere eſt conſpicua.

Primum ad diſſertationem praeliminarem multa diſputat: quae diſputatio usque ad p. 34. pertingit, pertinetque in primis ad ſignificatum τῆς σοφίας et φιλοσοφίας apud veteres, ad libros igne conſumtos, ad fontes Hiſt. Phil. eiusque utilitatem et Scriptores, qui vel de univerſa Philoſophiae hiſtoria, vel aliqua eius parte expoſuere; qua occaſione pag. 19. de libro rariſsimo Io. Valenſis, inſcripto: Summa de regimine vitae hum. etc. egit, eiusque argumentum enarravit. Deinde in Hiſt. Phil. Per. I. a mundi origine ad initia mo-

 narchiae

narchiae Rom. eiusque Parte I. poſteaquam de Philoſophia barbarica quaedam in univerſum admonuit, ſuam, quam de Philoſophia Patriarcharum ante diluvium, et poſt illud, Hebraeorum, protulit ſententiam, doctam illam et haud dubie veriſſimam, copioſius explicavit, noviſque argumentis probavit: nimirum, non intelligendos eſſe Philoſophos, qui Graecis aut noſtris temporibus dicantur, ſed, ſi hoc nomine illius aetatis homines inſignire velimus, ante diluvium, viros qualicunque rerum humanarum divinarumque ſcientia peritos, poſt diluvium autem patres familias bonos, legislatores ſapientes, eccleſiae doctores eruditos. Igitur audiendos eſſe exiſtimat neque Iudaeos, neque veteres eccleſiae doctores, longe aliter in hac re ſentientes, cum nec potuerint, nec praeiudiciis impediti voluerint, teſtimoniorum fidem interponere. Quae cum noſtris temporibus ita ſint demonſtrata, ut nulla dubitatio ſuperſit, non ſatis mirari poteſt Ven. Bruckerus, viros quosdam eruditos, nominatim Gerdilium, Prof. Taurinenſem, ad tuendam ſententiam contrariam potuiſſe ad illa teſtimonia provocare.

Sed pergimus ad Philoſophiam Chaldaeorum p. 46. quam non minus copioſe colluſtravit. Atque hic eandem ſententiam tuetur, quam in Opere ipſo probavit, nimirum, eius auctorem conditoremque fuiſſe quidem Zoroaſtrem quendam, ſed omnia de eo eſſe dubia atque incerta, ita ut plane irrita ſint ſtudia eorum, qui, utrum teſtimonia Graecorum, quae fuit Moshemii ſententia, an Orientalium, h. e. Perſarum ſ. potius Arabum, valeant, ut placuit Pocockio, Pridoſio, Belloſobrio, aliisque, anxie quaeſiverint, cum neutra aliquid probare poſſint, neque illorum, qui praeiudicata hac opinione occupati fuerint, orientalem eruditionem ſuae fuiſſe ſimilem, atque cum ea poſſe comparari, neque etiam horum, quoniam ab antiquis illis temporibus nimis longe fuerint remoti, vixerintque ea aetate, qua quidlibet audendi, fingendi, nugandique, libera et aequa poteſtas eſſet. Quae prae-

praeterea in hoc cap. animadvertit A. ea ſpectant ad alios claros viros inter Chaldaeos, Belum in primis et Beroſum, eorundemque doctrinas ſ. Philoſophiam.

Perſarum Philoſophiam multis A. obſervationibus auxit pag. 59-88. ex quibus nominaſſe ſufficiat eas, quibus doctrinam de auctore huius Philoſophiae, de Magis, de Mithra, Deo Solis apud Perſas, cultuque Mithriaco, colluſtravit, atque Iacobi Martini, Benedictini Ord. explicationem de ſacris Mithriacis, coniecturis Patrum innixam, refutavit, ſuamque novis argumentis ſtabilivit. Aeque copioſus fuit in explicanda Philoſophia Indorum veterum, Arabum, atque Phoenicum; copioſiſſimus autem in Aegyptiorum Philoſophia colluſtranda, pag. 102-152. cuius rei, praeter dignitatem, occaſionem largiſſimam dedere libri duo, poſt priorem editionem primi huius Vol. in lucem prolati: nimirum Iablonskii Pantheum Aegypt. et Wachteri Concord. rationis et Scripturae, quos libros diligentiſſime adhibuit, interdum vero etiam confutavit. Itaque egregie egit de auctore ſapientiae Aegyptiacae, Theute, qui Graecis Hermes, Latinis Mercurius dicitur, de libris Hermeticis, de Philoſophia Aegyptiaca, et Theologia cum exoterica, tum arcana, inprimisque de cultu deorum, quos homines fuiſſe, ſed deinde propter inſignia merita, et collata in humanum genus beneficia, inter deos relatos, et religioſe cultos fuiſſe, contra Iablonskium et Wachterum defendit; quae, ut reliqua in hoc capite, non poſſumus omnia hic repetere, ſed lectoribus inſpicienda relinquimus. Nec dicimus quicquam de iis, quae de Philoſophia Celtarum pag. 155-179. dixit, cuius rei copiam uberrimam dedit Pellutierii Hiſtoria Celtarum, aliique libri ſuper hac re editi. Praeterimus quoque, quae de Philoſophia Etruſcorum et Romanorum, item Scytharum, Thracum, et Getarum addidit, ubi p. 191.ſſ. reperitur longa et docta diſputatio de Abaride, impoſtore potius quam Philoſopho, qui magnum inter Graecos nomen ſibi peperit. Ad Philoſophiam Graecorum nos convertamus.

Atque

Atque hic multas invenimus obſervationes, quae ad Philoſophiam cum fabularem, in primis ad Orpheum, eiusque diſciplinam arcanam, tum politicam atque ſectariam pertinent, in quibus tamen paulo parcior fuit; eo largior autem in colluſtranda vita Pythagorae pag. 257-308. Primo loco deprehendimus, Virum Cel. eandem ſententiam, quam in Opere ipſo de Pherecyde eiusque doctrinae fontibus propoſuit, adhuc tenere, nec ſe ad alias partes trahi paſſum eſſe per Cl. Heinium, qui in Diſſertat. Comment. Acad. Berol. T. III. inſerta, Pherecydis placita a Phoenicibus, a Moſe, et Iſraelitis, meliora edoctis, ſumta eſſe exiſtimat, cum ipſe ea ducta eſſe putet ab Aegyptiis. Argumenta contra Heinianam ſententiam praecipua haec ſunt. Primum, quia populus Iſraeliticus antiquioribus temporibus vicinis gentibus fuit obſcuriſſimus, certe dogmata eius, veteresque Patriarcharum traditiones, quas ſervabat, ad earum notitiam non potuerunt pervenire, utque adeo intelligi nullo modo posſit, quomodo ex libris Moſis, et praecipue creationis narratione, Pherecydes Cosmogoniam potuerit diſcere. Alterum, quia populus Iſraeliticus, ob ſcientiae phyſicae et philoſophicae ignorantiam, adeo in contemtu fuit, ut plane non ſit credibile, philoſophum gentilem potuiſſe eo tempore Phyſiologiae et Theologiae, exoterice tantum et hiſtorice a Moſe traditae, ex ſacris libris Iſraelitarum diſcendae deſiderio teneri. Tertium, Ioſephi teſtimonium, Pherecydem ſua a Chaldaeis accepiſſe dicentis, in hac re non poteſt valere; nam et longisſime remotus fuit ab ea aetate Ioſephus, et ſolenne ipſi eſt, omnis antiquitatis ſapientiam ſuo vindicare populo. Nec Iuvenalis locus obſtat, in quo ius Iudaicum, quod Moſes arcano volumine tradiderit, addiſci dicitur. Hoc enim ad illud tempus pertinet, quo Pentateuchus lingua graeca in Aegypto innotuit; quod eſt quartum argumentum. Ultimum, fieri non poteſt, ut Pherecydea Cosmogenia cum Moſaica concilietur, quod tamen neceſſe eſt fieri, ſi ex hac illa ducta ſit. Haec contra Heinium diſputa-

diſputavit A. docte, pro more ſuo, et copioſe. Quae ſequuntur, pleraque pertinent ad Gerdilium, cuius librum, ſane non indoctum, ſed admodum rarum, italice ſcriptum hoc titulo: Introductio ad ſtudium religionis, diligentisſime excuſſit, et ad explicanda ea, quae de Pythagora dixerat, uſurpavit, ſaepenumero etiam refutavit. Ex quibus quaedam attuliſſe, non ingratum ſperamus fore lectoribus.

Demonſtraverat Ven. Auct. T. I. Op. argumentis non levibus, Pythagorae hiſtoriam maximis, quae non ſuperari posſint, difficultatibus eſſe impeditam; adeo omnia, vel pleraque ſaltem, eſſe incerta, confuſa, ſuſpecta, vel aperte falſa et conficta. Quod quamquam non prorſus negavit Gerdilius, omnem tamen operam dedit, ut, cum multum ſuae diſciplinae intereſſe videret, ſi, quae a Porphyrio, Iamblicho, veteriſque eccleſiae doctoribus nugae referuntur, eae verae ſint, iſta argumenta everteret, aut certe in dubitationem adduceret. Ad quae, etſi non omnia, pleraque tamen, reſpondet, et merito miratur, potuiſſe ea a Gerdilio proferri, quae iam ſatis luculenter refutaverit; repetitque locum Iamblichi admodum inſignem, ex quo falſitas et incertitudo eorum, quae vulgo de Pythagora eiusque miraculis traduntur apud veteres, luculentiſſime poteſt demonſtrari. Non magis vera eſſe, quae de itinere Pythagorae ad Iudaeos narrantur, probaverat argumentis maxime idoneis, quibus totam diſputationem, putamus, facile poſſe dirimi. Aliter vero cum ſentiat Gerdilius, hinc occaſionem ſumſit A. novis ſuam ſententiam teſtimoniis, et fide dignis, ſtabiliendi; eiusque rei cauſa ad Lactantii, Ioſephi, et Porphyrii loca provocat, ex quibus perſpicue poteſt doceri, non perveniſſe ad Iudaeos Pythagoram. Atque hinc etiam facile poteſt intelligi, locum alterum Porphyrii, in quo Pythagoras ad Arabes, Chaldaeos, et *Hebraeos* perveniſſe, et ab his ſomniorum interpretationes didiciſſe dicitur, corruptum eſſe, et verba: καὶ Ἑβραίους, margini primum adſcripta, in textum irrepſiſſe. Tota haec diſ-

X pu-

putatio digna eſt quae legatur, ut et reliqua, quae ad Tom. I. de diſcipulis Pythagorae, (p. 308.) de ſecta Eleatica (p. 316.) Hieraclitea, (323.) Epicurea, (331.) Sceptica, (334.) et de fatis Philoſophiae graecae extra Graeciam, erudite obſervavit.

Ad ea properamus, quibus Tomum II. auxit. Poſtquam nonnulla egregie obſervaverat ad Philoſophiam Romanorum, Gentilium ſub Imperatoribus, Pythagoream, et Platonicam; ad Sectam eclecticam deductus eſt, ibique ſententiam ſuam de Ammonio, eiusque religione, contra Moshemium latius defendit, qui poſtea, (nam antea conſenſerat cum Ven. Auct.) eum nunquam palam et aperte a religionis chriſtianae profeſſione defeciſſe exiſtimavit. Argumenta digna ſunt quae huc transferantur. Ac primum quidem concedit Vir Cel. Ammonium, ut cum ex totius Philoſophiae Ammonianae ratione et indole, quam delineavit, tum ex loco Porphyrii allato perſpicue intelligi poſſit, religionem neque chriſtianam orthodoxam, neque gentilem, legibus ſancitam, publiceque traditam, recte tenuiſſe; ſed mediam inter utramque ſententiam, miro artificio conſarcinatam et excogitatam, ita ſecutum eſſe, ut cum chriſtianis principiis, quae puer hauſerat, et gentilibus, maxime Pythagoreorum placitis, ſimul ſibi conveniret. Hoc vero, pergit, quomodo neceſſaria conſecutione inde efficiatur, ut et Chriſtiani et Gentiles ſibi ſuisque partibus Ammonium vindicare debeant, ſe non videre. *Non enim*, inquit, *de ſyſtematis alicuius philoſophici defenſione ſermo eſt, ſed de publico religionis cultu, in republica legibus introducto, quo potuit Ammonius, vir iuvenis, et nondum doctrinae claritate inter Chriſtianos conſpicuus, publicae gentilis theologiae profeſſioni accedere, ſervato tamen ſibi ſenſu et explicatione ſyncretiſtica atque eclectica? quo pacto hodie inter Chriſtianos quamplurimos vivere, qui religionem dominantem ſecuti, ſyncretiſticum tamen, ſi non deiſticum, doctrinae ſyſtema ſequuntur, eſt notiſſimum.* Atque quod diſciplinae alumnos habuit Ammonius Chriſtianos quoque, factum eſt ex illorum tempo-

rum

rum conſuetudine, quibus Chriſtianorum diſciplinae iuvenes ſcholas quoque gentiles adibant, ſalva religione, eclecticae philoſophiae, a doctoribus chriſtianis tantopere commendatae, ſtudioſi. Sane hoc in fidei deſertore non videntur paſſuri fuiſſe doctores eccleſiae. At vero cum deficeret a ſacris chriſtianis Ammonius, puerilem aetatem vix egreſſus, iuvenis certe, et poſtea demum tantam eruditionis inprimisque eclecticae ſapientiae famam ſibi pareret, illa dubitatio ſponte concidit; modo diſtinguatur Ammonius, de quo hoc loco ſermo eſt, ab Ammonio Epiſcopo, ſeu doctore publico, et Scripturarum interprete. Neque melior eſt ea ratio, quae non opus fuiſſe Ammonio, exiſtimat, ut a fide deficeret, cum ſalvo chriſtianae religionis fundamento, deorum minorum, ſeu geniorum daemonumque cultum potuiſſet profiteri. Quae ratio ut eſt falſisſima, religionique Chriſtianorum maxime adverſa; ita poteſt argumentum hoc converti, atque inde demonſtrari, cum ſemel henoticae illius theologiae ſequendae conſilium cepiſſet Ammonius, non potuiſſe non ad Platonicum gentilismum abripi, in quo noſſet, ſalva gentili theologia, ſe doctrinam chriſtianam de Deo triuno poſſe ſervare, atque ita hanc illi immiſcere. Arcanam denique doctrinam, quam Moshemius urget, non propter metum occultabat, ne ex Chriſtianorum communione excluderetur, ſed propter morem ſectae atque Saeculi, ſtudiumque adverſariorum obiectiones obtrectationesque vitandi, atque ſuae diſciplinae auctoritatem et admirationem conciliandi. His ita comparatis, cauſam non vidit Cel. Auctor a priſtina ſententia recedendi, nimirum, *Ammonium in communione eccleſiae non manſiſſe, ſed ad publicam ſuperſtitionem, ſeu potius ad religionem quandam mixtam, quam ipſe commentus ſit, defeciſſe.* Praeterire cogimur reliqua ex hoc et ſequentibus capitibus, de ſecta Peripatetica, Stoica, et Epicurea, quamquam, in primis quae de Iuliano p. 370. ſſ. et contra Moshemium de ſecta et religione Celſi p. 395 - 398. monuit, diligenti commemoratione non eſſent indigna.

Iam vero dicemus quaedam de iis, quibus caput de Philoſophia Orientali auxit; atque id fecit eo copioſius, quo minus omnia probari videret a viris eruditis. Conſtat nempe, Moshemium et Cel. Bruckerum auctores fuiſſe ſententiae, quae exiſtimet, floruiſſe in Perſiae, Aſiae minoris, Aegyptique provinciis, paullo ante et circa tempora reſtauratae ſalutis, genus quoddam Philoſophiae theologicae myſticum, Orientale appellandum, quod tum Cabbaliſtarum ſyſtemati, tum haeretico, quod poſtea Gnoſticos errores genuit, occaſionem materiemque ſuppeditaverit. Hanc ſententiam ſecuti ſunt Baumgarten, Walchius, Kortholtus, aliique; quidam tamen de ea dubitarunt, provocaruntque in primis cum ad monumentorum antiquorum defectum, tum ad teſtimoniorum prolatorum ambiguitatem, tum denique ad ſcriptorum graecorum Iudaicorumque de hac re ſilentium, et id genus alia. Igitur fatetur Senex Ven. id quod ipſe quoque Moshem. faſſus eſt, *inter tot veſtigia exiſtentiae huius Philoſophiae, circumſtantias hiſtoricas valde eſſe obſcuras, nec hiſtoriam eius ea radiare luce, qua graecanicae Philoſophiae ſectae, vel etiam haereſium in chriſtiana civitate enatarum hiſtoria manifeſta ſit*, ac propterea omnia ſe, aït, rurſus ad leges fidei hiſtoricae examinaſſe, *ut, ſi non certa et indubitata notitia, veroſimilis tamen et regulis fidei conformis emergat.* Silentium autem ſcriptorum hic nullam vim habere, quia alia argumenta poſſint proferri, quae rem vere extitiſſe doceant. Quae igitur protulit, digna putamus quae hic paullo accuratius enumeremus.

Ac primum quidem nomen Philoſophiae Orientalis fatetur nuſpiam occurrere apud Scriptores antiquos, et novum eſſe, atque ante Moshemium inauditum, poſſeque Philoſophiam Aſiaticam, vel Zoroaſtream reformatam, vel Perſico-Zoroaſtream, vel Theologiam myſticam orientalium populorum, vel quovis alio modo appellari. Sed ſe tamen nomen Philoſophiae Orientalis ceteris praetuliſſe propterea, quoniam reliquae denominandi rationes non ſatis accuratae ſint, tum

quod

quod Philoſophia Orientalis non omnem ſyſtematis Perſici doctrinam complectatur, ſed eam tantum partem exhibeat, quae de emanativo ſyſtemate, maxime quoad divina, originem materiae atque mali, praeceperit; tum quod non tantum Perſici imperii fines, ſed aliarum quoque provinciarum Aſiaticarum, et in primis Ioniae, Cappadociae, Syriae, regnique Parthici regiones omnes pervaſerit, et in methaphyſicis et theologicis dogmatibus fundamenti loco aliis ſyſtematibus ſpecialibus intertextum ſit. Nec tamen anxie fictum planeque excogitatum videri debere hoc nomen, cum fragmentum aliquod Theodoti, hominis Gnoſtici, extet, in cuius titulo theologiam magiſtri, Valentini, διδασκαλίαν ἀνατολικὴν appellat. In quo fragmento quanquam non exhibeatur ſyſtema Orientale, ſed contineantur nugae ſyſtematis theologici Valentiniani: poſſe tamen inde coniectura probabili concludi, etiam illud doctrinae genus, ex quo dictis S. literarum nugas ſuas Theodotus aſſuat, Orientale dici potuiſſe, cum fundamenta ea ſequatur, quae in Aſia ſeu Oriente iam tum diu erant notiſſima. Obiectionem vero, qua non fieri potuiſſe exiſtimatur, ut hoc nomen plane intercideret, ſi tam nota fuit Philoſophia Orientalis, totque regionibus celebrata, ſpeciem tantum habere arbitratur, fundamento nullo niti; atque id facile fieri potuiſſe, quoniam nomen Philoſophiae Orientalis non eſſet ſectarium, ſed generale ſapientiae diverſorum populorum nomen. Generalia autem ſyſtematum nomina a ſpecialibus eſſe abſorpta atque ſuppreſſa, rem eſſe notiſſimam, quae vel ex Eudaemonicorum, Philaletharum, Elencticorum, Analogeticorum, Elpiſticorumque nominibus poſſit intelligi. — Verum cum hae ſectae non admodum magnam exiſtimationis famam conſecutae ſint, nos quidem non mirandum eſſe putamus, nomina earum vel plane periiſſe, vel paucis tantum commemoratu digna viſa fuiſſe. De orientali Philoſophia autem dubitatio manet, quoniam, ex ſententia Ven. Br. non modo toti Orienti, qui et proprio, et latisſimo, veteribusque in-



Digitized by Google

uſitato ſignificatu dicitur, ſed Graecis quoque, tanquam nobilisſima Philoſophiae in Oriente florentis pars innotuit, et ut melior Philoſophia ab iis vehementisſime deſiderata, itineribus quaeſita, atque exculta fuit. —

Sed iam teſtimonia, quam brevisſime fieri poterit, enarremus, quibus ſententiam ſuam de hac Philoſophia rurſus ſtabilire ſtuduit. *Primum:* negari nequit, viguiſſe per omnes fere Aſiae totiusque Orientis regiones ſapientiam quandam, Graecorum Philoſophia antiquiorem, et ab his cupidisſime expetitam; nam veteres de ea loquuntur, et nominatim Clemens Alex. qui, quae ſint praeſtantisſima in Philoſophia, Graecos dicit mercatos eſſe a Barbaris. *Alterum:* haec Philoſophia Graecis quoque innotuit, et non Orphei modo Pythagoraeque, verum etiam Anaxagorae, Archelai, et Socratis tempore fuit celebratisſima. Cuius rei cauſa affert Democriti circa iſtam aetatem, adeoque diu poſt Zoroaſtrem, Perſarum Philoſophum, ad ſcholam Magorum excurrentis exemplum, quem Laertius aliique diſerte tradunt, non tantum ad Aegyptios, ſed ad Perſas quoque, Chaldaeos, et ad mare rubrum, philoſophiae diſcendae cauſa fuiſſe profectum, quam Plinius H. N. L. XXX. Prooem. magicam appellat, quamque a Graecanica diverſam, et cum Zoroaſtrea plane eandem fuiſſe, ex Plutarchi teſtimonio conſtat. *Tertium:* extat locus Porphyrii, quem iam in Opere ipſo protulit Ven. Auct. nunc vero enucleatius explicavit illuſtravitque; ex quo luculenter patere exiſtimat, α. antiquisſimae Philoſophiae genus ante Gnoſticos extitiſſe, neque id confundendum eſſe cum eorundem doctrina; β. hanc veterem Philoſophiam non quaerendam eſſe inter Graecos, ſed his potius oppoſitam fuiſſe, tanquam antiquiorem, divinaeque doctrinae convenientiorem; γ. opinionem fuiſſe, auctorem eius fuiſſe Zoroaſtrem, eiusque diſcipulos; δ. Gnoſticos eam tanquam fontem ſibi vindicaſſe, et ex ea nugas ſuas hauſiſſe videri voluiſſe; ε. omnia ex doctrina τȣ̃ παλαιȣ̃ Ζωροάςρου eſſe ſumta ac derivata. *Quartum:* apud eundem Porphyrium Plotinus, cum iam Alexandrinam

drinam Philoſophiam ab Ammonio didiciſſet, apud ſe conſtituiſſe dicitur, *φιλοσοφίας παρὰ τοῖς Πέρσαις ἐπιτηδευομένης πεῖραν λαβεῖν*, et Indorum quoque Philoſophiam cognoſcere; ex quo patet, Gordiano adhuc imperante, velut celeberrimum Philoſophiae Perſicae nomen extitiſſe. *Quintum:* Senes duos, quorum miraculoſae inſtitutioni tradita fuit Soſipatra, rogante patre quinam eſſent, cunctabundos, refert Eunapius, reſpondiſſe: *εἶναι τῆς Χαλδαϊκῆς καλουμένης σοφίας οὐκ ἀμυήτους.* Quae quanquam fabula eſt, inquit Ven. Auct. docere tamen poteſt, Philoſophiae Orientalis ſeu chaldaicae denominationem etiam in graeca Iamblichi ſchola fuiſſe celebratiſſimam. *Ultimum:* Philo quidem Orientalis philoſophiae nomen vel ſuppreſſit ſtudio, vel incurioſius, tanquam genti ſuae non ſatis decorum, neglexit atque praetermiſit; tamen ſaepius ipſius ſyſtema ſecutus eſt, atque, unde ſua hauſerit, evidentiſſime prodidit. — Haec teſtimonia, quanquam cum magna eruditionis interioris et reconditae laude prolata ſunt: tamen negare non poſſumus, nobis omni ex parte non ſatisfeciſſe, atque, ut reliqua taceamus, quae propter brevitatem hic non poſſumus afferre, videri paullulum ambigua. Hoc quidem ex iis intelligi poteſt, ſuperbiiſſe Perſas, ſeu Chaldaeos et Aegyptios, ob ſingularem quandam ſapientiam, quae Graecorum Philoſophia antiquior fuerit, eosque ad cognoſcendam eam allexerit; atque hoc nemo negat: verum an hae gentes peculiarem quandam, ab illa ſapientia diverſam philoſophiam ſeu theologiam myſticam habuerint, quae eius fuerit ratio et indoles, quae tradiderit dogmata, quomodo ab illa diverſa fuerit, id quidem ex his teſtimoniis non doceri poteſt. Hoc vero maxime neceſſarium eſt, ſi ex iis demonſtrare velimus, extitiſſe ſingulare quoddam genus Philoſophiae ſeu Theologiae, idque myſticum et peculiare, quod orientale vocari poſſit. *Philoſophiae Orientalis ſectam facile ſtatuerem,* (ſunt verba ex epiſtola valde notabili b. Pfaffii ad S. V. Bruckerum, h. l. inſerta,) *ſi ex documentis hiſtoricis probari poſſet illa, darique ex iisdem eius*

*ſyſte-*

*ſyſtema.* — Ut tamen omnis diſciplina Gnoſticorum Orientalis luculentius illuſtraretur, repetendam in his Supplementis a p. 507-530. curavit diſſertationem eruditiſſimam de Caulacau Baſilidianorum, quae inſerta fuit Muſeo Helvetico; quo rem eruditis fecit iucundisſimam, cum haec diſputatio hucusque non ſatis nota fuerit, igitur nec, ut meretur, lecta.

Ex cap. ſequente, de Philoſophia Iudaica, quamquam multa poſſemus afferre, docte et eleganter a Viro S. V. diſputata, adhibito in primis Carpzovii Comm. ad Goodwini Mos. et Aar. tamen, ne nimis longi ſimus, ea tantum praecipuam partem indicabimus. Diſſeruit nempe de Philoſophia Cabbaliſtica contra Schoettgen. p. 422. de origine ſectae Sadduceae p. 425, eiusque de Deo ſententia, p. 427. de diſſenſu atque inconſtantia Phariſaeorum in variis doctrinae capitibus, p. 430. quam tamen inconſtantiam, non cum Moshemio, Phariſaeis ipſis, ſed Ioſepho tribuendam eſſe exiſtimat, qui ita enarrare ſectarum ſuae gentis hiſtoriam voluerit, ut non nimis a placitis Graecanicae Philoſophiae differrent, ac propterea etiam vocem φιλοσοφίας de ſectis Iudaicis uſurpaſſe. In quo tamen nobis Ioſephus magis imitatus eſſe videtur gentis ſuae loquendi conſuetudinem, quae voce φιλοσοφίας theologiam Iudaicam, et ſcientiam legis Moſaicae intelligebat; quo ſenſu haec vox apud Philonem quoque aliquoties, atque etiam in Scriptis N. T. Coloſſ. II, 8. occurrit, diciturque apud eundem Ioſeph. σοφία νόμου, A. I. XVIII. 3. 1. Monuit porro non pauca de Eſſaeis p. 434. in primisque ſacrificiis eorum privatis, contra Moshemium, p. 438. de Therapeutis, p. 440. contra Iablonskium, qui in ep. ad Lacroſium Therapeutas Aegyptios fuiſſe exiſtimat; enarravitque copioſe ſyſtema de Eſſaeis, ex libro inedito, quod Wachterus (cuius MS. Codex eſt in Biblioth. Acad. Lipſ.) excogitavit, pag. 444-452. Pag. 453. quaedam tradit, quae ad Philonis opinionem de animis pertinent, optatque, ut doctrina Philonis de Deo animisque humanis a viro docto diligentius examinetur, et cum fontibus,

nempe

Digitized by Google

nempe doctrina Moſaica, barbarica, et orientali, conferatur. Quae de Philoſophia Iudaeorum exoterica obſervavit, ibique contra Oettingerum de ſyſtemate Sephirothico diſputavit, poſſumus praeterire.

Ad Tom. III. quaedam dixit de Philoſophia Saracenorum ſeu Arabum, pag. 469. ſſ. et de Philoſophia Chriſti, Apoſtolorum, pag. 499. veterumque Chriſtianorum, 501. quae pleraque ad doctrinam Orientalem et Gnoſticam pertinent, ex quibus fieri non poteſt ut quaedam afferamus. Meminit pag. 534. diſputationis Patrum κατ' οἰκονομίαν, de qua egregie nuper in libello academico egit C. A. Beyerus, digno qui legatur, ſi quis eam accurate velit cognoſcere. Doctrinam de Origene multis modis auxit pag. 542. quae lectu ſunt digniſſima; in primis vero iudicium ipſius ſuper Huetii Origenianis, quae, ut laude non indigna eſſe, tamen etiam multis vitiis ſcatere exiſtimat, propterea quod imperfectum ſit opus, nec omnes Origenis ſententias, in quibus a recepta opinione recedat, perſequatur, ſed eas tantum, quae in publicam reprehenſionem incurriſſent, cum tamen multa alia, aeque digna quae notarentur, tradiderit Origenes. Neque in illis quidem ſententiis enarrandis ſatis accurate verſatum eſſe putat Huetium. In univerſum autem Huetius ipſi videtur defendere magis voluiſſe Origenem, quam modeſte et caute dogmata ipſius referre atque diiudicare, et interdum uſus fuiſſe argumentis admodum levibus. Eo magis doleti, Carolum Ruaeum (de la Rue,) novae editioni Origenis, quam moliebatur, et in qua Huetii Origeniana emendare volebat atque locupletare, eſſe immortuum. Hoc damnum quamquam reparatum quodammodo ſit per Moshemii atque Semleri diligentiam; tamen multa adhuc ſupereſſe, quae obſervari poſſint ac debeant ab eo, qui ſcribere velit hiſtoriam dogmatum Origenianorum, omnibus numeris abſolutam. Reliqua pertinent maximam partem ad fontem errorum Origenis, Philoſophiam nempe Orientalem.



Digitized by Google

In hiſtoria medii aevi innumera adhuc egent accuratiore diligentioreque tractatione. Igitur vota repetit Vir S. V. pag. 557. quae iam in Opere ipſo fecit, ut non abſoluto Kochiano opere, Hiſtoria critica Philoſophiae aevi medii a viro docto, veritatis ſtudioſo, et a partium ſtudiis alieno, ſcriberetur, in primis cum ſubſidia litteraria adſint, quae egregie ad hanc rem uſurpari poſſint. P. 567. ſſ. eſt longa et erudita diſputatio de Bonifacio, in primis contra Ziegelbauerum inſtituta, in qua demonſtrat Cel. Br. nihil aliud egiſſe Bonifacium, quam ut pontificiam dominationem augeret atque ſtabiliret, vitamque monaſticam commendaret, atque ita Philoſophiae, omninoque literarum incrementis, non modo non conſuluiſſe, verum etiam maximopere obfuiſſe.

Copioſiſſimus fuit Auctor Ven. in augendo cap. quod de Philophia Scholaſtica exponit p. 582-672. Ex harum obſervationum magno numero eſt ea, quae ex loco admodum memorabili Guilielmi Durandi, in praefat. ad L. IV. Sentent. docet, fuiſſe illis quoque temporibus, quibus Patrum auctoritas maximi aeſtimabatur, viros quosdam eruditos, qui rectius iudicarent atque in rebus fidei non doctores eccleſiae, quamvis ſanctitatis eruditionisque laude clariſſimos, ſed ſolam Scr. S. audiendam eſſe docerent. Hunc locum iam Natal. Alex. H. E. T. VII. p. 154. ut obſervat Ven. Br. dignum iudicavit qui probe teneatur. Nec tamen negari poteſt, Durandum in aliis rebus turpiter aberraſſe, pontificiaeque dominationi nimis faviſſe; cuius rei exemplum affert, et cauſas commemorat. Pag. 612. copioſe defendit ſuum de Philoſophia ſcholaſtica iudicium contra Friſingenſem quendam monachum, qui non aequo animo paſſus fuerat, iſtum gregem contemni, quique adeo peculiari libro, 1757. Friſingae edito, id egerat, ut ſcholaſtica barbaries in Philoſophiam, tanquam in veterem ſedem ſuam reſtitueretur. Contra eundem convitiatorem, et auctorem libri gallici ſur l'Eclectisme, multis argumentis diſputat p. 633-672. ſuamque

que ſententiam de Gregorio M. eiusque conſilio comburendi libros gentiles Bibliothecae Palatinae, late defendit, oſtenditque, utriusque adverſarii argumentis afferendis refutandisque, ſe nihil in Papa reprehendiſſe, quod non teſtimoniis fide dignisſimorum auctorum nitatur, ita ut nemo, qui veritatis ſtudio teneatur, aſſenſum ipſi posſit denegare.

Eandem doctrinam diligentiamque in locupletando quarto volumine adhibuit Cel. Auct. in quo recenſendo breviores erimus. Atque hic deprehendimus egregias obſervationes, in primis literarias, quales ſunt de Marſilio Ficino p. 689. de Erasmo pag. 694. qui iuvenis adhuc ipſi videtur primus fuiſſe, qui ſcholaſticorum Philoſophorum barbariem contemnere ac depellere in Germania auſus ſit, atque ita ſacrorum reſtaurationi proluſerit; item de Luthero p. 699. eiusque ſententia de Philoſophiae ratione et recto uſu; de editione rariſſima libri Mabilloniani, lectu dignisſimi, de ſtudiis monaſticis, quam Udalr. Staudigl curavit a. 1702. p. 704. de Folengii Carminibus, p. 714. de Caeſalpino, p. 720. Nicolao Taurello, p. 726. Iac. Thomaſio p. 733. de libro rarisſimo Io. Baptiſtae Criſpi, de ethnicis Philoſophis caute legendis, p. 745. de Io. Reuchlino, p. 747. de Henr. Corn. Agrippa a Nettesheym, p. 752. de Io. Chryſoſtomi Magneni libro admodum raro, qui inſcriptus eſt: Democritus reviviſcens, ſ. de vita et Philoſophia Democriti, Ticini, eiusque raritatis cauſis, pag. 765. de editionibus Operum Franc. Mottaei Vayerii, p. 773. de Petro Baylio, p. 776. de Henrico Kunrath, eiusque libro non ubivis obvio, ſed nugis plenisſimo, qui inſcriptus eſt: Amphitheatrum ſapientiae aeternae rel. pag. 784. Pag. 782. Theophraſti Paracelſi ſomniorum ex libro, cui titulus eſt: philoſophia ad Athenienſes, et p. 790. Poireti doctrinae praecipua capita enumeravit. Haec propterea indicavimus, ut, qui de iis velit cognoſcere, poſſit conſulere Bruckerianam diligentiam.



Digitized by Google

Nec minus lectu dignae ſunt, quibus Volumen quintum auxit, obſervationes et ſupplementa. Pertinent huc, quae dixit de Iordano Bruno Nolano p. 809. eiusque itineribus atque ſcriptis, de Hieronymo Cardano p. 816. de Fr. Bac. de Verulamio p. 821. de Thoma Campanella p. 824. Hobbeſio p. 830. Carteſio p. 843. ubi ſimul obſcuras Thomae Angli ignotasque plerisque concluſiunculas, ex libro eius, qui inſcribitur: Euclydes Metaphyſicus, enarravit, et, comparandarum earum cum Carteſianis ſententiis, copiam fecit lectoribus. De Leibnitio nihil dixit, niſi quod fontes indicavit, quos adire poſſint, qui plura de eo velint cognoſcere, laudavitque in primis Ludovici Dutens in edendis Leibnitianis operibus ſtudium, de quo nuper admodum in his Actis dictum eſt. De Chriſt. Thomaſio egregie multa protulit, quae lectu ſunt digniſſima, quo pertinet in primis index totius ſyſtematis de Iure Nat. et Gent. Copioſisſime autem, ut res poſtulabat, de vita, fatis, ſcriptis, controverſiis, earumque initiis et cauſis, Chriſt. Wolfii egit, quem in opere ipſo omiſit, quoniam tum adhuc viveret, a pag. 875-902. Quae in ſequentibus capitibus obſervavit de emendata Dialectica per Petr. Ramum, Verulamium, Malebranchium, Lockium, aliosque, pag. 903. Philoſophia naturali p. 912. Metaphyſica, p. 922. de Philoſophia morali, pag. 927. et Civili pag. 938. lectorum deſiderio relinquimus. Reſtaret, ut ex iis quaedam commemoraremus, quae Senis Ven. induſtria primum de Philoſophia gentium Aſiaticarum in univerſum p. 955. deinde vero ſeparatim de Philoſophia gentis Malabaricae, p. 970. Sinenſium, p. 978. Iaponenſium, p. 999. et Canadenſium, p. 1003. prolixe diſputavit, cuius rei largam copiam ipſi ſuppeditarunt libri quidam, qui iam edito hoc Volumine prodiere, in primis Collectio Anglorum itineraria, et Hiſtoria univerſalis orbis terrarum, cura *Baumgartenii* incepta, et Semleri continuata. Sed et haec lectoribus inſpicienda commendabimus, cum paullo prolixiores nos fuiſſe intelligamus; hoc tantum admonentes,

Digitized by Google

tes, ad calcem Voluminis huius VI. liberali manu I. C. B. quem filium Cel. Auctoris, Virum clar. et doctisſimum, eſſe ſuſpicamur, adiectam eſſe *Tabulam mnemonicam Hiſtoriae Philoſophicae*, quae breviter totius operis praeſtantisſimi ſummam exhibet. Ceterum, Venerando Seni Operis perfectionem ex animo gratulamur, vitamque, vires, et ſenectutem tranquillam precamur, ut diutius orbi erudito inſigni ornamento eſſe, et labores, quos incoepit, in primisque ultimum interpretationis ſacrarum literarum Volumen, diu deſideratum, feliciſſime perficiat.

## *MEMORIA GYMNASII POLYIDEI REFECTI EX Ancyrani marmoris fragmento: Auctore IACOBO FRIDERICO HEUSINGERO, Gymn. ill. Guelferb. Rectore.*

Veteris inſcriptionis fragmentum, quod interpretari conſtitui, inter alia beneficia, *Ancyrae* Galaticae olim conceſſa, *Gymnaſii Polyidei* inſtaurationem commemorat. Inſcriptio haec eſt:

ΚΑ—ΤΟΤΟΤΠΟΛΤΕΙΔΟΤΙΤΜΝΑ
ΣΙΟΝΚΑΘΗϽΗΜΕΝΟΝΕΠΙΣΚΕΨ
ΑΣΑΝΤΑΚ—ΣΥΜΠΑΝΤΟΤϽΙΧΟΣ
ΕΝΞΕΙΤΟΔΕΙΔΚ—ΒΑΡΒΑΡΙΚΑ
ΕΦΟΔΟΙΕΕΡΘΕΜΕΛΙΩΝΕΙΣ
ΤΕΛΟΣΑΓΑΓΟΝΙΑ
Κ—ΤΗΝΒΟΤΛΟΓΡΑΦΙΑΝΕΚΠΟΛΛΟΥΚΑΤ
ΝΕΑΝΜΕΝΗΙΝΜΕΤΑΓΟΤΑΚΡΙΒΩΝ
ΣΑΝ—ΑΑ—ΠΒΟΤΛΗΚ—ΟΔΗΜΟΣΤΗΜΛΑ
ΜΗΤΡΟΠΟΛΑΝΚΥΡΑΣΚΟΙΝΩΔΟΙΜΑΤΙΜΠ
ΤΟΝΕΑΤΤΩΝΕ—Κ—ΤΟΤΕΘΝΟΥΣ
ΣΩΤΗΡΑ.

Depromtum eſt hoc monumentum ex iisdem commentariis IOANNIS DORENSVAMI, e quibus aliquot ſimilia iam antea prolata ſunt. Deſcripſit illud Ancyrae, et cum DORENSVAMO communicavit IOANNES BELSVS, Epperienſis, unus e comitibus Antonii Wrantii, Epiſcopi Agriae, qui anno cIↃ IↃ L V. Legatus Ferdinandi II. ad Imperatorem Turcarum Amaſiam profectus eſt. Et hic Belſus, nec vero Dorenſuamus, quod ambiguo teſtimonio deceptus crediderам, partem nobilis illius Ancyrani monumenti, quod Auguſti res geſtas narrat, ex ipſo marmore enotavit, idemque Inſcriptiones collegit illas, quas, quum ante aliquot annos publicarem, quia Dorenſuami commentariis adnexas videbam, Dorenſuami diligentiae acceptas ferebam.

Sed redeundum eſt ad eam, quam propoſui Inſcriptionem. Hanc Belſus teſtatur ſe in lapide reperiſſe, qui prima parte truncatus fuerit. Marmor iam illo tempore detritum valde fuiſſe: inde ſuſpicor, quod non litterae ſolum, ſed etiam voces aliquot in deſcribendo Belſum fefellerint. Periculum igitur faciam, an partem eorum, quae vetuſtas deſcribentis oculis ſubduxerat, coniectura poſſim reducere. Equidem arbitror, haud longe a vero nos aberraturos eſſe, ſi credamus in lapide ita ſcriptum fuiſſe:

ΚΑΙ ΤΟ ΤΟΥ ΠΟΛΥΕΙΔΟΥ ΓΥΜΝΑ
ΣΙΟΝ ΚΑΘΗΡΗΜΕΝΟΝ ΕΠΙΣΚΕΦ
ΑΣΑΝΤΑ ΚΑΙ ΣΥΜΠΑΝ ΤΟ ΤΕΙΧΟΣ
ΕΝ ΣΕΙΤΟΔΕΙΑ ΚΑΙ ΒΑΡΒΑΡΙΚΑΙΣ
ΕΦΟΔΟΙΣ ΕΚ ΘΕΜΕΛΙΩΝ ΕΙΣ
ΤΕΛΟΣ ΑΓΑΓΟΝΤΑ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΒΟΥΛΟΓΡΑΦΙΑΝ ΕΚ ΠΟΛΛΟΥ ΚΑΤΑ
ΛΕΛΕΙΜΜΕΝΗΝ ΜΕΤΑ ΛΟΓΟΥ ΑΚΡΙΒΩ
ΣΑΝΤΑ ΑΠΑΣΑ Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΗΣ
ΛΑΜΠ.

ΜΗΤΡΟ-

ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΝΚΥΡΑΣ ΚΟΙΝΩ ΔΟΓΜΑΤΙ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΚΑΙ ΤΟΥ ΕΘΝΟΥΣ
ΣΩΤΗΡΑ.

Emendationum pleratumque rationes ita manifeſtas eſſe puto, ut operae pretium facturus haud eſſem, ſi verboſa diſputatione explicandas iſtas ſuſciperem. Hoc unum lectores monitos velim, ne opinentur, typothetae vitio factum eſſe, ut litterae ΜΠ, quae verſui nono extremo adiiciendae erant, fini ſequentis verſus adhaeſerint. Ita, quem ad modum ſupra expreſſi ſunt, verſus iſtos in exemplari manu ſcripto reperimus. Et facile fieri potuit, ut Belſus, quum inſcriptionem in ceras ſuas coniiceret, poſtremam partem noni verſus, qui longior, quam pro modulo pugillarium, procedebat, deorſum flecteret, ut deinde tranſcribenti hoc monumentum viſae ſint litterae ΜΠ ad ſequentem verſum pertinere.

Quo tempore, cui homini, tam honorificum titulum populus Ancyranus ſtatuerit, divinare non poſſum. Diſcimus quidem e *Paulli Diaconi* hiſt. miſc. lib. XXIIII. c. 5. Ancyram Galatiae a Nicephoro aedificatam eſſe. Sed monumentum noſtrum, ſi quid video, Nicephori temporibus longe antiquius eſt. Si coniecturis indulgere libeat, haud improbabile putem, attingere inſcriptionem noſtram tempora Caracallae, a quo inſignia beneficia Ancyranos impetraſſe ex eo intelligimus, quod in huius Imperatoris nummo apud Vaillantium ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗΣ ΑΝΚΥΡΑΣ appellationem occurrere videmus. Et videtur Caracalla cauſſas habuiſſe muniendae Ancyrae, quum ad Armeniacum Parthicumque bellum converteretur, quod eum feciſſe legimus apud Spartianum cap. VI.

Praeterea apud Gruterum p. cccccx. n. 3. invenimus marmor Ancyranum, quod honori conſecratum eſt viri, qui aliquo-

aliquoties ad Caracallam legatus ierit, et beneficiis erga Ancyrauos meruerit, ut *conditor Ancyrae* vocaretur. Inſcriptionem ipſam hic dabo:

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΦΛ. ΑΙΛΙΑΝΟΝ. ΙΠΠΕΑ. ΡΩΜΑ
ΙΩΝ. ΚΑΙ. ΚΑΛΛΙΣΤΗΝ. ΠΡΩ
ΤΗΝ. ΑΡΧΗΝ. ΑΡΞΑΝΤΑ. ΚΑΙ
ΠΟΛΕΙΤΟΓΡΑΦΗΣΑΝΤΑ
ΚΑΙ. Τ. ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΑ
ΠΑΡΑ. ΘΕΟΝ. ΑΝΤΩΝΕΙΝ
ΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝ
ΤΑ. ΥΙΟΥ. ΤΟΥΤΕ. ΚΟΙΝΟΥ
ΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. ΚΑΙ
ΤΩΝ. ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ. ΤΩΝ
ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ
ΠΥΘΙΩΝ. Κ— ΑΡΧΙΕΡΕΑ
ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΓΑΛΑ
ΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ. ΣΕ
ΒΑΣΤΟΦΑΝΤΗΝ
ΚΤΙΣΤΙΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟ
ΠΟΛΕΩΣ. ΑΝΚΥΡΑΣ
ΦΥΛΗ. [forte ΦΥΛ. $\overline{\text{Η}}$.]

Hunc Fl. Aelianum non ab una tribu ſolum honoratum eſſe, ſed alias tribus quoque erga eundem, erectis monumentis, gratum animum publice teſtatas eſſe, ex eo intelligere videor, quod mihi perſuaſi, ad hunc ipſum pertinere etiam inſcriptionem, quae apud Gruterum p. ccccxv. n. 1. mutila habetur et ex ea, quam paullo ante poſui, pluribus locis emendari debet atque ſuppleri.

Vide-

Digitized by Google

Viderint igitur, qui me ſunt perſpicaciores, an ſit aliquid, quod nos prohibeat ſuſpicari, Senatum atque univerſum populum Ancyranum, eo monumento, quod a Belſo accepimus, conſultum voluiſſe memoriae Fl. Aeliani, quem titulis honorificentisſimis a ſingulis tribubus cultum eſſe novimus. Non tamen me praeterit, quam in lubrico hic verſer, et profiteri malo, neſcire me, qui Polyidi gymnaſium ac murum Ancyranae urbis refecerit, quam temeritatis in coniectando crimen admittere.

Illud vero praetermitti ſilentio non debet, e multis inſcriptionibus, quas Belſus ac Dorenſuamus Ancyrae deſcripſerunt, pleraſque a Grutero editas, nonnullas multo poſt a Tournefortio et Paullo Luca, ex iisdem marmoribus, repetitas eſſe. Ex his duas, quas Belſus integriores dedit, hic attexere liceat. Prior erit haec:

DIS MANIB.
L. LVCCIO. L. F. POM.
SECVNDO. COMITI.
M. VALERI. ITALI.
LEG. AVG.

Hanc inſcriptionem *Paulus Lucas* Itiner. tom. I. pag. 304. ſeq. ed. Amſtelod. a. cIↃ IↃCCXIIII. miſere corruptam ita dedit:

DIS MANIB. LIVCCIOL F POM
SIC VNDOC OMIT ΛΛ NITRII
TAII AVG.

Mutilam *Herm. Ulr. de Lingen*, in opuſculis Germanicis part. II. p. 195, ingenii ſui acumine fretus, reſtituere tentavit, et tale commentum extudit:

DIS MANIB. L. TVCCIO. L. F. POM.
SECVNDO. DOMIT. λ. λ. MINISTRA
TOR. AVG.

 Idem

Digitized by Google

Idem tamen Lingenius p. 197. feliciore ſucceſſu coniecit, legi etiam poſſe L. LVCCIO. Sed in poſteriore monumenti parte longiſſime a vero deflexit. Praeclare igitur de hac inſcriptione meritus eſt Belſus, quod eam integram enotavit ex lapide, cuius litterae poſt illud tempus ita evanuerunt, ut verborum ſententiam regius Antiquarius adſequi plane non potuerit. Vix attinet monere, extremam inſcriptionem legendam eſſe LEGATI AVGVSTI, quia de comitibus magiſtratuum provincialium res pervulgata eſt.

Neque irritam operam Belſus impendit deſcribendae inſcriptioni, quae hic ſequitur:

D. M.
Q. AQVILIO LVCIO
7 LEG. II. AVG.
SEVERIA MARTINV
LA CANIVNX ET
AQVILIA SEVERINA
FILIA ET HERES
F. C.

Hanc etiam *Tournefortius*, ſesqui Saeculo poſt, Ancyrae invenit, et itinerario ſuo Tom. I. Epiſt. XXXI. p. 183. ed. Amſtel. a. CIↃ IↃCCXVIII. inſeruit. Eadem e Tournefortí commentariis depromta legitur in opere inſcriptionum Muratorii p. DCCLXXXIII. n. 4. In hoc tamen apographum Belſi integrius eſt, quod temporis iniuria Tournefortium iam privaverat conſpectu notae 7, quam verſui tertio praemitti, et *centurionem* ſignificare videmus. Suſpicari quis poſſit, verſu quarto SEVERIA MARTIOLA e Grutero pag. DCCCLII. n. 1. reponendum eſſe, niſi Belſus ac Tournefortius in MARTINVLA conſentirent. Quod vero quinto verſu CANIVNX, pro quo Tournefortius CONIVNX dedit ſcriptum eſt id ſcalptoris, an Belſi errore factum ſit, equidem non dixerim.

Ex

Ex Ancyranis Belſi hoc veluti corollarium adiiciam:

D. M.
LOCI. VIVI. IO
RISSLEGXVPoI
CVRANIIIVLCRES
CENTESLEGEIVSDEM
MVNICIPATVS..AMICI
CIAECAVSA

Procul dubio vetuſtate valde attritum fuit marmor, ex quo monſtrum hoc inſcriptionis procuſum eſt. Tamen in his tenebris agnoſcere mihi videor monumentum, quod centurio collegae ac municipi ſuo ponendum curavit. Et ex litterarum veſtigiis coniicio, inſcriptionis hanc olim faciem fuiſſe:

D. M.
L. OCTAVI. VICTO
RIS. Ɛ. LEG. XV. PON.
CVRANTE. IVL. CRES
CENTE. Ɛ. LEG. EIVSDEM
MVNICIPATVS. ET. AMICI
CIAE. CAVSA.

Nomen vero VICTORIS inter OCTAVIAE gentis cognomina fuiſſe, conſtat ex inſcriptione apud Gruterum p. ccccxxxxv. n. 4.

## *SECONDE LETTRE D'UN ANONIME À MR. I. I. Rouſſeau, conténant un examen ſuivi du plan d'éducation, que cet Auteur a propoſé dans ſon ouvrage, intitulé Emile, ou de l'Education.*

Lutet. Paris. 1767. pl. 10. in 12mo.

Auctor, qui priorem epiſtolam adverſus Ruſſalii *Contractum ſocialem* ſcripſerat, idem hanc adverſus eiusdem *Ae-*

*milium*, ſeu librum de *Educatione*, edidit. Non vero exiſtimandum eſt, auctorem omnes, quos hic commiſerit errores Ruſſalius, refutatione complexum eſſe. Nam cum duplex inprimis genus errorum in R. Aemilio deprehendatur, alterum, quo praecipua religionis Chriſtianae capita oppugnantur, alterum, quo in caeteris educationis partibus, veluti in vitiis emendandis, moribusque fingendis, et ingenio colendo, ab humanae naturae legibus aberratur: illo omiſſo, hoc tantummodo perſtringere conatur. Qua quidem in re A. non modo non reprehendendus, ſed et maximopere laudandus eſſe nobis videtur. Nam cum R. nihil proferat novi adverſus religionem, quod non ſexcentis ab doctoribus ſit dictum adverſariis, atque totidem a Theologis refutatum, exploſumque ab hominibus de rebus recte iudicantibus: eiusmodi errores refellere, et crambem denuo recoquere, et plane ſupervacaneum, quod vix ullum uſum habere videtur, eſt habendum, et periculoſum, ne res ipſa, per ſe minime dubia, argumentando altercandoque dubia atque incerta reddatur. Singulas vero obiectiones, cum multae ſint, recenſere non poſſumus, ſed tantum de ſumma illarum paucis dicemus. In univerſum A. oſtendit, primum praecepta, quae R. de educatione, liberorum inprimis nondum epheborum, dederit, non niſi ad corporis robur firmandum valere, omni cura animi ingeniique ad virtutem diſciplinasque fingendi plane neglecta. Hinc cum ex perverſa iudicandi ratione omnia vitiorum, curarum, aegritudinisque genera oriantur, non dubitari poſſe, quin illa educandi ratio, ſi quis ea utatur, fiat nimis periculoſa. Deinde A. obiicit, R. in ſtabilienda ſua hypotheſi, male excogitata, ſaepe ſibimet ipſi parum conſtare, veluti cum R. dicat, *ſeſe traditurum praecepta, quorum uſu liberi evadant praeſtantisſimi et optimi;* atque tamen alibi improbet culturam animi ingeniique, ſine qua fieri non poſſe, ut perfectio aliqua in liberos cadat. Idem Ruſſ. reprehendit, ait A. rationem illam vulgarem, qua puerorum mores ingeniumque mature finguntur; et tamen paulo poſt ipſe praecipit, ut pueri ad prudentiam providen-

videndique facultatem erudiantur, quam tanquam veram cauſam originemque miſeriae humanae reiicit. Nec intelligi poſſe obiicit A qua ratione poſſit fieri, ut, cum e mente R. pueri non ſint imbuendi praeceptis, quae ad virtutem comparandam, facultatemque veri cognoſcendi valeant, praeceptum illud Ruſſ. de pueris prohibendis a vitiorum contagione, errorumque periculo, teneatur ſerveturque, niſi in pueris acuatur iudicandi facultas, qua verum a falſo, honeſtum a turpi diſcernant. Inconſtantia R. eiusque praeceptorum futilitas patet etiam ex eo, quod interdum Aemilio puero, qui cum ruri educatus ſit, et pueritiam in opere ruſtico faciundo conſumſerit, nec ullam praeter vernaculam linguam didicerit; magna tamen diſſerendi ſubtilitas, Reip. adminiſtrandae peritia, ſermonisque elegantia et urbanitas, et omnino de artibus affingitur iudicium haud contemnendum. Denique illa educandi ratio, ait A. non omni puerorum generi apta eſt. Niſi enim puer ſatis copioſis divitiis inſtructus, et certo quodam praeditus ingenio, et certa quadam in conditione natus eſt vitae, omnis Ruſſalii praecipiendi ratio ſit vana et irrita. Reſtat, ut pauca de praefatione, huic libello praefixa, dicamus. Eſt vero ea tripartita. Primum reſpondet obiectionibus nonullis, contra epiſtolam priorem factis, Anonymum v. c. non uſum eſſe eo orationis genere, quod lectorem ſuavitate ſua alliciat. Cum enim in univerſum duo, ait, ſcriptorum genera ſint exiſtimanda, quorum alterum potiſſimum ad delectationem valet, alterum ſolum docendi conſilium ſibi propoſitum habet: ut ab illo ornatus orationis abeſſe non debet, cum ſola perſuaſio ſpectetur; ita in hoc fucus orationis non modo ſupervacaneus eſt habendus, quia tantum demonſtratio rei vel verae vel falſae ſpectatur, ſed etiam pernicioſus, quippe qui attentionem animi impedit, avocatque mentem a vero recte cognoſcendo. Altera pars complectitur quaeſtionem de natura et cauſis diverſitatis opinionum. De rebus, quae in ſenſus incurrunt, varietatem opinionum A. putat exiſtere ex diverſo hominum ingenio, quorum alii aliter afficiantur; nec



Digitized by Google

vero illam tantam eſſe exiſtimandam, ut nullus prorſus conſenſus ſit, et ſumma in vitam humanam inducatur incertitudo. Nec, ſi res merae intelligentiae ſubiectae ſpectentur, opinionem Scepticorum admitti poſſe, qui nihil plane certi in rebus humanis ſtatuant. Alias enim res, v. c. quae in matheſi traduntur, eſſe certisſimas; alias vero, ut quaeſtionem de Principiis Iuris naturalis, eſſe quidem eiusmodi, ut ſententiae hominum doctiſſimorum inter ſe diſcrepent, ſed cauſam illius diſſenſus neque in obſcuritate aut difficultate rerum, neque in humani ingenii imbecillitate eſſe ponendam, ſed ab ignavia negligentiaque hominum arceſſendam. Quodſi enim ſtudii induſtriaeque ſatis collocetur in principio illo expoliendo, quo uſus ſit Wolfius in Iure naturali, atque Grotius et Pufendorfius in ſtabilienda Socialitate, et quod Servator ipſe tanquam regulam noſtrorum officiorum erga homines praeceperit, puta *amicitiam*, ſeu ſtudium noſtrae aliorumque conditionis perficiendae: dubium non eſſe, quin tandem, firmo ſtabilito principio, ad ſummam perſpicuitatem certitudinemque doctrina de officiis perducatur. Tertia denique praefationis pars continet defenſionem Grotiani libri, quem Ruſſ. ob multitudinem ſententiarum poeticarum, quibus refertus ſit, tanquam merum ingenii luſum reiiciendum putavit. Nam Grotium auctoritatibus primum non uſum eſſe, A. demonſtrat, ut vim argumentorum firmorum haberent, ſed ut materiam veri facilius inveſtigandi ſuppeditarent. Deinde cum Grotius Ius Gentium non de vinculo iuris intellexerit, quo gentes inter ſe copulentur, ſed de conſenſione quadam convenientiaque opinionum morumque in diverſis gentibus; facere non potuiſſe, quin uteretur auctoritatibus. Etſi vero aliqua ex ratione concedi debere, quod adverſarii obiiciunt, opinionum vanitatem non parere veri iuſtique iudicandi regulam normamque certam: cum tamen Grotius vellet demonſtrare, quid debeant facere homines, ſive qua homines, ad ſocietatem nati, ſive qua Chriſtiani, ſive denique qua ſocii corporis politici in his terris; facile eſſe intellectu, Grotium non potuiſſe non illa ratione

uti.

uti. Denique cum ille vir doctiſſimus probe intellexerit, eſſe opiniones a gentibus receptas probatasque, quae neque ob diverſitatem ad unam certamque regulam principiumque Iuris naturalis iudicari poſſint, neque ob gravitatem momentique rationem praetermitti: illam rationem tanquam ſupervacaneam et inutilem non ſpernendam eſſe exiſtimaſſe. Sed ſatis de praefatione. Ceterum, ut dicamus, quid nobis in univerſum de ipſa epiſtola hac videatur: exiſtimamus, lectionem eius haud inutilem fore iis, qui aut novitate quarundam Ruſſ. opinionum attoniti, aut quadam ingenii imbecillitate impediti, ipſi opinionum R. vanitatem animadvertere, verumque a falſo diſcernere non valeant; praeſertim cum Ruſſ. ſermone ſit uſus tali, quem etiam mulierculae, hominesque infirmioris iudicii, intelligant. quod librorum genus quam pernicioſum ſit, nemo neſcit.

## *SPECIMEN PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM DE Providentia Dei ſpeciali. Auctore ANE DRYFHOUD, S. S. Theol. et Philoſ. Doctore, ut et A. L. Magiſtro.*

Traiecti ad Rhen. ap. Paddenburg. 1768. pl. 14. 8. mai.

Deſcriptum eſt hoc opuſculum in partes tres, quarum prima agit de Syſtemate Leibnitiano, de vera miraculi notione altera, denique tertia de ſpeciali Dei providentia. In quo non is animus fuit Auctoris, ut, quae ab aliis praeclaris viris ſuper hac re ſcripta eſſent, repeteret, ſed ut paulo accuratius in eam inquireret, ſcilicet, *num in ordinario providentiae curſu, Deus etiam ſic aliquando res dirigere ſit dicendus, ut per vires naturae praeſtet, quae, ſi ipſae ſolae operarentur, ſuppoſito tamen ordinario providentiae influxu, non accidiſſent: ſive clarius, num Deus aliquando in ordinario mundi, tum phyſici, tum moralis, regimine, occulto, particulari plane, et magis immediato modo, nonnunquam in hanc vel illam rem ita influat ac opere-*

*operetur, ut abſque veri nominis miraculo, effectus ſiſtatur, qui eventum nunquam ſortitus fuiſſet, ſi cauſae ſecundae ſolae, abſque ſpeciali iſto influxu, iuxta conſuetas providentiae leges operatae eſſent?* p. 2. ſ. quod ut eo luculentius demonſtrari atque intelligi poſſit, in anteceſſum quaedam monenda eſſe exiſtimavit, quae ipſi huc pertinere videbantur.

Iam in parte priori ita verſatus eſt, ut, quaenam eſſet Leibnitii, et qui eum ſecuti ſunt, ſuper iſta re ſententia, in textu exponeret, et quae contra dici poſſent, ad finem paginae in notis adiiceret; quae cum interdum nimis longae ſint, et per multas paginas traductae, non poteſt non haec ratio admodum iniucunda eſſe latoribus. Itaque primum, utamur verbis ipſius, Leibnitii aliorumque ſententententiam generatim propoſuit, atque per partes ex eorum ſcriptis demonſtravit; deinde de omnibus mundi ſubſtantiis generatim, et de atomorum exiſtentia ſpeciatim diſſeruit; porro de repraeſentatione, monadibus, ex Leibnitii ſententia, propria, egit, expoſuitque claritatem huius repraeſentationis in variis monadibus differre; diſputavit porro de monadibus corpora conſtituentibus, earumque ad ſe invicem relationibus atque operationibus, et quae animarum et ſpirituum nomine veniunt, originem, naturam, et operationes enarravit, nexum, qui his cum illis intercedit, ſ. ſyſtema harmoniae praeſtabilitae, expoſuit, ac denique modum, quo Deus providentia ſua circa univerſum hocce monadologicum verſatur, demonſtravit.

Hanc partem excipit altera p. 75. quae de vera notione miraculi praecipit: atque hanc ita conſtituit, miraculum eſſe effectum, qui fixas naturae leges, ſicque conſuetum naturae ordinem infringat, ab eo deviet, immo ei contrarietur. Quae ut recte ſe habet, ita tamen non placet diſtinctio, ſatis quidem atque iis quoque uſitata, qui optime ſuper hac re ſcripſere, ſcilicet inter miraculum et mirabile, quorum illud vocat id, quod diximus, hoc vero, quod rationem ſuam ſufficientem quidem habeat in cauſis ſecundis, nobis tamen videatur a conſueto illo rerum ordine recedere.



Digitized by Google

dere. Quae diſtinctio ut non eſt ad tollendam vocis miraculi ambiguitatem neceſſaria, ita linguae latinae minus apta eſt, cum alterum ſit ſubſtantivum, alterum adiectivum. Itaque melior eſt diſtinctio inter miracula vera et opinata, quae inanem habent ſpeciem, nec ſunt eiusmodi, quae ex naturae legibus intelligi explicarique non poſſint. His expoſitis pergit demonſtrare, in miraculorum numerum referri nullo modo poſſe eas actiones, quae vel naturae leges antecedant, ut creatio; vel quae nullo nexu cum rebus creatis cohaereant, ut incarnatio filii Dei; vel ſimpliciter vim cauſarum ſecundarum ſuperent, et tamen ordini divinitus conſtituto reſpondeant, ut providentia; vel denique licet vim cauſarum ſecundarum ſuperent, nec conſtanti naturae ordini reſpondeant, atque ita inter naturae leges numerari nullo modo poſſint, tamen conſueto ordini nullam vim inferant. Diſputat quoque multa de actibus gratiae Spiritus Sancti in illuminatione et converſione, quos pro ratione diſciplinae, cui addictus eſt, immediatos eſſe putat, et irreſiſtibiles, ſed nullo modo miraculoſos dicendos, excepto Pauli Apoſtoli, aliorumque ſubito converſorum exemplo. Verum neque hoc excipiendum erat.

Sequitur denique pars tertia p. 110-226. in qua eſt caput rei, ſ. tractatio ipſa de providentia Dei ſpeciali. Ante omnia quaedam monuit Cl. Auct. de variis diſtinctionibus providentiae, in mediatam et immediatam, ordinariam et extraordinariam, easque ſingulas late explicat, atque exemplis illuſtrat. Praemiſit quoque nonnulla, quae ad rationem ſpecialis providentiae accuratius intelligendam pertinent, quam deinde hoc modo explicat: Deum, in regimine huius mundi phyſico et morali, eam ſibi libertatem ſervaſſe, ut ſine legum naturalium ſuſpenſione, aliquando leni et inſenſibili impulſu in cauſas ſecundas influat, ut longe alium, quam ſi absque illo egiſſent influxu, eventum ſortiantur. Influere leni et inſenſibili impulſu quid ſit, non facile poteſt, arbitramur, ab unoquoque intelligi; ſaltem eiusmodi verba, aeque obſcura ac res ipſa definienda, non debebant uſurpari,



Digitized by Google

et tamen iis per totum fere libellum uti vidimus Auctorem. Eſt autem, ſi clarius loqui velis, nihil aliud, quam immediate et ſimul agere, ſalva creaturarum intelligentium libertate. Argumenta deinde profert, quae ſunt triplicis generis; primum ex ratione ductum eſt, alterum ex S. literis, ab exemplis tertium. Alterum genus rurſus ad diverſa capita retulit, quorum prius ea loca continet, in quibus in univerſum de providentia ſpeciali ſermo eſt; ſecundum, quae eam magis directe probant; tertium denique, in quibus ſpecimina quaedam, et luculentiora eius documenta, commemorantur. Singula afferre nihil attinet; loca quaedam, ſufficiat monuiſſe, adduci, quae huc non pertinent, ut Phil. II, 13. alia omitti, quae non erant omittenda, alia minus recte explicari.

Atque in univerſum ut de toto hoc libello ſententiam noſtram libere dicamus, non poſſumus a veritatis, cui nos unice dediti ſumus, ſtudio impetrare, ut, univerſam Auctoris rationem nobis probari, lectoribus perſuadeamus. Primum enim continet non pauca ſatis nota, et iam ſaepius dicta, nec ſpecie aliqua novitatis conveſtita, ut vel ex hoc recenſu intellexiſſe putamus lectores. Deinde nimis longe repetita refert, et alieno loco poſita, quae nullam vim habent ad accuratiorem rei intelligentiam. Liberius enim evagatus eſt Auct. ſaepenumero, latiusque, quam facile aliquis expectaverit. Quo referenda putamus capita duo priora, quae partem libelli omnino dimidiam occupant, nec tamen, ea certe, qua hic tractata ſunt, ratione, ad rei ipſius luculentiorem illuſtrationem quicquam faciunt. Si quid tamen de iis monere volebat, id debebat fieri paucis paginis ad finem libelli. Verum etiam in ultima parte multa dixit, quae abeſſe, ſalva rei perſpicuitate, poterant, ſaltem non ita prolixe tradi; quo in primis exempla cenſemus eſſe referenda, quae ſunt unicuique mulierculae notisſima, ut Ioſephi, Moſis, et quaedam alia, quae in concione fortaſſe non illubenter audiveris, in libro docto mirabere. Praeterea ſomnia in univerſum, in tali rei gravitate, argumenti loco non

non facile attulerimus. Nec denique ſcribendi elegantia commendat ſe libellus.

## *IO. CHR. GOTTLEBER A. M. ET SCHOLAE Annaebergenſis, in montanis Miſniae, Rectoris, Obſervationes in Platonis Alcibiadem ſecundum.*

Agit hic dialogus de precibus, ſive voto; quid illud ſit; quid, quando, et quomodo petendum? relicta diſciplina Orphica, quae ſuffitus in obeundis ſacris precibusque faciundis praecipiebat, ut ex Orphei indigitamentis deorum intelligitur: Socratica enim, mentem puram caſtamque ſuppeditare, tradebat. Summa totius diſputationis autem haec eſt: imprudentes eſſe, qui a diis multa precentur, quae credant eſſe ſalubria et bona, cum, quamvis ſpecioſa, re vera ſint mala: deos orandos eſſe ut dent bona, ſive appetierimus illa, ſive non, averruncent autem mala, quae ſimulacra ſint bonorum, a nobis ſaepe expetitorum: homines non placere diis, offerendis donariis ſplendidis hoſtiisque opimis, quibus ſe expiare poſſe putent numina: bonam atque pudicam mentem, quae votis piis Deum placet, acceptiorem ei eſſe omnibus ſacrificiis pompisque, ut exemplo Athenienſium et Lacedaemoniorum praeclare oſtenditur. Quam Socraticarum precum ſummam commemoravit *Xenophon*, (L. I, 3. *Memorabb.*) precatum enim eſſe, ait, a diis, ut, quae ſcirent eſſe bona, darent. Haec ſatis, ut opinor, teſtantur, quam praeclare, et Chriſtiano homine adeo digne locutus ſit *Plato*, ſi diſceſſeris ab ea ratione, quae homini, divina luce colluſtrato, ſolum nota eſſe poteſt. Verſabimur autem in dialogo hoc enarrando ſic, ut loca, in quibus *Ficinum* lapſum eſſe credamus, interpretemur, adſperſis animadverſionibus grammaticis ſuper verbis formisque paullo difficilioribus, et omnino, quid ad explicandum illum ex antiquitate faciat, in medium afferamus. Uſi autem ſumus editione Baſileenſi altera, apud Henricum Petri MDLVI impreſſa; quod monere non abs re viſum eſt.

Quum percunctaretur Socrates, an Alcibiades iret oratum Deum, et hic annuiſſet, ille obſervare ſibi videtur tetricum vultum: *φαίνῃ τι ἐσκυθρωπακέναι καὶ συννοούμενος*: quae verba liben-

ter adhibentur de iis, qui triſtitiam quandam, vultu in terram demiſſo, nec a ſordibus purgato, produnt; verbi σκυθρωπῦ in N. T. ſimilis eſt uſus, *Matth.* VI, 16. opponiturque τῷ ἱλαρῷ et φαιδρῷ vultui; cui verbo apte iunctum alterum, quod de cogitabundis ob aliquam rem gravem uſurpatur. Sic σύννυς apud *Dionyſ. Hal.* (IIII. 262.) dicitur Lucretia foedum paſſa facinus, ſummaque triſtitia affecta: σύννυς καὶ κατηφὴς, καὶ μεςὺς ἔχυσα ὀφθαλμὺς δακρύων. Unde *Heſychius*, σύννυς, κατηφεῖς: et συννοια, λύπη, ἔννοια ὅπως μὴ λήσεταί τις αὐτὸν εὐχόμενος μεγάλα κακὰ —) i. e. ne quis *imprudens* precetur magna mala, bona exiſtimans. Uſus hic τῦ λήσεται non inſolens Graecis. Sic occurrit et p. ſ. dialogi noſtri: λήσυσιν αὐτὺς καὶ λέγοντας καὶ πράττοντας.

ὥσπερ τὸν οἰδίπυν αὐτίκα φασὶν ἔυξασθαι.) Ficinus omiſit vertere τὸ αὐτίκα, vertendum autem: quemadmodum *exempli gratia* Oedipum precatum eſſe dicunt etc. Qui uſus huius particulae Platoni et Xenophonti frequens: v. c. in hoc dialogo pag. 128: αὐτίκα τῶν σῶν ἡλικιωτῶν; item de Rep. I, 376. ἐπεὶ αὐτίκα ἰατρὸν καλεῖς, et p. 229. εἴ σοι αὐτίκα μάλα παρασαίη. Dion. Hal. IIII. 272. Brutus de Tarquinii ſuperbia: αὐτίκα τὴν ἡγεμονίαν πῶς παρέλαβεν De poteſtate huic particulae ſubiecta, vulgo non animadverſa, multis egit *Erneſtius* ad Xenoph. Mem. IIII. 7, 220.

χαλκῷ διελέσθαι τὺς υἱεῖς τὰ πατρῷα) ut filii bello armisque regnum paternum dividerent. Ortum, oraculum Laii, expoſitionem, paternam caedem, et reliqua huius Oedipi triſtia fata, item diſſenſum Polynicis et Eteoclis, multis deſcripſit *Diod. Sic.* IIII. 307. ed. Weſſel. de precibus his temerariis Oedipi nil habet, quas exſtare vero puto in *Eurip. Phoeniſſ.* in prol. v. 66. ad quas Plato ſine dubio reſpexit. Iocaſta narrans, filios incluſiſſe patrem domi ſuae, ait:

— πρὸς δὲ τῆς τύχης νοσῶν
ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας
θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε, etc.

qui ultimus verſ. cum verbis Platonis plane congruit. Paciſcuntur autem primo hi fratres inter ſe, alternis imperare annis, ut *Diodorus* auctor eſt; Eteocles prior regnans, circumacto anno non vult tradere fratri annuum imperium: Polynices inde petit

Argos

Argos ad Adraſtum regem, qui ei perhumaniter excepto filiam in matrimonium locat, unde auxilium accipit, et, ducibus ſeptem, Thebanis bellum inferentibus, cum Eteocle manum conſerit, mutuisque vulneribus uterque occumbit. Hunc fratrum hoſtilem animum tyrannidis cauſſa obiter commemorarunt *Epict. XXXI.* et *Arrian.* II, 22. IIII, 5. Rem et breviter narrat *Scholiaſtes Euripidis* in *hypotheſi Phoeniſſ.*

Ἑτέρα κατηρᾶτο) καταρᾶσθαι idem eſt ac ſimplex; eſt enim, ſecundum *Heſychium*, ἀρᾶσθαι θεοῖς. Simplici utebatur etiam *Euripides*, et Plato antea dicebat εὔξασθαι, et paullo poſt. Notum eſt, Graecos uti ſaepe compoſitis pro ſimplicibus, ut *Abreſch.* in lect. Ariſt. notavit ſubinde.

Ἄφρονες δὲ καὶ φρόνιμοι) legendum ſine dubio: ἄφρ. τε καὶ φρον. Sic ſequitur et mox: ὡμολόγηται ἄφρονές τε καὶ φρόνιμοι. Addicunt et libri *Fic. eſſe alios* quidem imprudentes, alios vero prudentes —

οἱ μὴ δ' ἕτερα τούτων πεπόνθασιν) Fic. *ſuntne alii, qui neutrum iſtorum patiantur;* melius puto ſic: quibus neutrum horum conveniat, ſ. in quos neutrum cadat, neque valetudo, neque morbus. Τὸ πεπονθέναι de aliquo ſtatu corporis vel animi uſurpari, iam olim obſervavimus. Quaerit etiam paullo poſt, an ſit διὰ μέσου τρίτον πάθος, i. e. ſtatus quidam intermedius, ut aliquis neque imprudens, nec prudens eſſe poſſit.

Οἴει τῶν ἐν τῇ πόλει ὀλίγους εἶναι τοὺς φρονίμους) ſcribendum, ni fallor, τοὺς ὀλίγους εἶναι φρον. deleto articulo in φρον. ſequitur mox: ἄφρονας δὲ τοὺς πολλούς.

οἴει ἂν — χαίροντας — πολιτευομένους,) i. e. credisne nos impune, ſine periculo, conſuetudinem habere poſſe cum eiusmodi hominibus: χαίροντά τι ποιεῖν eſt impune aliquid facere; cuius ſignificationis dedit exemplum *Hoogeveen ad Vig.* 249.

προσέχῃς τὸν νοῦν — σύν τε δύο σκεπτομένω) Homerica imitatio, quae et reperitur alias in Noſtro, v. c. in Symp. p. 176. Locus eſt deſumtus ex Il. κ, 224.

σύν τε δύ' ἐρχομένω καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν
ὅππως κέρδος ἔῃ.

Obiter notabimus, hunc locum corrupte in *Sympoſ.* l. c. legi: σύν τε δύ' ἐρχομένω πρὸ ὁδοῦ βουλευσόμεθα, quod non vidit *Ficinus*, vertit enim, in itinere: quod, ſi quid videmus, non ſignificat πρὸ ὁδοῦ — Legendum eſt: πρὸ ὁ τοῦ, i. e. ut *Scholiaſtes* minor interpretatur: κοινῶς ὁ ἕτερος πρὸ ἑτέρου. Senſus loci in *Sympoſio* eſt: duo ſimul euntes, alter ante alterum, i. e. alternis conſultabimus, quid ſimus dicturi. Caeterum hunc locum Homericum praeter *Ariſtotelem*, *Euripidem*que, et *Cicero* ſuum fecit, ad *div.* IX, 7. ad Att. IX, 6. ut

nota *Clarkiana* et *Erneſtiana* quemque docere poteſt. Liceat nobis hoc loco animadvertere conſuetudinem Platonis, ſaepe reſpiciendi in verbis formisque loquendi ad *Homerum*; cuius imitationis plurima exempla dare poſſemus, ſi doctiores monendi eſſent. Quippe praebuit hic pater humanae ſapientiae omnibus poſt ſe pulcherrimam dicendi materiam, ut hic et aliis locis intelligitur, quod notavit praeſertim *Erneſtius* ad *Hom.* (*Il.* β. 36.) elucet vero etiam hinc, Platonicam orationem eſſe mediam inter ligatam prorſamque, notante *Ariſtotele* apud *Laert.* III, 25.

οὐκοῦν σκυτοτόμους — ἔχουσι διειληφότες — πάντες οὗτοι) notandi acc. abſ. quos latini per *de* eloquuntur: de ſutoribus, fabris, i. e. quod attinet ad etc. exemplorum pleni ſunt ſcriptores.

ἐμβροντήτους) Definiuntur hoc loco pulchre varii ſtultitiae gradus. Primo loco ponit furioſos, deinde ἠλιθίους, i. e. amentes, vanos, ſenſuque communi fere carentes: v. *Heſych.* poſtea ἐμβροντήτους, i. e. παραπεπληγμένους τὴν διάνοιαν, interprete eodem *Heſ.* quibus ſtupor eſt inſignis animi. Haec ſunt nomina, quibus ſine fuco ſtultitiam notamus: alia ſunt quae noſter vocat εὐφημότατα, quae, quaſi boni ominis cauſſa, molliori efferuntur nomine, v. e. μεγαλόψυχοι, εὐνεόι, et multis, veram honeſtatis notionem ignorantibus, non diſplicent—

Ἐρωη) operarum vitium, leg. ὁρῶν.

Egregie nunc Socrates docet exemplo Alcibiadis, quem, antequam preces ad Deum fundat, Athenienſium tyrannum, et tandem a Deo imperio totius Europae donatum, feliciſſimum fingit, ut ipſe ſibi videtur, eſſe valde lubricum, immo periculoſum, tum ea, quae nobis concedantur, ſine conſilio, temere, cum poſſimus ea deprecari, accipere, tum precari, ut votorum fiamus compotes, quo magnam felicitatis iacturam, quin vitae ipſius pati poſſimus. Fuiſſe enim, qui, quod in tyrannide felicitatis ſummam contineri crediderint, circumventi inſidiis, vita fuerint privati, ut exemplo Archelai intelligi poſſit.

χθιζὰ καὶ πρωιζὰ γεγεννημένα) Homerica imitatio, ex Il. β. 300. ubi Ulyſſ.

χθιζά τε καὶ πρωιζ' — ὅτ' εἰς Ἀυλίδα νῆες Ἀχαιῶν,
ἠγερέθοντο.

Uſurpantur autem hae voces, quum conſulto aliquod tempus boni ominis cauſſa vel definire nolumus, ut h. l. Poeta fecit, ne Graeci, auditis novem annis, quos in obſidione Troiae temere conſumſiſſent, trepidarent et moerore afficerentur, ut ſcite adnotat Scholiaſtes minor; vel cum non eſt neceſſe illud

lud definire, ut latini cum ſuo *nuper* faciunt. *Heſych.* χθιζὰ καὶ πρωιζὰ (χθὲς καὶ πρωί)

ὅτε Ἀρχέλαον τῶν Μακεδόνων τὰ παιδικὰ ἐρασθέντα τῆς τυραννίδος, οὐδὲν ἧττον ἤπερ ἐκεῖνος τῶν παιδικῶν ἀπέκτεινε τὸν ἐραστήν) Primum de ſenſu huius loci, quem non cepit *Ficinus*, deinde de ipſa re. Sic autem interpretatus eſt illum: *cum Archelaum Macedonum tyrannum, tyrannidis amantem delicias non minus quam ille ſitiens interfecit.* Non intellexit verba, παιδικὰ et ἐραστής, quod, inſpecto *Aeliani* loco, (VIII, 9. V. H.) noſtrum excerpentis, potuiſſet. Παιδικά τινος ſunt deliciae, amaſius, amor, pullus alicuius, qui aliis locis ἐρώμενος; ut Alcibiades dicitur Socr. fuiſſe amaſius, apud Ael. V. H. IIII, 21. παιδικὰ ἐγένετο Σωκράτους Ἀλκιβιάδης. Qui amabat, ἐραστής vocabatur, ut ex eodem III, 4. elucet, item ex *Platonis Sympoſ.* p. 179. in quo divinior habetur amator quam amaſius, et *Xen.* Symp. VIII. 16. Eiusmodi amor inter ἐραστὰς et παιδικὰ erat duplex, quum honeſtus, a coeleſti Venere hominibus inſtillatus, tum impurus a Vulgivaga, corporis voluptates immittente: (*Plat. Sympoſ.* 179. et *Xenoph.* eod. p. 707 Leuncl. ed.) illum ſectabatur Socrates, unde illi amaſii erant complures, quos ad virtutis ſtudium duceret: quem amorem deſcripſerunt *Plato* et *Xenophon* l. c. propterea quoque ne ab inſectatoribus quidem turpis amoris incuſatus eſt, quamquam corrupiſſe iuventutem diceretur, quod potius de mentis corruptione in religione et honeſtate tradenda intelligendum; hunc vero ii, qui corpus magis cum puerorum, tum muliercularum amabant, quippe inſpirati ab Amore Vulgivago. At nunc, unde digreſſi ſumus, revertamur, locumque ſic convertamus: *Quum Archelaum, Macedonum tyrannum, amaſius, non minus tyrannidem amans quam ille*, ſc. Rex *amaſium, interfeciſſet amatorem, ut tyrannus et felix eſſet futurus* etc. Rei autem huius mentionem faciunt *Aelian.* V. H. VIII, 9. et *Diod. Sic.* L. XIIII. p. 671. ed. Weſſ. quamquam hic aliter ac noſter: dicitur enim apud *Diodorum*, Archelaus ab amaſio, cui nomen erat Cratero ſ. Craterae, in venatione imprudenter ſauciatus, poſt eumque regnaſſe Oreſtes filius. *Ariſtoteli* quidem (L. V, 10. *Polit.*) cum quo facit *Aelianus* l. c. maior fides, auctoribus in diverſum trahentibus, eſt habenda: ille enim Craterum dicit coniuraſſe in amatoris caput una cum Hellanocrate; hic vero, illum tres aut quatuor dies imperium tenuiſſe. Hunc Crateram fuiſſe pathicum, ex *Ariſtotelis* loco conſtat: Archelaum vero tyrannum propter crudelitatem in patruum, filium, aliosque admiſſam, *Platonis Gorgias* docet p. 312. cf. etiam *Periz. ad Ael.* l. c. Notanda etiam Syneſis, τὰ παιδικὰ — εὐδαίμων ἀνὴρ ἐσόμενος.

ἐπιβουλευθεὶς ὑφ' ἑτέρων ἐτελεύτησε) τελευτᾶν etiam de morte violenta adhibetur, ut hic locus probat. Habet etiam *Aelianus* V. H. VI, 2. et alii. Simili modo τὸ ἀποθνήσκειν dicitur *Xenoph. Ageſ.* II, 4. quod etiam conſtruitur cum ὑπό. *Xenoph. Hier.*

Digitized by Google

*Hier*. X,4. ed. *Bachii*, δεσπόται βίᾳ ὑπὸ τῶν δούλων ἀπέθανον, i. e. interfecti ſunt. Sic loquitur quoque, ni fallor, Thucydides, it. *Aelianus* L. XII, 55. Non abludit ab hoc uſu τὸ ἀπολέσθαι, apud *Laert*. prooem. III. de Orpheo, ὑπὸ γυναικῶν. Ex analogia linguae poſſet τὸ ὑφ' ἑτέρων etiam referri ad ἐτελεύτησεν.

οὐ μόνον ἐν ταύτῃ τῇ στρατηγίᾳ) malim ἐν αὐτῇ, Ficinus ſic legiſſe videtur; ille enim: in ipſo exercitu. Favent et diſiuncta illa, quae mox ſequuntur: ἀλλ' ἐπεὶ εἰς τὴν ἑαυτῶν κατῆλθον. Senſus eſt: non modo eo ipſo tempore, quum praeeſſent exercitui, ſed et cum in patriam redirent.

ἀστρατηγήτους εἶναι) i. e. ignaros artis imperatoriae eſſe. Non recte *Fic*. ut optaverint ſe privatos vixiſſe potius, quam in privato munere. Qua poteſtate ſit hoc verbum, patet ex *Epp*. ad Att. VII. 13. „*quorum dux quam* ἀστρατήγητος, *cui ne Picena quidem nota fuerint*.

Εἶχεν ἄν τινα λόγον) Si labores et pericula aliquam utilitatem haberent, aliqua ratio et proportio eſſet, inter praemia ſcilicet, labores ſecutura. Noſtro hanc vim non eſſe infrequentem, nihil probare attinet.

Expoſitis hominum votis praepoſteris, tum ratione, tum exemplis, veluti Alcibiadis aliorumque, qui ſe, republica bene geſta, beatos putarant, procedente vero tempore infelices; pergit eos reprehendere, qui ἄγονοι, tandem deos precibus expugnatos flexerint, ut votorum damnarentur: illos vero poſtea, filiis per aetatem vitiis omnibus obrutis, moerore eſſe confectos; vel liberos, quamvis honeſtos et probos, calamitatibus tamen circumventos, praemature humani aliquid paſſos eſſe, ut parentes, maximis doloribus vexati, tandem optaverint, melius fuiſſe ſi liberis deſtituti fuiſſent. Etſi autem haec ſint manifeſte vera, eſſe tamen, qui, quo careant, frui velint, et, quum habeant, retractent et deprecentur; deos deinde ſtulte accuſari, quum ſua temeritate eiusmodi homines infelices evadant: quod eleganter Homeri verbis leviter immutatis dixit: (Od. α. 32.) — θεοὺς ἄνθρωποι αἰτιῶνται —

Corollarii loco modo obſervationem de forma νόμον θεῖναι et θέσθαι adiiciemus. *Kuſterus* in aureo libello, quem de *verbis mediis* ſcripſit, II, 10. p. 85. ed. *Fiſch*. contendit: θεῖναι νόμον ſemper dici de legislatore, ſive eo, qui populo legem ponat; at θέσθαι de populo, qui legem a legislatore ſibi ferri faciat, curet, vel mandet, eamque ſuffragio ſuo confirmet. Sed hanc obſervationem inconſtantem deprehendi in antiquiſſimis ſcriptoribus, qui θέσθαι νόμον etiam legislatorem dicunt. *Herodot*. I, 29. Σόλων ἀπεδήμησε — ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο — et mox: τοὺς ἄν σφι Σόλων θῆται: antea: ὃς Ἀθηναίοισι νόμους κελεύσασι ποιήσας: Plato Gorg. p. 316. οἱ τιθέμενοι τοὺς νόμους — paullo poſt 317. κατὰ τοῦτον τὸν νόμον ὃν ἡμεῖς τιθέμεθα: de *Rep*. I, 375. τίθεται τοὺς νόμους ἑκάστη ἀρχή: paullo poſt ex mente *Kuſteri*: οἱ ἄρχοντες ἐπιχειροῦντες νόμους τιθέναι. In *Gorgia* 375. antea medium, et dehinc activum. *Sext. Empir. Pyrrh. hyp*. L. III. 24. καὶ ὁ Σόλων Ἀθηναίοις τὸν περὶ τῶν ἀκρίτων νόμον ἔθετο. At Empiricus graecitatis recentioris eſt: audio: ſed et ſic loquebantur veteres Attici. Vidi *Clericum* in Diſſ. de *Verb. gr. mediis* p. 149. laudaſſe exempla idonea, etſi eius ſententiae in aliis non ſubſcribo. Interim haec exempla probant, Graecos loquendi formam promiſcue uſurpaſſe. Reliqua mox dabimus.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Maii Anno MDCCLXIX.*


*DOMITII ULPIANI FRAGMENTA LIBRI SINgularis Regularum, et incerti Auctoris collatio legum Moſaicarum et Romanarum, quibus notas adiecit IOANNES CANNEGIETER, Advocatus in Curia Gelrica. Accedunt eiusdem Disquiſitio de Notis et Siglis Veterum, et Obſervationum Miſcellanearum Liber ſingularis.*

Traiecti ad Rhenum, apud Guilielmum Henricum Kroon, MDCCLXVIII. in 4. pagg. 472.

Non melius profecto laudabiliusque tempus a negotiis forenſibus vacuum conſumere poterat Conſultiſſimus *Cannegieter*, quam edendis, quae hoc libro continentur, commentationibus. Etenim in iis tanta doctrinae copia, tantum iudicii acumen, tanta denique in corrigendis veterum locis ingenii felicitas apparet, ut ingenue fateamur, nos hunc librum maxima animi laetitia perlegiſſe, vehementerque exhilaratos fuiſſe, ſupereſſe adhuc in Batavis viros, qui humaniores litteras, eheu a plurimis hac noſtra aetate contemtas, ament et illuſtrent. Sed age, lector, accuratius cognoſce,

quanti in hoc libro lateant exquiſitioris doctrinae bonarumque litterarum theſauri.

Primum huius libri opuſculum ita inſcriptum eſt: *Tituli ex Corpore Ulpiani XXIX. ſive Fragmenta quae ſuperſunt ex Domitii Ulpiani libro ſingulari Regularum.* Exſtat hoc fragmentum in Iurisprudentia Anteiuſtinianea, quam Schultingius edidit, nec non in Theſauro iuris, quem vulgavit magnum illud litterarum praeſidium, Gerh. Meermannus. Secutus eſt Cl. *Cannegieter* textum a Schultingio propoſitum. Reliquias autem has totas ipſius Ulpiani eſſe, et neque ab Aniano, neque ab alio quovis Aniani ſimili compilatore commaculatas, docte oſtendit Auctor, quamvis in alia omnia diſcedant celeberrimi Iuris periti. Sententiam hanc et aliis argumentis, et hoc exornat, quod Anianus eo loco, ubi laborum ſuorum catalogum exhibet, atque Ulpiani meminit, fragmentum hoc non commemorat, ſilentio id profecto non praetermiſſurus, ſi et iſtud delibaſſet, aut in compendium redegiſſet. Longisſime igitur opuſculum hoc Cl. *Cannegieter* anteponendum cenſet caeteris, quae in Iurisprudentia Anteiuſtinianea continentur, veterum ICtorum reliquiis, tam foede et miſere contaminatis. Quid quod praeferendum hunc Ulpiani libellum putat ipſis, quae in vaſtiſſimo Digeſtorum pelago ſuperſunt, ICtorum reſponſis, quum haec a Triboniano, ceterisque Pandectarum architectis vitiata et mutata fuerint. In deſcribendo autem hoc Ulpiani opuſculo librarii ſaepiſſime coecutierunt, vel aliis erroribus inducti, vel praecipue notarum ignorantia identidem lapſi. Qua de cauſa commotum ſe ſenſit Auctor, ut notarum adiumento in extricandis locis difficilioribus inprimis uteretur, probe edoctus, veterum ICtorum ſcripta innumeris iam olim ſiglis fuiſſe referriſſima. Adiecit quoque libello copioſiſſimas, magnoque doctrinae apparatu repletas obſervationes, quarum aliae lectionis criſin, aliae verborum ſenſum ſpectant. Ac licet Auctor paullo prolixior longiorque interdum

dum fuerit, in excitandis in primis ſcriptoribus aliis, commemorandisque eorum ſententiis, quod ipſi fortaſſe a quibusdam vitio verti queat; nobis tamen ea prolixitas moleſta haud fuit, quippe quae magnam Viri Conſultiſſimi doctrinam prodit. Saepius quoque occaſionem ſibi datam vidit Auctor, alia veterum ICtorum Auctorumque loca reſtituendi, corrigendi, explicandi. Nonnunquam longius digreditur, atque ad res, iis, quas tractat, affines, evagatur. Exemplo ſint ea, quae pag. 39. de vocabulis obſoletis diſſerit. In hac digreſſione,quae nobis admodum placuit, vehementer invehit in eos, qui, ubi vocabulum aliquod rarioris uſus, quod diu fortaſſe fruſtra quaeſiverunt, apud probatae Latinitatis auctores offendunt, civitate Romana protinus ei interdicunt, atque aliud eius loco ſubſtituendum clamitant. Notandis his rarioribus vocabulis, multa loca feliciter reſtitui poſſe contendit, atque id exemplis quibusdam probat, quorum unum commemoraſſe ſufficiet. Multas interpretibus moleſtias Ulpiani locus creavit: *Si maritus uxori donaverit mortis cauſa, eaque diverterit, an diſſolvatur donatio? Iulianus ſcripſit, infirmari donationem, nec impendere.* Cruciavit interpretes verbum *impendere.* Quidam correxere, alii novam verbo ſignificationem ſubiecere, alii aliter ſe expedire conati ſunt. Quid vero Cl. *Cannegieter?* Omnia hic bene ſe habere dicit, modo legas disiunctim: *im pendere.* Tritisſima nimirum ſignificatione in iure dicitur *pendere* conditio, dies, res, cuius adhuc eventus exſpectari debet: *im* vero antiqua terminatione poſitum arbitratur pro *eam.* Nam *em* et *im* pro *eum* et *eam* promiſcue olim dictum fuiſſe, multis ab Auctore exemplis comprobatur. Plura eiusmodi vocabula obſoleta commemorat, eaque copioſe explicat. Et quum Ulpianus in ſcriptis ſuis ſaepius tales voces adhibuerit, atque adeo a multis non idoneus Latinitatis auctor iudicatus ſit, conſultum putavit Cl. *Cannegieter*, Ulpianum adverſus horum accuſationem defendere. Concedit vero, voces ab Ulpiano uſurpatas fuiſſe obſoletas; loquendi quoque genera frequentata,

 auri-

auribus noſtris inaudita, hoc eſt talia, quae apud caeteros eiusdem aetatis, aut Saeculorum ſuperiorum ſcriptores, non obſervaverimus: illa tamen, quae ſi Ulpianum ipſum, eiusve ſimilem interpretem aut defenſorem haberent, nobis comprobarentur. Largitur quoque Archaismos, quin et Graecismos, in Ulpiani fragmentis deprehendi. Sed miratur, homines, quod in ceteris cuiuscunque aetatis ſcriptoribus ferant, in uno Ulpiano culpare. Deinde notum eſſe dicit, ab eo inde tempore, quo familiaris fuit ac pene communis genti Romanae linguae Graecae uſus, argivum dicendi ſcribendique morem in urbe adoptatum paullatim invaluiſſe, neque exiguam linguae Latinae partem ex Graeca fluxiſſe. Graecismis enim referta eſſe monumenta omnium non ſolum ICtorum, ſed et quorumcunque Auctorum veterum. Denique quod ſcribit Iſ. Caſaubonus, in Obſ. ad Athenaeum Lib. III. cap. 8. *multa, ut ſcimus, etiam Ciceronibus et Demoſthenibus, nedum Poetis, qui ſibi omnia licere volunt, exciderunt, notanda nobis potius quam imitanda:* idem neque ab Ulpiano alienum putat Auctor. Explicandis quoque nonnullis Ulpiani locis oſtendit, eum plerisque in locis contra eos defendi poſſe, qui illum neglectae Latinitatis accuſarunt. Monſtravit etiam vir doctisſimus, ſe non ſolum auctorum veterum loca, ſed etiam ſcripturas ſacras interpretari poſſe. Nam non niſi ab imperitis negatur, accuratam auctorum explicationem multum conferre ad accurate explicanda oracula divina. Sic pag. 40. ubi de locis per interrogationem feliciter exponendis diſſerit, locum Evangel. Ioann. XIV, 2. affert: ἐν τῇ οἰκίᾳ τȣ̃ πατρός μȣ μοναὶ πολλαί εἰσιν, εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν πορέυομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. Haec verba ſenſu ſane admodum commodo ita vertit Cl. *Cannegieter: Domi Patris mei multa ſunt habitacula, ſi verum non eſſet, egone dixiſſem: abeo, paraturus vobis locum?* Nam ſaepius praedixerat Salvator diſcipulis ſuis ſe diſceſſurum, ut locum pararet. Sed ſi catalogum obſervationum, quae in Ulpiani opuſculo praecipue placuerunt, contexere vellemus, totus fere in hunc librum commentarius deſcribendus eſſet. Alte-

Digitized by Google

Alterum opuſculum eſt: *Collatio legum Moſaicarum et Romanarum.* De libelli huius auctore, aut aetate qua is vixit, nihil certi definit Auctor. Primus Collationem hanc in publicum produxit Petrus Pithoeus, magni Cuiacii diſcipulus. Poſtea ſaepius editus fuit. Novisſime reliquiis his explicandis atque emendandis operam ſuam adhibuit, Franequeranae ſcholae Anteceſſor, Hermannus Cannegieter, Auctoris frater. Sequitur verò Auctor in plerisque editionem Schultingii. Ea, quae ipſius Collectoris ſunt, perſpicuitatis cauſa, exhibuit forma litterarum diverſa. Idem faciendum putavit in iis, quae ex Moſe conſcripſit Compilator. Ornavit quoque hunc libellum notis uberrimis elegantiſſimisque. In explicanda verſione latina legum Moſaicarum, uſus eſt Auctor iis, quae Cl. Hermanns Venema ad illuſtrandam hanc verſionem ſcripſerat, eaque in notis ſubiecit. Monuit autem Cl. Venema, latinam hanc legum Moſaicarum verſionem propius quidem in nonnullis ad Graecum textum LXX. interpretum accedere, non eum tamen preſſius ſequi; a Vulgata ubique recedere; in pluribus ab utraque verſione, Graeca et Vulgata, aeque ac a textu Hebraeo, diſcrepare. Ad Leges Romanas, quae cum legibus Moſaicis conferuntur, quod attinet, eae ex commentariis variorum veterum iuris auctorum, qui ante tempora Iuſtiniani Imp. floruerunt, deſumtae ſunt. Sunt vero eae ab Auctore diligentiſſime illuſtratae, expoſitae, et emendatae. In emendandis lectionibus ſaepius iterum uſus eſt ſiglarum auxilio. V. c. Tit. I. §. 10. pro verbis: *Quod ſi dominum*, quae in editione Pithoei occurunt, reponit: *Quod ſit dignum memoria.* Nam in editione Heidelbergenſi eſt DNM. Iam vero D et DN. *dignum* ſignificaſſe, teſtatur Valerius; M. vero *memoriam* deſignaſſe Magno et Valerius tradunt. Tit. III. §. 9. verba, *quod forte filiam*, quae ſenſum commodum non dant, ita corrigit: *quod fortuna ſuperſtitem fecit filiam.* Scriptum enim fuiſſe coniicit: *quod for T F filiam. For*, auctore Probo, *fortunam*, T, monente Diacono, *ſuperſtitem*, F *fecit* denotare, dicit. Tit. X.

§. 7. in verbis, *In tibi commiſere*, nihil quicquam mutandum cenſet, neque etiam addi aliquid neceſſarium putat, quo lacuna quam hic ſtatuunt interpretes, ſuppleatur. Notam tantummodo, quae per IN ſignata eſt, explicat IN NOMEN. Magno enim teſtatur, I *in* ſignificare. N, referente Diacono, *nomen* deſignat. *In nomen committo* pecuniam depoſitam, monente *Cannegietero*, eſt, ſi nummos, quos ante apud aliquem depoſui, mutuos illi credo, eaque ex cauſa nomen eius refero in codicem meum expenſi. Quum vero eadem olim nota deſignata fuerint *non* et *nomen*, una ſcilicet littera N, ut Valerius et Diaconus tradunt, mirum non videri dicit, permutata fuiſſe inter ſe vocabula illa a librariis. Et huius quidem obſervationis ope corrigit hunc Ulpiani locum: *Tabernae appellatio declarat omne utile ad habitandum aedificium: non ex eo quod tabernis cluditur. Non*, mutat in *nomen*, lectionis quoque Florentinae auctoritate adiutus: vox *non* in ſiglis ſignificat *nomen.* Ac tali modo corrupta loca quamplurima emendantur et reſtituuntur. Nos quidem non ſumus ii, qui hanc corrigendi rationem vituperemus reiiciamusque; imo vero laudamus eos, qui doctrinam ingeniumque ſuum in ea exercent, praeſertim ſi locis depravatis non alia medela afferri poſſit: ingenue tamen fatemur, multis eam coniecturis niti, neque nobis in omnibus omnino emendationibus aeque certam videri. Sed de notis et ſiglis nunc agendum eſt. Nam de his ſingularis eſt Auctoris noſtri disputatio.

Tertium igitur opuſculum hoc Volumine comprehenſum, continet *Disquiſitionem de Notis et Siglis, earumque uſu frequentisſimo in fragmentis antiquis, praecipue Iuriſconſultorum.* Et primum quidem disquirit Auctor de notione, quae duobus his verbis, ſiglis et notis, ſubiecta eſt. Relata nempe aliorum ſententia addit ſuam, quae haec eſt, diſtare notas a ſiglis, in eoque tantum convenire, quod plura contractius proponunt. Notas nimirum non litteras, ſed ſigna potius, aut figuras eſſe docet, quibus verbum unum, imo plu-

ra

Digitized by Google

ra etiam vocabula, olim notabantur. Huius generis eas eſſe refert, quae Tironis et Annaei Senecae nominibus inſigniuntur, quas ad calcem Theſauri inſcriptionum exhibuit Ianus Gruterus. Notis eiusmodi, aut ut Auctor dicere mavult, compendioſis aenigmatis, integros olim libros exaratos fuiſſe, teſtantur αὐτόπται. Sic commemorat Auctor Pſalterium Davidis in Bibliotheca Guelpherbytana, eiusmodi notis exaratum, atque ab imperito quodam inſcriptum: *Pſalterium in Armenica lingua.* Nos in legendo nuper, et in his ipſis Actis recenſendo Gerberti Itinere *Italico* etc. cognovimus, Pſalterium etiam talibus notis ſcriptum Gerberto a Benedictinis in Gallia in monaſterio S. Germani fuiſſe monſtratum, eumque, cum notas has explicare poſſet, vehementer a monachis, pauci enim hac ſcientia praediti ſunt, eſſe laudatum. De notis autem his conſuli vult Auctor Epiſt. Vir. Illuſtr. a Cel. Burmanno editsa, Tom. II. p. 128. et 343. Addimus nos, Novum Tractatum Diplomaticum, qui aut tum, quum Cl. Cannegieter haec ſcriberet, nondum editus, aut nondum in manibus eius erat. In hoc enim Tractatu Tom. III. tanta diligentia de Tironis Notis agitur, ut omnia, quae de iis moneri poſſunt, congeſta ibi videantur. Commemorari quoque h. l. potuiſſet *Alphabetum Tironianum* a Carpenterio a. 1747. editum. Neque tamen ſpernenda eſt Auctoris noſtri ea in re diligentia. Pergit enim notarum originem et antiquitatem exponere, utiturque praecipue Diaconi et Iſidori auctoritate. Ex iis, qui ſiglas veterum tradidere, quos recenſet Fabricius in bibl. Lat. lib. IV. cap. 6. tres potiſſimum commemorat, Valerium Probum, Magnonem, et Petrum Diaconum. Atque his ſiglis antiqua monumenta fuere refertiſſima, e. g. inſcriptiones, lapidi, marmori, aeri inciſae; item codices vetuſti, qualis eſt codex Theodoſianus in Archivo eccleſiae Cathedralis Herbipolitanae ſervatus. Iuriſconſultis autem inprimis uſitatas, et quaſi ſolennes fuiſſe ſiglas, tradit Auctor. Hinc nullos, ſaltem pauciſſimos ad nos transmiſſos eſſe iuris commentarios

rios

rios contendit, qui non antiquiſſimum illum ſcribendi morem repraeſentent, ac certiſſimis argumentis oſtendant, plurima inde vitia, multosque errores proſiluiſſe. Sequitur rationis per ſiglas emendandi et explicandi commendatio, et illuſtratio. In tanta exemplorum prolatorum multitudine pauca commemoraſſe ſufficiat. Plurima enim veterum Iuris, aliorumque Auctorum loca difficiliora, corruptave, ſiglarum ope emendantur et corriguntur. Sic v. c. medica manu indiget Paullus in L. 10. D. *de haered. inſtit: Nec enim facile* SED *diverſitate* PRETIVM *portiones inveniuntur.* Locum hunc ſic ſanandum exiſtimat Cl. *Cannegieter: Nec enim facile ſine edita diverſitate partium portiones inveniuntur.* Nam S pro *ſine*, ED pro *edita* poſitum dicit. Atque hoc quidem modo permulta alia depravata Iurisconſultorum Auctorumque omnino veterum loca corriguntur. Emendare quoque tentavit vir doctiſſimus ſcriptores quosdam eccleſiaſticos. Nonnulla e. g. reſtituit Minucii Felicis loca, cuius Octavîum vitioſiſſimum ad nos eſſe transmiſſum, merito cum aliis eruditis conqueritur. Locum iſtius ſcriptoris Cap. 4. *Tantum abſit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quae ſupra nos coelo ſuſpenſa ſublata ſunt, neque quae infra terram profundo demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut* ſtuprare *religioſum:* hunc igitur locum in depravatorum numerum referendum eſſe arbitratur, licet ſicco pede interpretes eum tranſierint. Pro *ſtuprare* corrigit, ſiglarum ope, *ſecreta prodere.* Ingenioſa ſane, ſenſuique aptiſſima coniectura. Corrigit quoque Auctor depravatum Ambroſii locum *Hexamer. Lib. 6. Cap. 9.* At cur verbis his: *qui cerebrum noſtrum, hoc eſt ſedem originemque noſtrorum ſenſuum, capillis capitis munit et veſtit, ne aut frigore vexetur aut aeſtu*, cur his, inquam, verbis medelam afferre voluerit, cauſam videmus nullam. Nam pro *capillis capitis* ponit *capillis cautus*, hoc eſt prudenter, ſapienter. — Ciceronis opuſcula de legibus, et de natura Deorum, multis in locis reſtituere et explicare conatus eſt, atque etiam hac de

cauſa

cauſa criticorum, omniumque omnino qui humaniores litteras amant, laudem meretur. Sed reſtat ultimum opuſculum, quod copioſiſſimis Auctorum veterum emendationibus atque explicationibus repletum eſt.

Eſt vero ultimus huius Voluminis libellus ita inſcriptus: *Obſervationum Miſcellanearum, quibus plurima iuris Romani capita, multa quoque aliorum Auctorum veterum loca, exponuntur, emendantur, illuſtrantur, liber ſingularis.* Abſolvitur hic liber capitibus duodeviginti, e quibus ſingulis quaedam delibabimus. Cap. I. elegans eſt diſputatio de loco Gaii in L. 16. D. *de Conditionibus et Demonſtrationibus: In his quae extra teſtamentum incurrerent, poſſunt res ex bono et aequo interpretationem capere: ea vero quae ex ipſo teſtamento orirentur, neceſſe eſt ſecundum iuris rationem expediri.* Hunc locum copioſe explicat Auctor, atque in primis, quid per ius ſcriptum intelligatur, demonſtrat. Sunt enim quidam legum interpretes, qui *iuris* vocabulum non ab ipſo Gaio expreſſum eſſe ſtatuant, ſed id ab imperito quopiam Scholiaſto adiectum exiſtiment. Quo minus autem Cl. *Cannegieter* huic ſententiae calculum adiiceret, conſpirans librorum et codicum conſenſus fecit, qui omnes vocem *iuris* tuentur. Sed vocem *iuris* alio ſenſu accipiendam eſſe monet, quam vulgo accipiunt. *Ius ſcriptum* in h. l. plerique interpretantur ius civile Romanum. Sed Auctor nullam prohibere cauſam putat, quo minus interpretemur ius a teſtatore in teſtamento ſcriptum, quum ipſi Decemviri in legibus ſuis id *ius* eſſe voluerint, quod *paterfamilias legasſit* Proprie ergo in re teſtamentaria *ius ſcriptum* dicetur teſtatoris voluntas ſcripta. Mavult tamen latius adhuc interpretari vir doctiſſimus, atque eo nomine etiam complecti ius teſtamenti nuncupatum, i. e. ore prolatum: haud aliter atque ius Romanum *ſcriptum* dicimus, non tantum quod ſtilo aut calamo ſcriptum, ſed et quod, quomodocunque prolatum, expreſſi legislatoris voluntate conſtat. *Ius* itaque teſtamenti *ſcriptum*, ex Auctoris

Cc ſen-

ſententia eſt, quod manifeſta atque expreſſa teſtatoris voluntate cenſetur. Nulli autem omnino rei aptiorem eſſe vocabuli *iuris* originem, quam teſtamentis et teſtantium voluntati, docte monſtrat. Multa quoque hoc capite de *legis* vocabulo diſſerit, quae lubenter legimus. Cap. II. praecipue placuit diſputatio de communi religione veterum circa cadavera, funera, et quietem mortuorum, et de negata nonnullis ſepultura. Cap. III. copioſe exponitur Lex 12. §. 1. D. *de Uſu* et *Habit.* in qua explicanda tantus interpretum diſſenſus eſt. Verba huc pertinentia haec ſunt: *Idem Nerva: et adiicit: ſtramentis etiam uſurum, ſed neque* foliis, *neque oleo, neque frumento, neque frugibus uſurum.* Quum mirum ſane videatur, Nervam *foliorum* uſum denegaſſe, quidam interpretes aliam vocem pro *foliis* ſubſtituerunt, alii eam retinendam cenſuerunt, mutata tamen propria foliorum notione. Ad Cl. Auctoris ſententiam quod attinet, leviſſima ac facili mutatione legi is vult *ſoleis*, atque hanc vocem eo facilius fallere potuiſſe librarios exiſtimat, quo magis recedat a vulgari ſermonis uſu. Soleas autem notare docet inſtrumenta, oleo conficiendo potiſſimum inſervientia. Atque optime laudatae legi convenire putat *ſoleae* nomen, quum lege hac uſus olei negetur. Probe tamen intelligebat vir acutiſſimus, quaedam contra hanc emendationem moneri poſſe: hinc reſponſionem ad obiectiones, quas proferri poſſe intellexerat, addidit. Protulit quoque nonnulla de foliorum et frondium uſu. Cap. IV. non diſplicuit ingenioſa explicatio et conciliatio legis 30. D. pro Socio, et §. 2. I. de Societate. Diſcrepantiam enim horum locorum ita ſuſtulit, ut in priori pro verbis: *Servius in Notatis Mucii ait: nec poſſe ſocietatem ita contrahi:* ita reſcriberet, *Servius in notatis Mucii ait haec: poſſe ſocietatem* etc. Defendit etiam hanc emendationem contra elegantiſſimi doctiſſimique Pütmanni noſtri ſententiam, qui in interpretationibus ſuis cap. 18. ſtatuerat, legem hanc emendandam haud eſſe, eiusque ſenſum doctè expoſuerat. Cap. V. ut multa alia taceamus, non illubenter legi-

Digitized by Google

legimus ea, quae de variis *ſoli* ſignificationibus, ad illuſtranda nonnulla veterum auctorum loca, a Cl. *Cannegietero* prolata ſunt. Cap. VI. erudite de differentia et appellatione *meri* et *mixti imperii* diſſeritur. Imperium *merum* eſt, quod ſolum et integrum eſt, cui nihil admixtum aliunde, atque adeo id imperium, quod ſolum et ſimpliciter proprieque imperium dicendum: *mixtum* vero erat eorum, qui quidem aliquam poteſtatem haberent, verum non talem, quae nomen et menſuram meri imperii, id eſt proprie ſic dicti, impleret. In emendationibus, quae Cap. VII. placuerunt, eſt ea, qua reſtituitur Lex 39. D. de poenis: *Si qua viſceribus ſuis, poſt divortium, quod praegnas fuit, vim intulerit.* Leviſſima mutatione reſcribi vult Auctor: *praegnans fecit. Praegnas* enim, pro *praegnans*, plerumque habet Codex Florentinus. Ex Cap. VIII. hanc Auctoris obſervationem commemoraſſe ſufficiat. Feſtinantes ſcilicet ICtos, contractisſimis ſaepenumero loquendi modis ac dictionibus uſos fuiſſe, obſervat. Hac arte explicanda, atque ab aliorum criſi vindicanda, putat Ulpiani verba in L. 44. D. *Mandati: Dolus eſt ſi quis nolit perſequi, quod perſequi poteſt, aut ſi quis non exegerit, quod exigere, ſolvere.* Invitis codicibus optimis atque antiquisſimis, varia interſerunt Editores et Commentatores plerique. Cl. *Cannegieter* ſic accipit: ſi quis nolit perſequi, quod perſequi poteſt, aut non exegerit, quod exigere debet, aut non ſolverit, quod ſolvere debet. Cap. IX. praecipue placuit copioſa Ulpiani explicatio, in *L. un.* D. *Si quis ius dicenti non obtemper.* Cap. X. lectu in primis iucunda fuere ea, quae Auctor de gloſſematis commentatus eſt. Invehit vero, et recte quidem, in eos, quos adeo delectat facillima haec corrigendi methodus, ut mox, ubi ſententiae ſuae contrariam verborum periodum in lege aliqua, librove antiquo deprehenderint, aut argumentum quoddam dictis paene ſimilibus propoſitum invenerint, aut vocabulum bis vel amplius repetitum viderint in uno eodemque loco, ineptiſſimorum gloſſatorum commentum hoc eſſe protinus



Digitized by Google

c amitent, et textu id eiiciendum pronuntient. Sed Auctor noſter ad illud, quaſi ultimum, reſtitutionis remedium, non prius confugi oportere exiſtimat, niſi ubi nulla demum alia facilior interpretandi corrigendive ratio ſuperſit, damnandumque propterea putat morem nonnullorum, qui temere admodum in his procedunt. Quae Cap. XI. de vocibus *cingi* et *diſcingi* traduntur, ea explicandis variis veterum Auctorum locis probe inſerviunt. *Cingi* muneri admoveri; *diſcingi*, munere, honore privari, ſignificare oſtendit. Quum vir doctisſimus Cap. XII. *de cultura comarum apud Romanos* diſputationem dedit, eam ideo lubenter legimus, quod variis illam Auctorum locis explicandis atque intelligendis inſervire poſſe cognoſcebamus. Ingens eſt locorum Cap. XIII. emendatorum vel expoſitorum numerus, e quibus duo eligere placuit. Crucibus ICtorum accenſentur Ulpiani verba in L. 69. D. *Pro Socio: Cum ſocietas ad emendum etc. ut unus reliquis nundinas, id eſt, epulas praeſtaret, eosque a negotio dimitteret, ſi eas eis non ſolverit, et pro ſocio, et ex vendito cum eo agendum eſt.* Summus Cuiacius nullam ſibi, ab illo inde tempore, quo iuri operam dederit, hac lege difficiliorem vitam fuiſſe, nullam ſe diutius torſiſſe, fateri non erubuit. Difficultas latet in verbo *nundinas*. Auctori reponendum videtur συνδειπνα aut συνδειπνας, quod vocabulum, *convivium*, *epulas* denotat. Solitos enim fuiſſe ICtos in Reſponſis ſuis adhibere verba Graeca, iisdemque ſubiungere mox interpretationem latinam, nemo, qui leges inſpexit, ignorat. Nonne vero *nundinae* denotare etiam potuerunt frequentem conventum, ut *nundinar* frequenter convenire ſignificat, Cic. de divinat. II, 31. adeo ut huius ſignificationis ope locus allatus explicari poſſet? — Varie porro emendantur Ulpiani haec in L. 1. §. 1. D. *de bon. poss. ſec. tab. Non autem omnes tabulas Praetor ſequitur hac parte edicti, ſed ſupremas, hoc eſt eas, quae noviſſime ita factae ſunt, poſt quas nullae factae ſunt.* Nulla mutatione ſic diſtinguit Auctor: *quae noviſſimae, i. ta factae ſunt*, atque exponit *i. ta*, *id eſt*

tales.

*tales.* Nam *i* antiquitus poſitum fuiſſe dicit pro *id eſt*, *ta* vero pro *tales.* Caput XIV. totum omnino explicandis vel corrigendis Auctoribus antiquis conſecratum eſt. En exempla. Vitio Auctori laborare videntur haec Terentii in prologo Eunuchi:

*Qui bene vertendo, et easdem ſcribendo male,*
*Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.*

Reſtituendum arbitratur: *qui poene vertendo, at easdem* etc. Adeo ſcilicet rudis fuit poeta, ut, licet poene verbum de verbo verterit, ac reddiderit, attamen male eas deſcripſerit, atque ita ex Graecis bonis fecerit Latinas malas. Teſtatur quoque Cl. Cannegieter ſe et Medicorum antiquorum ſcripta legiſſe. Celſo enim remedium afferre conatur, dum pro iis, quae exſtant Lib. 4. Cap. 4. *nares magis pallent*, corrigit, *nares magis patent.* Haec coniectura eo magis placet, quod praeceſſerat: *haec nares claudit.* Sed hoc iam emendavit *Krauſius* noſter. Capite X V. elegans eſt diſſertatio, de Iſidori ſtilo et ſcriptis, nec non de quibusdam eius locis ex lib. 5. Originum, quae vel emendantur, vel exponuntur. Atque de Iſidoro quidem ita ſtatuit, ut dicat, eum, quae pluribus fuerant propoſita ab antiquioribus, contraxiſſe, atque aevi ſui ſtilo peſſime aliquando reddidiſſe, nonnunquam etiam non intellexiſſe, aut perperam accepiſſe. Hinc laudibus a quibusdam iuſto maioribus extolli Iſidorum, exiſtimat. Ob id tamen plurimi facienda eius commentaria arbitratur, quod fragmenta ſcriptorum veterum deperdita ſervavit, licet auctores non nominaverit. Cap. XVI non ſolum hoc placuit, quod variae Latinitatis voces breviter quidem, at accurate explicantur, v. c. *ſtipulatio*, *ſtips*, *ſtipes*, *ſtipendium*, *theſaurus* etc. ſed et hoc gratum fuit, Auctoris ſententiam de variis veterum ſymbolis copioſe expoſitam cognoſcere. Cap. XVII. ea potiſſimum lectu digna nobis viſa ſunt, quae de vocabulis: *internecus*, *internecivus*, *internecinus*, monentur, quorum notione recte conſtituta, varia Auctorum vet. loca felicius expli-

 cari

cari poſſunt. Reſtat Cap. XVIII. quod totum fere vel in emendandis, vel in corrigendis Iſidori locis occupatum eſt. Promittit Auctor plures ſe fortaſſe in poſterum Animadverſiones in Iſidorum editurum eſſe; id ſi fecerit, magnam haud dubie apud eruditos gratiam inibit.

Sed haec ſufficere poſſe arbitramur ad demonſtrandum, quanta ſit in Cl. *Cannegietero* ingenii vis, quantum iudicii acumen, quanta doctrinae copia. Quodſi enim omnia, quae in hoc eius libro placuerunt, proferre voluiſſemus, totus fere liber deſcribendus fuiſſet. Saepius profecto admirati ſumus, virum negotiis forenſibus diſtrictum atque obrutum, tam diligenter in cognoſcendis veterum Auctorum ſcriptis verſatum eſſe, et quaſi in hoc litterarum genere habitare. Interdum quidem, ut fit, ingenio magis atque eruditione, quam veritate, coniecturae illius ſe nobis commendarunt: interdum paullo audacior in emendando nobis viſus eſt; interdum quoque doctrinam illius extra terminos vagari intelleximus. At haec non impediunt, quo minus felix Auctoris ingenium, variamque doctrinam, vehementer amemus, bonique Critici laudem ei demus. Iure igitur hunc librum non ſolum elegantioris Iurisprudentiae ſtudioſis, ſed et omnibus omnino litterarum humaniorum cultoribus, commendamus. Nam loca Auctorum corrupta feliciter ſaepius reſtituta, obſcura docte expoſita, interpretationem deſiderantia perſpicue illuſtrata, invenient. Edendis vero veterum Auctorum ſcriptis, nihil hoc libro poterit eſſe utilius, nihil aptius. Etenim nullus fere Auctor antiquus eſt, quem Cl. *Cannegieter* non emendaverit, explicaverit, illuſtraverit.

*DESCRIZIONE DEGL' INSTRUMENTI, DELLE macchine, e delle ſuppellettili, raccolte ad uſo chirurgico e medico dal P. Don IPPOLITO RONDINELLI, Ferrareſe,*

Digitized by Google

*reſe, Monaco Caſineſe in S. Vitale di Ravenna: Opera di Don Mauro Soldo, Breſciano, Lettore nel detto Muniſtero.*

In Faenza, 1766. fol.

h. e.

*DESCRIPTIO INSTRUMENTORUM, MACHInarum, et ſuppellectilis, ad uſum chirurgicum et medicum collectae a P. HYPPOLITO RONDINELLI, Ferrarienſi, Monacho Caſinenſi ad S. Vitalem Ravennae: Opera Mauri Soldi, Brixiani, Lectoris in nominato Monaſterio.*

Faventiae, 1766. fol. pl. 16. Tab. aen. LXXII. in 4.

Rerum naturalium artificialiumque collectiones, quas curioſi ſaepius maxima cum induſtria, et ſumptibus haud parvis, inſtruunt, non minus admiratione eſſe dignas, quam ipſis etiam naturae ſcrutatoribus in rebus cognoſcendis ordinandisque utilitatem afferre inſignem, nemo negabit. Parem profecto, ni maiorem, et haec, quae hoc libro inſtrumentorum, machinarum, et ſuppellectilis in uſum medicum et chirurgicum, deſcribitur collectio, meretur laudem. Erat quidem illa a Patre Hyppolito Rondinelli prius tantum in uſum Monaſterii collecta, poſtea vero magis magisque aucta, in publicos deſtinata fuit uſus. Ita enim auctor in praefatione refert, ubi quoque rationem de ordine reddit, quo totam horum inſtrumentorum collectionem recenſuit et deſcripſit. Ad ipſius autem corporis humani diſpoſitionem horum inſtrumentorum conſiderationem diſpoſuit, ita ut hominis caput, pectus, abdomen, et artus ipſi, Auctori ordinem aptisſimum inſtrumenta conſiderandi praebeant, quibus poſtea reliqua inſtrumenta, ad varios uſus deſtinata, addidit. Summa haec capita in paragraphos et articulos diſpeſcun-

peſcuntur, in quibus varia inſtrumenta ſigillatim, ad varias partes applicanda, ſic proponuntur, ut inſtrumentum in icone repraeſentatum accuratius deſcribatur, eius inventor indicetur, qua ratione illud interdum ſit correctum demonſtretur, partesque variae, ex quibus ſaepius componatur, ipſis ex figuris additis illuſtrentur, tandemque uſus ſubnectatur, ubi variae encheireſes, et cautiones, talia inſtrumenta adhibendi, traduntur. Ita enim caput primum, de inſtrumentis, faſciisque, in laeſionum capitis et colli curatione adhibendis agens, haec ſatis ob oculos ponit; ſiquidem eius paragraphus primus inſtrumenta et faſcias complectitur, quae ad morbos vel laeſiones partis capitis capillatae adhiberi ſolent; ubi articulus primus ſpeciatim inſtrumenta ad trepanationem vel terebrationem calvae neceſſaria ſic exponit, ut primum demonſtretur, nomen trepani ex graecis derivandum ſignificare terebram, atque hoc inſtrumentum veteribus, ut Celſo, iam fuiſſe cognitum, et deſcriptum, licet quaedam ſpecies ab Hildano nomen habeat. His expoſitis trepanus ipſe cum ſuis partibus variis, ad ductum ipſius iconis, in Tab. I. expreſſae, deſcribitur; cui alii, ſemicircularis, triangularis, et quadrangularis iunguntur, et cum menyngophylace, inſtrumento in trepanatione ſuſcipienda valde neceſſario, delineantur atque explicantur. Quo modo vero haec inſtrumenta ſint adhibenda, et trepanatio ipſa caute ſuſcipienda, uſus huius articuli demonſtrat. Articulus deinde ſecundus, de carie cranii agens, nobis exhibet varia inſtrumenta raſoria, punctorium Belloſtii, perforatoria, cum, vel ſine trepano adhibenda, et terebram minorem ab Heiſtero propoſitam, quorum omnium uſus poſtea cum variis encheireſibus explicatur. Articulus porro tertius ſetaceum et cauterium actuale in nucha comprehendit, ubi ab Auctore inſtrumentum ad ſetaceum efficiendum, et ab aliis auctoribus, ut Bartiſco, Andrea de Cruce, et Fabricio ab Aquapendente deſcriptum, ad iconem explicatur, et in uſu plura de modo illud applicandi monentur; dein nonnulla inſtrumenta ad

caute-

cauterium actuale adhibenda, ad ipſorum delineationem exponuntur, et quo modo caute ſint applicanda, in uſu demonſtratur. Articulus tandem quartus huius paragraphi de faſciis in variis capitis morbis, vel poſt operationes indicatas adhibendis, agit, ita ut faſcia capitalis Hippocratis, et capitium vel capitale magnum ſic dictum, referantur, et eorum applicatio in iconibus capitum repraeſententur. — Capitis huius primi paragraphus ſecundus inſtrumenta, ad operationes chirurgicas in morbis oculorum adhibenda et faſcias in his applicandas, continet. Itaque articulus primus tradit inſtrumenta ad cataractam ſanandam neceſſaria, ubi primum inſtrumenta bina argentea, ſub nomine ſpeculi oculi deſcribuntur, et in iconibus exhibentur. Uſus eorum in eo conſiſtit, ut oculi palpebrae diſtendantur, et oculus fixus retineatur. Poſtea varia inſtrumenta a variis auctoribus inventa et deſcripta, ad cataractam deponendam, vel deprimendam, delineantur et explicantur. Sunt vero illa variae acus, varia ratione in apicibus formatae, quarum etiam utilitas caute exponitur. Porro parvus lithotomus, duo parvae ſpatulae, cochlearis in modum excavatae, et forceps parva, in ultimo huius paragraphi articulo deſcribuntur, et quo modo in cataracta extrahenda adhiberi ſoleant demonſtratur. Ad hyperſarcoſin vero, ſarcoma, et ankyloblepharon, neceſſaria inſtrumenta, traduntur articulo ſecundo; ubi primo hamulus aduncus Heiſteri proponitur, qui ad arripiendas excreſcentias carnoſas palpebrarum internas inſervit; ſic quoque culteilus incurvus, qui in parte incurvata aciem, et in apice globulum habet, quo minus oculus laedi poſſit, quando praecipue ad palpebras concretas aperiendas adhibetur. Inter palpebrarum autem morbos, et phalangoſis, et ptoſis, ſaepius ſingularia requirit inſtrumenta, quae Articulo tertio proponuntur; ubi inſtrumentum a Bartiſco inventum, et a Verduino, Ravio, et Ruyſchio correctum, ad laxam et nimis amplam palpebrarum cutim comprehendendam, ſuendam, et praeſcindendam, delineatur, et quomodo ſit adhibendum, poſtea demonſtratur.



Digitized by Google

Articulus quartus de inſtrumentis in fiſtula lacrymali adhibendis agit; ubi primo inſtrumentum deſcribitur, quod cauterium, oſſi unguis applicandum, refert. Componitur illud ex vagina ferrea conica, in apice perforrata, per quam ferrum candens conicum ita oſſi unguis admovetur, ut quidem os, neque tamen partes vicinae, adurantur. Aliud porro inſtrumentum explicatur, quod forficem incurvam, iam in Actis Societatis regiae Pariſinae per Dn. Lemorier deſcriptam, ſiſtit; ori lacrymali aperiendo inſervit. Denique ſpecilla tenuiſſima, ab Anello inventa, atque ab Heiſtero correcta, et ſiphunculus tenuiſſimo tubo inſtructus, exponuntur, quorum ope viae lacrymarum aperiuntur et eluuntur. Articulo V. Acerra quaedam, Tab. VII. depicta, ad ſuffimigia oculis immittenda, commendatur. Quibus tandem Articulus ſextus methodum faſcias oculis his in morbis applicandi ita addit, ut bina capita cum faſciis applicatis delineata demonſtrent, quo modo in altero oculus totus faſcia claudatur, in altero autem angulus tantum internus, ubi oſſa lacrymalia ſunt ſita, comprimatur. Ab oculis ad naſum progreditur Auctor. Paragraphus enim tertius inſtrumenta ad naſi morbos apta, et faſcias in his applicandas tradit. Igitur Articulus primus ad polypum exſtirpandum inſtrumenta exponit, forcipes puta duas, et uncum in apice perforatum, ad polypum ligatura iniicienda exſtirpandum, ab Heiſtero excogitatum. Articulus vero ſecundus faſciae applicationem in oſſibus naſi fractis et repoſitis, ad capitis figuram in icone repraeſentatam, docet. A naſo ad os deſcendit auctor, et paragrapho quarto inſtrumenta variis in morbis tam partium internarum, quam externarum oris, adhibenda conſiderat, faſciasque in laeſionibus labiorum adaptare docet; ubi Articulo primo varia oris ſpecula ad os aperiendum, illudque apertum ſervandum, Tab. X. delineata deſcribuntur. Articulus ſecundus inſtrumenta ad dentes purgandos, aequales reddendos, cauterio adurendos, et plumbo replendos idonea, nobis ſiſtit. Articulus autem tertius inſtrumenta ad dentes artifi-

Digitized by Google

artificiales formandos, et Articulus quartus ad illos evellendos, refert; ubi inter plurima ſatis nota, aliquod a Fothergillo, Anglo, inventum notari meretur, quod ab Italis *chiave d' Inghilterra*, vel clavis anglica appellatur, cuius mechaniſmus melius ex icone, quam ex deſcriptione cognoſcitur. Articulus deinde quintus inſtrumenta ad corpora peregrina ex oeſophago extrahenda, aut in eum deprimenda, exhibet, quorum alterum ex chalybe elaſtico formatum, in utroque latere hamulum obtuſum cum globulo habet; alterum ex virga balenae vel cannula argentea perforata confectum, in anteriori apice ſpongiam gerit, quo oleo madido corpora ex oeſophago ad ventriculum detruduntur. Porro articulus ſextus inſtrumenta ad incidendas vel exſtirpandas tonſillas recenſet, ubi praeter alia haud ignota, forceps Douglaſſii, et forfex incurva, a Bacchetono nomen gerens, delineantur, et qua ratione iis ſit utendum, traditur. Hinc articulo ſeptimo, primo inſtrumentum ad incidendos abſceſſus in gula ortos, exhibetur, quod ex lanceola lamina tecta, et elatere inſtructa, componitur, cuius ope apex lanceolae digiti presſione ex lamina procedit, et abſceſſum incidit; poſtea bina inſtrumenta, alterum rectum, alterum incurvum, tubae in formam efficta, delineantur, quorum uſus in eo conſiſtit, ut in debilioribus hominibus reficiens inſtillari poſſit remedium. Tandem articulo octavo, ad labia leporina curanda, quae requiruntur inſtrumenta, indicantur, quae ſunt acus conſuetae argenteae, cum apice ex chalybe confecto, aliaque hunc in finem a Petito dudum inventa, quorum applicatio ſimul exponitur; hisque Articulo nono modus faſcias in tali operatoine applicandi adnectitur, et in capitis icone ob oculos ponitur.

Paragraphus porro quintus inſtrumenta ad corpora peregrina ex auribus extrahenda, ad difficilem auditum facilitandum, et ad cauterium antitrago applicandum idonea, exhibet. Quae autem in colli morbis adhiberi ſolent inſtrumenta, ea docet paragraphus ſextus: cuius articulus primus, in tracheotomia inſtituenda, praecipue acus duas triquetras,



Digitized by Google

Galli appellant *Troicars*, recenſet, et rationem eas adhibendi demonſtrat. Articulus ſecundus ad ſanguinis exitum ex vena iugulari inciſa facilitandum deſcribit inſtrumentum, quod ex orichalco effictum triangularem figuram habet, cuius unum latus ita incurvum eſt, ut collo aptari, et ſanguis in eius excavata parte excipi poſſit, ne in collo defluat. Ad ſanguinis autem effluxum ex laeſa arteria aut vena colli ſupprimendum, torcularis Tab. XIX. delineati ſpecies Articulo tertio deſcribitur; tandemque Articulo quarto faſciarum tam ſimplicium, quam compoſitarum variae, ſpecies, in laeſionibus, fracturis, aliisque morbis complicatis capitis, adhibendae, et in iconibus repraeſentatae, exponuntur.

His ita in capite et collo adhibendis inſtrumentis expoſitis, Capite ſecundo de inſtrumentis in morbis thoracis, eiusque laeſionibus adhibendis agitur; ubi Articulo primo, quae in mammarum amputatione conveniant inſtrumenta, ita traduntur, ut, hanc periculoſam operationem, binis cultris acutis multo tutius perfici poſſe, quam variis illis Bidloi, Solingenii, Taborisque inſtrumentis, demonſtretur. Articulo ſecundo ad ſternum depreſſum elevandum terebras, vel trepanos et elevatoria, capite primo deſcripta; et Articulo tertio ad paracentheſin thoracis efficiendam, acum triquetram, ſupra propoſitam, adhibere iubet. In ipſis vero pectoris laeſionibus, materiem in eius cavo collectam evocare, Articulus quartus explicat; ad quod ſuſcipiendum ſiphunculus, cum variis tubulis rectis et incurvis, atque bina ſpecilla exploratoria, commendantur. Quo modo denique ad arterias intercoſtales fauciatas ligandas, variis acubus incurvis ſit opus, Articulo quinto demonſtratur.

Caput tertium de machinis et inſtrumentis ad operationes chirurgicas, in variis abdominis eique adiacentium partium externarum morbis, ſuſcipiendas neceſſariis, atque de faſciis tunc applicandis, agit. Qua de re paragraphus primus machinas et inſtrumenta, ad operationes in regione epigaſtrica eiusque lateribus tentandas idonea, ſic tradit, ut Articulus

primus

primus ventriculum excutia, (apud veteres valde ſolenni, a recentioribus autem reiecta) purgare, et eius vulnera ope acuum incurvarum, paulo ante deſcriptarum, per ſuturam unire demonſtret; Articulus ſecundus fomenta ſpongiis applicare; Articulus autem tertius machinam in obſtructione hepatis, lienis, aliarumque partium, utilem exponat. Machina haec, olim a Quellmaltzio noſtro inventa, equi formam referebat, hic autem ſub forma draconis variis laqueis ſuſpenſi delineatur, et eius uſus accurate deſcribitur. Lagenarum deinde ex ligno tamariſci effictarum iniicitur mentio, ex quibus vinum, quod per aliquod tempus in eis ſervatum fuit, contra lienis morbos bibitur. Paragraphus ſecundus porro inſtrumenta ad operationes chirurgicas in regione umbilicali, ac partibus lateralibus ſuſcipiendas neceſſaria, faſciasque in illis applicandas, recenſet. Hinc Articulus eius primus, in paracenteſi abdominis inſtituenda, primum fiſtulam argenteam, in apicis latere foraminibus pertuſam, et in altero fine binis manubriis pertuſis inſtructam, proponit, ut ea in cavum vel ſinum ad purulentam materiam emittendam demiſſa, ligatura firmari poſſit, ne in cavum delabatur. Poſtea acus triquetra cum canna ſua, uti Petitus eam correxit, delineatur, et cum binis faſciis deſcribitur, quibus abdomen poſt paracenteſin ita munitur, ut illud aequaliter comprimatur, et inciſio aperta ſervetur. Articulus ſecundus umbilici eiusque regionis hernias pertractans, primum cingula bina exhibet, quorum ope hernia praecavetur, vel iam orta retinetur. Haec excipit fiſtulae ad fumum tabaci ſugendum, et alius ad clyſma iniiciendum, deſcriptio. Porro bina ſpecilla excavata, ad abdomen incidendum adhibenda, deſcribuntur, quae ita inter ſe differunt, ut alterum in lateribus laminas gerat, quarum auxilio inteſtina removentur, ne ſcalpello laedantur; quibus iungitur forfex incurva cum apice obtuſo, qua etiam ad abdomen incidendum utuntur Chirurgi. Alia denique inſtrumenta, ad hanc operationem perficiendam inventa, hic traduntur; uti eſt ſcalpellum cum



Digitized by Google

ſpecillo coniunctum, quod Morandus, chirurgus gallus, invenit, et *biſtouri gaſtroraſique* appellavit; aliud etiam ſcalpellum falcatum, quod in ferramento abſconditum preſſo elatere aſſurgit, a Chirurgo Gallo, le Dran, inventum, et nominatum fuit herniotomus, *biſtouri herniaire;* cui aliud ſcalpellum abſconditum iungitur, dictum herniotomus abſconditus, gallis *biſtouri herniaire cachée.* Paragrapho tertio machinae et inſtrumenta ad operationes chirurgicas et alios morbos regionis hypogaſtricae, huiusque in lateribus apta cum faſciis iis locis convenientibus, proponuntur. Igitur Articulo primo, quae in hernia ſcrotali incarcerata, et aliis huius regionis herniis ſint agenda, demonſtratur, primum vero varias faſcias, lora, et cingula, Tab. XXXII. et XXXIII. delineata, applicare docetur; poſtea in herniotome ſuſcipienda, praeter inſtrumenta antea deſcripta, machina hic delineata exponitur, quae loco lectuli tabulam refert, in qua aegrotus manibus et pedibus alligatus ſupinus iacet, ut eo commodius perfici queat operatio, ad quam, uti et ad alios uſus, ſpatula quaedam depicta explanatur. Articulo huius paragraphi ſecundo, in quo de Veſicae perforatione in regione pubis aut perinaeo, et de urinae incontinentia agitur, primum varia ſcalpella et lanceolae tunc adhibendae, cum acu triquetra, recenſentur, et poſtea ad urinae profluvium involuntarium, vel eius ſic dictam incontinentiam corrigendam, cingulum quoddam ſingulare, a Nuckio inventum, et in Tab. XXXIII. depictum, deſcribitur, cuius primaria utilitas in eo poſita eſt, ut ope ferri incurvi, cingulo affixi, pila aliqua ex pilis equinis formata perinaeo apprimatur. Urinae vero profluvium reſtituere, et urinam ex veſica evocare, docet Articulus tertius: ad quae perficienda fiſtulae variae argenteae, catetheres alias dictae, et Tab. XXXIV. delineatae, proponuntur, quae partim rigidae, partim flexiles ſunt, et in viris aeque ac feminis applicari poſſunt, vel loco eorum etiam cereos minores, Gallis *bougies* dictos, applicari poſſe demonſtratur: Articulo quarto ea, quae ad foetus partum promovendum, et ſectionem

nem caeſaream inſtituendam requirantur, inſtrumenta proponuntur. Sectio caeſarea primum conſideratur ita, ut inſtrumentorum apparatus indicetur, et qua ratione eis ſit utendum tradatur. Sunt autem inſtrumenta praecipua bina ſcalpella recta, quorum alterum in apice globulo eſt munitum; ſorfex obtuſus; acus incurva et fiſtula argentea, quae cuncta in antecedentibus operationibus iam ſunt indicata. Quibus expoſitis, forceps, cuius inventio Palfino adſcribitur, ad foetum extrahendum, Tab. XXXV. delineata explicatur; cuius brachia ſeparari, et ſeparatim in uteri vaginam immitti, ac poſtea in medio uniri poſſunt, ut foetus caput ſic melius apprehendi et extrahi queat. Hinc aliud inſtrumentum ad foetus caput, intra pelvis oſſa inclavatum, mobile et ad extractionem aptum reddendum, deſcribitur, quod Pala dicitur, a Ronhuiſio nomen gerit, atque diu ut arcanum celatum fuit. Ad mortuum vero foetum extrahendum duo unci proponuntur. Articulo quinto ad calculi extractionem in utroque ſexu I) varia ſpecilla, itineraria dicta, ex chalybe confecta, et Tab. XXXVI. delineata, deſcribuntur, quae pro varia magnitudine incurvata ſunt, et in parte convexa ſulcum gerunt. II) Lithotomi Tab. XXXIX. uſus, in omnibus calculum extrahendi methodis, exponitur. III) Conductoris icon, Tab. XXXVIII. fig. 5. ita explicatur, ut, eius inventore Hildano nominato, qua hoc inſtrumentum ſit adhibendum, ratio demonſtretur, quae in eo conſiſtit, ut eius ope forcipes ad calculum ducantur. Referuntur dein IIII forcipes tales binae incurvae, ſex rectae, quibus calculus variis in locis apprehendi et extrahi poteſt. V) Cochlearis ferrei et forcipis delineati ita deſcribitur uſus, ut forcipe calculus maior in veſica comminui, et comminutus cochleari ex veſica eximi queat. VI) Alia forcipis ſpecies traditur, cuius utilitas non tam in arripiendis, quam expandendis et dilatandis partibus conſiſtit, quoties nimirum plaga non ſatis ampla extractionem calculi impedit. VII) Uncus, cochlearis fere in formam excavatus, et in excavata parte limae in

modum

Digitized by Google

modum aſper, ad calculos ſub labiis vulneris haerentes in primis extrahendos adhibetur. VIII) Bina inſtrumenta Tab. XXXIX. f. 1. et 5. delineantur, quorum alterum conductoris, (*gorgeret*) et alterum conductoris cum lamina, (*gorgeret colla lama*) nomine venit, quae in calculi extractione per perinaeum adhiberi ſolent. IX) Novum inſtrumentum Tab. XL. delineatum, et a Dn. Maſotti, Lectore chirurgiae in noſodochio regio Faventiae inventum, ita deſcribitur, ut urethra et collum veſicae feminarum dilatari, et ſic ope forcipis, eadem Tabula depictae, calculus arripi et extrahi poſſit. X) Aliud tale inſtrumentum dilatatorium, cum priori in omnibus fere conveniens, et Tab. XLI. delineatum, in eo tantum differt, quod tria brachia in ſuperficie interiore aſpera ſint, quibus ſic calculus apprehendi et extrahi poteſt. XI) Tandem ſcamni cuiusdam, vel potius menſae, cum pulvinari mobili, explicatur icon Tab. XLII. cuius uſus in eo conſiſtit, ut aeger calculo laborans, et ei inſidens, figatur et alligetur, ut calculi extractio commode a Chirurgo perfici queat. Articulo VI. de inſtrumentis ad clysmata iniicienda aptis agitur, ubi I) Sypho cum tubis variis, incurvis et recto, demonſtratur, quibus clysmata vario in corporis ſitu eo melius iniici poſſint. Cum vero interdum maiore cum vi, et flumine non interrupto, aquam vel alia remedia iniicere cupiamus, vel ob varias cauſas debeamus, machina quaedam hydraulica, antliae ſpeciem cum duobus embolis referens, deſcribitur; qualis quidem ad incendia exſtinguenda adhiberi ſolet, non minori vero cum effectu ad mala corporis humani delenda, quid quod ad iniectiones anatomicas ea nos uti poſſe, auctor ex variis cum ea tentatis experimentis probat. III) Denique machina quaedam traditur ita adaptata, ut quisque ſibi, ſine alius auxilio, iniicere valeat clysma. In eo autem eius verſatur mechanismus, ut tubulus cum canali ex ſyphone prodeunte coniunctus, in ani orificium immittatur, et homo ita ſedens ſyphonis embolum deprimat, ut adeo liquor clysmaticus in inteſtinum rectam infundatur.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. De inſtrumentis ad operationes chirurgicas, in partibus externis abdomini adnexis efficiendas, inſcribitur. Itaque Articulus primus inſtrumenta ad calculum ex urethrae canali extrahendum idonea tradit; ubi I) inſtrumentum ex cilindro ferreo confectum exponitur, in cuius altero fine trochlea apparet, quae in altero fine in tres ramos elaſticos dividitur, qui, dum trochlea verſus illum finem movetur, ob elaſticitatem ſecedunt, et ubi inſtrumentum in urethram, ubi calculus haeret, immiſſum eſt, calculum apprehendunt et extrahunt. II) Aliud inſtrumentum, ſimpliciori mechaniſmo compoſitum in hunc uſum, deſcribitur, quod ex filo argenteo ita contorquetur, ut in altero fine apertura relinquatur ovalis, qua in urethram immiſſa, calculus comprehendi et extrahi poſſit. Articulus ſecundus huius paragraphi inſtrumenta ad fiſtulas, aliosque ani morbos apta, exhibet: I) Specula ani ſic dicta duo, Tab. XLIII. et XLIV. delineata ſic adhibentur, ut illis in orificium ani immiſſis, partes extendi et melius explorari queant. Cum vero partes internae nudis oculis interdum haud ſatis cognoſci poſſint, lentes binae, obiecta plus vel minus augentes, Tab. XLIII. repraeſentatae adhiberi ſolent quibus tam partes illae, quam aliae, explorari poterunt. II) Acus argentea Tab. XLV. depicta, ex lamina flexili formata, et a Garengeoto propoſita, ad fiſtulam ani incompletam exſcindendam, ita uſurpatur, ut acu per inteſtinum rectum immiſſa, fiſtula perforetur, et cum ſyringotomis variis, Tab. XLV. delineatis, ipſi foramini acus adnexis, ſecetur. III Syringotomus a Dn. Baſſio primum deſcriptus, Tab. XLVI. repraeſentatur, qui ſcalpellum incurvum cum manubrio, et in apice ſpecillum obtuſum ac mobile, ſiſtit, quod in fiſtulam immittitur, et ſic via ipſi ſcalpello monſtratur, qua partes ſint exſcindendae. Huic alia nonnulla, a Rungio, medico Bremenſi, et Heiſtero, in his morbis laudata inſtrumenta, iunguntur; tandemque IV) huic capiti culcitrae variae ex pellibus mollibus factae, et in aegrotis, ad dolores ex frictione cuticulae in oſſe ſacro obortos mitigandos adhibendae, imponunt finem.



Digitized by Google

Capite quarto machinae et inſtrumenta, ad operationes chirurgicas in partibus vel artubus trunco affixis perficiendas, proponuntur; cuius paragraphus primus machinas et inſtrumenta ad varias harum partium luxationes reponendas apta, et huius quidem Articulus primus ad luxationem humeri pertinet. Sunt vero ἀμβαὶ vel ambe Hippocratis, ut et eius ſic dictum ſcamnum, quorum mechaniſmus iam ab Oribaſio et aliis expoſitus, hic cum eorum uſu explanatur. Articulus ſecundus machinas et faſcias ad humerum luxatum reponendum, et retinendum, ſiſtit. Paragraphus huius capitis ſecundus machinas et inſtrumenta in oſſibus fractis, membris abſcindendis, et aliis in artubus inſtituendis operationibus apta, exhibet. Articulus autem primus, quae in anevriſmate, ligatura venae poplitis et brachiali, atque in vulneribus ſuendis, requirantur inſtrumenta, proponit. Articulus ſecundus ad balnea efficienda, tranſpirationem promovendam, et partes infirmas confirmandas, tradit machinas. Articulus tertius fracturas ſimplices et compoſitas, cum vulnere, pertractare, et faſciis convenientibus munire docet. Articulus quartus demonſtrat, quo modo partes nonnullae ex trunco pendentes exſtirpari debeant. Tandem articulus quintus de phlebotomia his in partibus ſuſcipienda agit. Ultimum denique caput, quod quintum eſt, machinas, inſtrumenta, et reliquam ſupellectilem, ad infirmitatem hominum, et in primis a morbis reſtitutorum, exponit; in quo plura tam varia, tamque compoſita deſcribuntur, ut ea ſine iconibus vix ſatis intelligi, multo minus recenſeri queant.

## *IO. CHRIST. GOTTLEBER A. M. ET SCHOLAE Annaebergenſis in montanis Miſniae Rectoris, Obſervationum in Platonis Alcibiadem Secundum continuatio.*

Certe raro inveniuntur, qui ſibi ab oblatis fortunae conditionibus temperent, nec, ſi ſe conſequi poſſe credant

res

Digitized by Google

res expetendas, deſiſtant a precibus, etiamſi meliora edocti fuerint aliorum exemplis: quin accidere, ut, qui tam ardenter deos precibus fatigarint, brevi poſt ultro vota ſua retractent. Eleganti hoc loco utitur *Plato* verbo παλινωδεῖν, quod apte ad rem ſuam transfert. Παλινωδία enim non modo, interprete *Heſychio*, eſt cantus priori contrarius, ſed et inſtitutum nupero longe contrarium. Reprehendit deinde *Socrates* eos, qui, ſua culpa calamitatibus immerſi, deos incuſent; verbisque Homericis eiusmodi ſtultos increpat. Locus, ad quem reſpexit Noſter, eſt deſumtus ex *Od.* α, 32.

> οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται,
> ἐξ ἡμέων γάρ φασὶ κακ' ἔμμεναι. —

Plato videtur, in re tam gravi, propterea tacite auctoritate *Homeri* uſus, ut, Poetae ſummi verbis loquens, maiorem dictis fidem faceret, maioremque orationi ſuae elegantiam conciliaret; ut praeter *Platonem*, *Plutarchus* aliique, apud latinos *Cicero*, *Plinius ſecundus*, etc. fecere; qui ornatum aliquem, qui abeſt fere propter materiae ſubtilitatem et gravitatem, aliunde mutuo ſumunt, recreandi ob ſcribendi tenuitatem lectoris cauſſa. Habet et hanc conſuetudinem Plato, ut vel explicet Poetae verba, ut infra fecit, vel ad ſuam rem accommodet ut h. l. addit enim: εἴτε ἀφροσύναις χρὴ εἰπεῖν — Ἀτασθαλίαι ſunt peccata, ſcelera, quibus ſe obnoxii faciunt homines; peccant vero etiam imprudentia, de qua re noſter diſputarat. Hanc nefariorum hominum ſententiam plurimi repetiere, ut ex nota *Clarckiana* ad *Hom.* l. c. intelligi poteſt. Conferri etiam cum his poſſunt verba *Euripidis*, in fragmentis fabulae, *Archelaus* inſcriptae, quae laudavit *Plutarchus*, de aud. poet. p. 26. ed. Krebſ. *In multis rebus, mi fili, dii homines decipiunt*, dicit alter; ad quae alius reſpondet: *rem facilem dictu dixiſti, cum deos accuſas.*

„ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι] praeter fatum, ut explicat *Pſeudodidymus*: ὑπὲρ τὸ πεπρωμένον; quod hominibus a diis non eſt deſtinatum, quod iis ſua culpa evenit. Sic latini τὸ *fataliter*

*liter* adhibent: ita eſt apud *Eut.* 1, 10. *fataliter mori*, i. e. νοσήσαντα τελευτᾷν, ut eſt apud *Dionyſ.* L. V, 314. ſive *ſua morte defungi*, ut eſt apud *Suet. Caeſ.* 89. Eiusmodi mors dicitur fatalis et naturalis; vid. not. *Caſaub.* ad l. c. *Suet.* p. 64. Fatum enim opponitur morti violentae: *Virg. Aen.* IIII, 696.

„*Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat*,

i. e. ut *Donatus*: *non ſecundum inſtitutum naturae*, quod fatis attribuitur. Contra ea *Ovidius* IIII. *Triſt.* 10, 77.

„*Et iam compleral genitor ſua fata*.

*Fataliter mori*, opponitur τῷ *male mori*, quod eſt apud *Plin. Epp.* III, 16. de *Arria*: *nihil agitis*, *poteſtis enim efficere, ut male moriar, ne moriar, non poteſtis*: cuius exitum vitae pulcherrimum *Martialis epigr.* I, 14 habet:

*Si qua fides vulnus, quod feci non dolet inquit* —

Alias et *mori male* dicuntur, qui in aqua aut turpi imbelliique beſtia pereunt v. *Erneſtii ep. Plin. Geſn.* adiectam. Huius loquendi formae autem fundus eſſe videtur ſententia veterum, quae unicuique ſua tribuebat fata, [ad *Hom. Il.* X, 20.] cum denuntiativa, tum conditionalia, ut ait *Serv.* ad *Virg.* l. c. quae multi, ut Stoicis placuit, providentiam divinam eſſe voluerunt; [v. *Creech. in Lucr. praef.* p. 10.] alii neceſſitatem quandam naturae: quae vero impia ſunt, ut bene vidit *Claudianus*, Proſerpinae Parcas fatumque ſubiiciens, quod praeclare monuit *Geſnerus*, *de rapt. Proſ.* II, 305.

Τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν κελεύει] *Fic.* vertit: mala autem poſcentibus quoque abeſſe iube, tanquam habuerit in libris ſuis κελέυε: Baſ. 2. τὸ κελεύει habet cum K maiori, ut editor initium eſſe voluerit tertii verſus. Sed κελεύει, quod etiam habet Aldina, ut opinor, non a vetere illo poeta eſt, ſed a *Platone*, de hoc poeta. Κελεύει, i. e. vult, iubet hic poeta, inquit *Plato*, Iovem propulſare mala a precantibus illa. *Plato*, ut ſolet, poetae verbis loquitur; ut infra patet, p. 231. cum repetit dicta ſua *Socrates*: τὰ δ. εὐχ. ἀπαλέξειν ἐκέλευσε, et paullo poſt: Λακεδ. τὰ καλὰ τοὺς θεοὺς διδόναι κελεύοντες,

i. e.

i. e. precantes, volentes. Denique κελεύει, quod initium tertii verſiculi eſſet, primam corripit.

Ἄπερ Ὀρέςην φασὶ καὶ τὸν Ἀλκμαίωνα] notiſſima eſt fabula, quam docuit *Euripides*, Oreſtem, interfecta matre, inſaniſſe. Quaenam inſania fuerit, docet *Cicero* L. III. *Tuſc.* Qu. c. 5. „*Quem nos furorem, illi, ſc. Graeci,* μελαγχολίαν *vo-„cant. Quaſi vero atra bili ſolum mens, ac non ſaepe vel ira-„cundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur. Quo genere „Athamantem, Alcmaeonem, Aiacem, Oreſtem, furere dicimus.*“ De Alcmaeone v. *Ovidius* L. IX. VIII. Met. et alii habent. Docet *Socrates* his exemplis, melius eſſe ignorare quaedam, quam ſcire: hoc, etſi abſurdum videri poſſit, elucere exemplo Oreſtis et Alcmaeonis, qui, matrem non agnitam, nunquam interfeciſſent.

Εὐφήμει] haec formula frequens Platoni, quando quis utitur ſermone alteri horrorem iniiciente, vertique poteſt: *dic bona verba*, vel: *meliora profer in medium*, L. I. de Rep. p. 371. εὐφ. parce male ominatis. Latinorum *favere* graeco reſpondet: quam vim et notavit diligenter *Briſſon. de formulis*, p. 9.

Κακὸν ἐςὶν ἡ τοῦ βελτίςου ἄγνοια, καὶ τὸ ἀγνοεῖν τὸ βέλτιςον] *Ficinus:* Malum, ut videtur, ignorantia optimi, et quod optimum eſt ignorare. Qui ſenſus his verbis ſubiectus eſſe non poteſt, quod leges linguae non permittunt, nec Plato ταυτολόγως loqui ſolet, quod hac verſione facit. Ignorantia optimi, et, ignorare quod optimum eſt, mea ſententia quidem non differunt; ſalva hac interpretatione, articulus τὸ apud Infinitivum abeſſe debebat. Τὸ ἀγνοεῖν idem eſt ac ἄγνοια, ſenſusque, ni fallor, hic eſt: *ignorantia alicuius rei, prout ſcilicet incidunt tempora, eſt optimum quid.* Invertit priorem enuntiationem: igitur malum quid, ut videtur, ignorantia, et ignorantia optimum quid. Ex ſubiectis exemplis liquet, hanc interpretationem contextui et linguae eſſe accommodatam. Fingit enim, Oreſtem, matri a ſe non agnitae, nunquam manus illaturum fuiſſe; inde intelligi poſſe, ignoran-

tiam quandam hominibus, quodammodo affectis, bonum quid eſſe poſſe.

Τὴν ἐςιν ὧν τε ἄγνοιαν, καὶ ἐςιν οἷς καὶ ἔχȣσι πως] ignorantiam quorundam, et nonnullis, et ſic vel alio modo affectis, ſ. diſpoſitis, ſalutarem eſſe. Ἔχȣσι πως variat deinde: τοῖς ȣ̃τω διακειμένοις, et: τοιάυτας δόξας ἔχοντι. Frequens uſus hic τȣ̃ ἔχειν. Eodem in loco ὅτω ὁπωσȣ̃ν ἔχοντι. Similis uſus eſt quoque τȣ̃ *habere*.

Ὀυ ποτε ἄν ἐπίθοιο ἀυτȣ̃] ἀττικώτερον eſt ἐπίθοιο quam ἐπιθειο. Sic πρόθοιτο habet *Polyb.* V, c. 109: alia exempla collegit *Celeberr. Fiſch.* in *animadv. ſuper Welleri Gr.* p. 227.

Ὡς ἔπος εἰπεῖν] omiſit vertere *Ficinus*, i. e. ut brevibus me expediam, uno verbo dicam, idem ac: ὡς συνελόντι εἰπεῖν, infra: ἑνὶ λόγῳ.

Οἱ ῥήτορες ἀυτίκα] *Ficinus* ſtatim: male, vertendum enim: exempli gratia, ut priori prol. monitum eſt.

Ὅτε βέλτιον] *Ficinus* legiſſe videtur ὅ, τι, vertit enim: et quid melius. Sed vulgata recte ſe habet; ſequitur mox: ὁπότε βελτ.

Ὀυδὲ οἶμαι ὅςις] ſc. Φρόνιμον καλεῖς ἐκεῖνον, ὅςις.

Ἀποκτιννύναι] magis atticum eſt quam ἀποκτεῖναι; alii ſcribunt: ἀποκτεννύναι; quod non doctioribus probatur, v. *Moerid.* Librarii ſaepe peccarunt in hac ſcriptura, ut monuit *Cl. Fiſcher.* ad *Apolog. Plat.* 18. p. 58. rectiorem orthographiam etiam habent Ald. et Baſ. 2.

Πρὸς δὲ] more Platonis, pro προσέτι, inſuper, praeterea; quod et plene reperitur: πρὸς ἔτι τȣ́τοις infra p. 231. ἔτι δε πρὸς τȣ́τοις.

ὡς ἄνευ νȣ̃ δόξῃ πεπιςευκότας] i. e. quia ſine ratione multum, immo nimium, opinioni de ſe conceptae crediderint, ſe eſſe aptiſſimos ad aliquid faciendum. Δόξα h. l. eſt opinio, qua δοκȣ̃μεν εἰδέναι τι, ut antea loquitur. Variat et antea hanc ſententiam τῷ οἰηθῆναι, qui ſe virtutis aliquid habere opinantur, quod opponitur τῷ ὄντι εἰδέναι, vere aliquid ſcire. Sequitur et mox: multis prodeſſe, neque noſſe aliquid, neque

que putare ſe alicuius rei certam notitiam habere. Quod fere illud *Ciceronis* eſt: fontem ac principium philoſophiae eſſe inſcientiam, cum nobis perſuadeamus, in plurimis rebus non illam ſcientiam nos habere, quam falſo multi iactitent etc.

Ὀυχὶ ὀρθῶς ἐφαινόμην λέγων] i. e. ἔλεγον. Τὸ φαίνεσθαι abundat, ut τυγχάνω. Sic in *Gorgia* 316. ὡς ἔνγε τοῖς πρόσθεν ὀυδαμῆ ἐφάνη ὄσα.

Τὸ τοῦ ποιητοῦ] *Homerum* intelligit, quem et poſtea horum verborum auctorem facit. Depromti autem ſunt hi verſus ex deperdito aliquo poematio *Homeri*, quod Μαργίτης inſcriptum eſt, de quo dixit:

— — — ὡς ἄρα πολλὰ
μὲν ἠπίσατο ἔργα, κακῶς δ' ἠπίσατο πάντα.

quae verba, praeter noſtrum, veteres tribuunt *Homero*, veluti *Ariſtoteles* Lib. *de poet.* c. IIII. p. 375. ed. *Caſaub.* Margites inſignem ſignificat ſtupidum, quem *Homerus* ita deſcribit, laudante *Ariſtotele* hos verſus VI. de *Mor.* c. VII.

Τὸν ὀυδ' ἄρα σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν ὀυδ' ἀροτῆρα
Ὀυδ' ἄλλως τι σοφόν. — —

*Margitem neque foſſorem voluerunt numina divum*
*Eſſe, nec agricolam, nec in ulla prae erea re*
*Scitum aut egregium: qui ſponſam attingere non eſt* *)
*Auſus, ne matri, veritus, rem proderet illa.*

Unde *Heſych.* μαργίτης, μωρός τις, ὁ μὴ ἐιδὼς μῖξιν γυναικὸς καὶ γυνὴ προτρέπεται ἀυτόν. Plura de hoc carmine habet *doctiſſimus Fabricius B.* G. L. II, c. 2. p. 283.

Καὶ ὀυ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι] Haec verba illuſtrat *Plutarchus* in laudato libello c. I, p. 4. poſſe poeſin quamvis ſapientem fallere, nec illecebras eius ſtupidos et inſipientes capere.

*) v. Eraſm. Adag. p. 398.

capere. Qui hic ſunt προστυχόντες, i. e. homines nullius loci numerique, ſunt apud *Plut.* ἀβέλτεροι et ἀνόητοι.

Ποιητική — αἰνιγματώδης] vere poeſis, et praeſertim Homerica, ſic appellari poteſt, partim qua elocutionem, partim qua fingendi artem. Omnes enim vates, quales ſe haberi volebant poetae, niſi ab ipſis vatibus explicentur, aenigmatum pleni ſunt. Exemplo ſunt fabulae maximam partem impiae, quae in phyſica, morali philoſophia, vel in hiſtoria fundum habere dicuntur: ut Stoici ſe mire torſerunt. Unde Plutarchus de aud. poet. c. II, p. 10. non immemorem poeticarum praeſtigiarum, iubet poeſin ſic compellare:

ὦ μηχάνημα σφιγγὸς ἀπλώτερον —

qui omnino praeclare de poeſeos virtutibus et vitiis.

Ὅτι οὐχ' οἷον ἦν ἐπίστασθαι καλῶς] Male ſic legitur in Baſ. 2. Aldina habet κακῶς, et libri *Ficini* addicunt: quod ſcire male impoſſibile ſit. Flagitat et contextus κακῶς.

Πάλιν ἂν μοι δοκεῖ] haec verba in Baſ. 2. tribuuntur Alcibiadi, nec reperiuntur in Ald. ſed *Fic.* habuit in ſuis libris, vertit enim: *et mihi rurſus eodem modo;* ſed tribuit Socrati rectius.

Ἀλλὰ φέρε] *Ficinus:* ſed age per Iovem, videsne quanta qualisque in hoc ſit ambiguitas. Sed in graecis nulla eſt interrogatio. Mihi aliquid omiſſum videtur: ἐπισκεψώμεθα, aut eiusmodi quid, ut ſit: ſed age per Iovem, intueamur ulterius hanc rem; ſequitur enim: ὁρᾷς γάρ, vides enim ambiguitatem.

Τοῦτο καὶ ἐκδεδοκέναι] quid ſit hoc vocabuli neſcio, nec in Lexicis reperitur. In mentem mihi venit levis correctio, ut legatur: εὐδεδοκέναι ſ. εὐδεδοκηκέναι. Εὐδοκεῖν eſt probare; ſic reperitur apud *Polyb.* L. III, c. 8. p. 263. οὐδένα γὰρ εὐδοκεῖν τοῖς πραχθεῖσι, de Hannibale Saguntum diruente. Itaque ſenſus eſt: quod maxime tibi placuerit, modo iterum proba-

probare, modo ſimiliter non probare. *Ficinus* ſenſum modo expreſſit: *ſed quod olim aſſeverabas, nunc damnas.* Sed mihi ipſe non ſatisfacio, inſertum eſſe videtur mala manu.

Τοὺς ἐν Ἀθηναίοις — βουλευομένοις αὐτοῖς δοκεῖν] oratio eſt ἀνακόλουθος. Athenienſes igitur, indignatos hac re, dubiosque quibus artibus uterentur, ut haec mala praeſentia a ſe avertant, βουλ. αὐτοῖς etc. quod non convenit ſuperioribus. Itaque abſolute ſunt capiendi hi accuſ. quod attinet ad Athenienſes, — placuiſſe, viſum eſſe illis, aiunt, conſilia inter ſe conferentibus, mittere ſc. legatos ad Ammonem Iovem: — βουλεύεσθαι eſt deliberare inter ſe, v. Kuſt. de verb. med. I, 37. et Dreſig. pag. 235. *Ficinus* ita: *Qua re perturbatos Ath. cum non haberent qua arte tantam calamitatem vitarent, decreviſſe Ammonem conſulere* — ſed paullo liberius. Pleni ſunt ſcriptores eiusmodi anacoluthorum, et Plato praeſertim; quae in grata negligentia numerantur. Similis eſt noſtro fere *Terentianus* locus Hec. III, 1, 6.

*Nam nos omnes, quibus alicunde obiectus eſt aliquis labos*
*Omne, quod eſt interea tempus, priusquam id reſcitum eſt, lucro eſt.*

ubi τὸ *lucro eſt*, et *nos omnes* non coniungi poſſunt.

Liceat nobis aliquid praetermiſſum prima proluſione hic addere. Sententiam, ἀφροσύνη καὶ μανία, quam in principio dialogi Plato poſuit pag. 228. *Cicero*, uti hunc totum locum, ante oculos habuit *Tuſc.* III, 5. *inſipientia autem inſanitas quaedam quae eſt inſania.* Item verba: τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι — ὀρθῶς ἂν φαίημεν: *omnes inſipientes eſſe non ſanos;* vel antea: *omnes inſipientes inſaniunt. Sanitatem autem animorum poſitam in tranquillitate quadam conſtantiaque cenſebant*, illud eſt; τὸ μαίνεσθαι ἆρα ὑπεναντίον σοι δοκεῖ τῷ σωφρονεῖν. Inſaniam ſ. μανίαν latini tamen a furore disiungunt. Repe-

 tiit

tiit et hanc ſententiam *Senec.* II. de benef. c. 35. Inſanire omnes ſtultos dicimus. Plures laudavit *Daviſ.* ad loc. *Ciceronis* laudatum.

In ultima iam dialogi parte explicanda licet mihi praefari, quod iam in principio univerſe monui, eam res maxime memorabiles, quae ullo in loco *Platonis* occurrant, naturam precum, praeſtantiamque illarum prae ſacrificiis, quamvis ſplendidiſſimis et ſumtuoſiſſimis, continere.

Ἀλλ' ἐ διὰ τὴν ἐκ' ἐυχὴν, ἐπὶ τ. Θεοῖς ἐςὶν οἶμαι] in mentem alicui venire poſſet, particulam ἀλλ' iniquo loco a librariis poſitam, et ante ἐπὶ collocandam eſſe, ut ordo verborum poſtulat. Sententia enim plena haec eſt: *Si contigit, ut non omnia votis ipſorum reſponderent, non propter ipſorum preces factum eſt, ſed, ut opinor, in poteſtate Deorum eſt ſitum.* Sed tantum abeſt, ut haec particula ſit transponenda, ut eiusmodi σύγχυσις potius in grata aliqua negligentia, quam *Cicero* vocat, numeranda, et longe uſitatiſſima ſit habenda. Conſimili modo particula μὴ etiam iniquo loco ponitur. v. c. apud *Xenoph. Mem.* III. IX. p. 151. καὶ μὴ ἃ οἶδε v. Ven. Ern. *Arrian. Epict.* III. 24. p. m. 346. καὶ γὰρ ἀισχρὸν, ἐ τὸ φαγεῖν μὴ ἔχειν, non turpe eſt, me non habere quod edam; pro κ. γ. ἐκ ἀισχ. niſi, inciſum poſt ἐ ſcribendum; quod vero diuriuſculum videtur.

ὁι Ѳεοὶ μᾶλλον νίκην διδ. ἢ σφίσιν ἀυτοῖς — ὁι Ѳυσίας ἄγομεν. Notanda hoc loco enallage perſonae. Senſus eſt: cur dii Lacedaemoniis potius quam ſibi victoriam largiantur, cum plurima et pulcherrima ſacrificia offeramus. Lector expectat: *offerant*, in quae perſona *Ficinus* convertit: *cum ipſi tamen ſacrificia tum plura tum decentiora quam reliqui Graecorum offerrent.* Narrat Alcibiadi hanc rem Socrates, et repente Athenienſes loquentes inducit. Quam loquendi conſuetudinem notavit *Longin. de Subl.* S. 27. p. 155. ed. Toll. *Scriptorem*

Digitized by Google

*ptorem in media narratione ſuas loquendi partes relinquere, eas-que commutare, et ipſum illum, de quo agat, loquentem indu-cere.* Exempla dederunt ipſe *Longinus*, eiusque Intt. *Tollius*, et *Pearcius*. Plurima huius generis exempla occurrunt apud elegantiſſimos ſcriptores, ut a tertia perſona tranſeant ad primam, et contra; ut notavit ad *Eutyphr.* IIII. f. *doctiſſ. Fiſch.* Huc et pertinet illud *Philon. in Flacc* p. 978. ed. Fr. de ſe et ſua gente: πότε γὰρ εἰς ἀπόστασιν ὑποπτεύθημεν, πόδε δ᾽ οὐκ εἰρηνικοὶ πᾶσιν ἐνομίσθησαν pro — σθημεν; ſui oblitus, narrantis partes aſſumit.

θυσίας ἄγομεν] alias dicunt graeci: ἀνάγειν θυσίας; ut apud *Phil.* de *Vit. Moſ* L. III. 674. vel προσφέρειν et ἀναφέρειν. An ſimplex poſitum pro προσάγειν ſc. τῷ βωμῷ? victima enim ornata ad altare adducebatur, etc.

Ἀναθήμασι κεκοσμήκαμεν τὰ ἱερά] Eiusmodi ornamentis, quibus templum illuſtrius et magnificentius redditur, veteres diis ſe acceptiores fore credebant, potisſimum ſi Apollinem irent conſultum. Fuere autem donaria, coronae, pocula, phialae, thuribula, ſtatuae, tripodes, qui fere Apollini offerebantur, ſed non ſemper. Coronae enim aureae, et ſimulacra ſpoliorum ex argento facta, Apollini donata. *Liv.* XXVIII. 45. *Legati Delphos ad donum ex praeda Asdrubalis portandum miſſi; — tulerunt coronam auream CC. pondo, et ſimulacra ſpoliorum, ex mille pondo argenti facta.* Graeci hac in re verbo ἀνατίθημι utuntur; ut apud *Thucyd.* I, 132. dicuntur Graeci ex manubiarum primitiis Apollini conſecraſſe tripodem: ὃν ἀνέθεσαν. Ceterum falſus eſt *Moeris* in voce ἀνάθημα, quod atticum, ἀνάθεμα autem ἑλλην. putat. Audiendus potius *Th. Magiſter*, qui in hac voce dicit: οὐκ ἀνάθεμα. Athenienſes ideo provocant ad ſacrificia et donaria, quibus ornarint templa, quod ſecundum vulgarem opinionem, dii iis faciles propitiique reddantur, ſibi autem neutiquam. Hinc ſibi videntur merito pati iniuriam aliquam,



Digitized by Google

cum quicquid lege et inſtitutis praeceptum ſit, fecerint, etc. Sed praeclare reſponſo vatis confutantur: bonam mentem longe acceptiorem Deo eſſe, quam omnium Graecorum ſacra.

*πομπὰς — ἐδωρούμεθα τοῖς θεοῖς*] Pompae, quibus dii honorabantur, ſunt, quas hodie parum latine vocant *Proceſſiones*, quae magnificae et ſumtuoſae, ante ſacrificia fiebant. Unde pompae et ſacrificia coniunguntur, ut hic et pag. 232. h. dial. et ex *Xen. Cyr.* VIII, 7. *χοροῦ ἡγης.* i. e. dux erat pompae religioſae, intelligi poteſt, et apud alios, nominatim *Dionyſ. Hal.* VII. pag. 475. qui locus omnino hunc noſtrum egregie illuſtrare videtur. Quum enim *Dionyſ.* l. c. probatum eat, Romanos non barbaros, ſed graecae originis eſſe, in primis ex pompa Circenſi nobilisſima, tantum ſimilitudinis cum Graecorum pompis habente, rationes depromit idoneas; quae iam fuerit, etſi non tam ſplendida et illuſtris, qualem deſcripſit, (ſuorum enim temporum pompam illuſtrabat, quae multo ſplendidior quam antiquiſſima fuit) ante, quam Romani in Graecorum notitiam venirent. Unde locus laudatus *Dionyſii*, qui eſt in hac re claſſicus, etiam nobis prodeſſe poteſt. Diſcimus enim inde, eam fere atque Romanorum conſtitiſſe videri pueris, pubertati proximis, in alas turmasque claſſes ordinesque diſtributis, choris tibicinum, ſimulacris in thenſis collocatis etc. ait enim pag. 476. hunc priſcum Graecorum morem ſervaſſe Romanos immutatum, contra Graecorum conſuetudinem. Ludos ſimul, pompa ſacrificiisque peractis, antiquisſimis temporibus celebratos eſſe, valde probabile videtur. Eiusmodi enim caerimoniae ſollemnes et publica ſacrificia, non ſine ludis fuerunt; quemadmodum ludi, quod eſſent pars religionis, [*Curt.* III. 7. *et Cell.*] non ſine ſacrificiis, diis placandis inſtituti fuerunt. [*Manut. de legg.* c. III.] Graecos, et cum his Romanos, in greſſu tarditatibus mollioribus, ut ait *Cic.* [Off. I, 36.] uſos eſſe, valde notum: item quotannis has pompas ſollemnes fuiſſe, ex hoc *Platonis* loco intelligi poteſt.

Digitized by Google

poteſt. In hac pompa hoſtias, cornibus auratis, ſertisque earum capitibus impoſitis ornatas, ad altare ductas eſſe, quod Graecis eſt παραστῆσαι, facile crediderim; ut et in tranſitu monet *Pfeiff.* A. G. I, 24. pag. 37. In pompa triumphali, cuius ſplendor et tota ratio ab eiusmodi pompis ſacrificalibus videtur deſumta, hoſtiae, Iovi O. M. immolandae, poſt tubicines, ut conſtat, ſunt ductae.

Ἀνάπηρα θύειν] Quaenam ſint ἀνάπηρα, docere et poteſt, praeter alia *Ariſtot. Plutarchi*, *Luciani* et *Pollucis* loca, quae iam antiquitatum gr. ſcriptores, veluti *Pfeiffer. Lackemacher*, *Boſius*, etc. laudarunt, *Heſychius* in hac voce: ἀναπηρός, τυφλὸς νοσώδης. Athenienſes ſine dubio eo Lacedaemoniis invidiam commovere conantur, quod eos dicunt hoſtias mutilas, nec labe carentes diis offerre. Lacedaemonii quippe, pro ipſorum paullo ſeveriori diſciplina, non tanta celebritate, tantisque ſumtibus ſacra fecerunt. Etenim ſi victimas mancas, contra leges Graecorum diis offerebant; quanta, quaeſo, poterat eorum mens eſſe, qua illas diis offerrent, quam tamen Ammon probavit, ut ex vatis reſponſo patet? Nemo autem paullo liberalior inſtitutus, ei, quem amare praetendit, dona mutila nulliusve pretii offerre ſolet; nedum diis, quibus Lacedaemonii cari fuiſſe dicuntur. Cauſſa huius integritatis hoſtiarum eſt in promtu: Deus pro ſanctitate ſua nihil, quod animi levitatem ſuique contemtum proderet, probare poterat: hoſtiae autem mancae, nonne ex eiusmodi animi ſtatu proficiscuntur? ergo facile totam ſacrificiorum rationem ſymbolicam fuiſſe apparet, ut et vidi *Clericum* ad *Lev.* XXII. 20. huius ſententiae non poenitere: quo ex loco ſimul patet, eandem Iudaeorum hac in re rationem fuiſſe.

Ἀποκριθῆναι τὸν προφήτην] ſacerdotes Ammonis prophetas appellatos eſſe, intelligitur ex *Diod. Sic.* XVII, 51. pag. 199. *ed. Weſſ.* ubi eiusmodi vates, ſi diis placet, προφητεύων

ἀνὴρ, et paullo poſt προφήτης vocatur, ſimulque de ſede oraculi, luco et regione exponitur. Sacerdotes Ammonis, numero LXXX, ſimulacrum Dei e ſmaragdo et aliis gemmis coagmentatum, in aurea navi circumferunt, humeris impoſitum, et, quo forte fortuna Dei nutus illos agit, tendunt: quos ſequuntur matronae virginesque, inconditum carmen canentes, more patrio. Rem narrant *Diod.* XVII, 50. et *Curt. IIII*, 7. Ammonis oraculum iam ante Delphicum celeberrimum fuit: Iupiter enim fatorum libros tenere, aliisqe diis, quae luberet, indicare putabatur; unde πανομφαῖος, Il. VIII, v. 250. cf. *Euſt.* Clarum fuiſſe hoc oraculum, exemplum Alexandri, Ammonem conſulentis, docere poteſt. De nomine alii. *Plato* in *Phaedr.* pag. 213. Ammonem et Thamum, Aegypti regem, eundem fecit, quem Graeci ſic appellarint. Sed ſic malim legi: καὶ αὐτὸν θεὸν Ἄμμωνα, ipſumque appellant Graeci Deum Hammonem. De re ipſa et diverſis nominibus Thamuſi, et quis lateat ſub illo agit *Marsham Can. Chr. 31. Huet. Dem. Ev.* pag. 120.

Τάδε λέγει Ἄμμων] *Haec dicit Ammo: placere ſibi magis Lacedaemoniorum bona verba* [εὐφημίαν] *quam omnia Graecorum ſacra. Verba* Τάδε λ. Α. formulam, qua vates, reſponſa daturus utebatur, continent. v. *Diod. XVII, 51.* qui quoque ad eam reſpicit, quum oraculum Ammonis, Alexandro datum narrat. Wesselingius *Vir. doctiſſ.* ad verba *Diod.* ὁ μὲν ἀνεῖπεν ſcite coniicit, veteratores illos ſacerdotes aemulatos eſſe vocem, divinis vatibus Iudaeorum ſollemnem: כה אמר יה' et noſtri Platonis locum laudat. Venire etiam alicui in mentem poſſet, ipſum reſponſum, ſacerdotes Ammonis acceptum retuliſſe Iudaeis, vota, preces, ut interpretatur Socrates εὐφημίαν, Deo magis placere quam omnia Graecorum ſacrificia. Sacrae litterae eandem ſententiam Iudaeis inculcant, Ψ. XL, 7. et 1 Sam. V, 22. Demonſtrarunt ſatis Viri doctisſimi, nominatim *Huetius*, vir ſummus,

Digitized by Google

mus, varias gentes, praecipue Aegyptios et Graecos, ex Moſis libris, et quidni etiam ex aliis? ritus inſtituta et oracula divina mutuatos eſſe. v. *Dem. Evang. Prop.* IIII. pag. 261. ſeqq. Caeterum ipſum effatum habent alii v. c. *Iſocrates* in *orat. ad Nicoc.* II. VI. ἡγοῦ δὲ θῦμα etc. *id pulcherrimum ſacrificium et cultum maximum exiſtima, ſi ipſe te quam optimum et iuſtisſimum praebeas. Maior enim ſpes eſt, Deos immortales, talium vota audituros, quam eorum, qui multas victimas proſternant.* Sic et *Plut.* ni fallor, in *Numa.*

Χρυσόκερως βοῦς παρασησάμενοι] ſc. τοῖς βωμοῖς, notum ſic dici abſolute et cum ſubſtantivo. *Paullus* 1 Cor. XII, 1. utitur quoque hac voce. Cornua boum aurata ſunt omnibus nota. *Plin.* XXIII, 3. *Deorum vero honori in ſacris nihil aliud excogitatum eſt, quam ut auratis cornibus hoſtiae, maiores duntaxat, immolarentur.*

βλασφημούντων αὐτῶν ἀκούοντες οἱ θεοί.] Dii vero cum illos impie loquentes ſ. precantes audiunt, magnificas illorum pompas et ſacrificia non probant. τὸ βλασφημεῖν idem eſt ac καταρᾶσθαι in princ. dial. Locus hic longe pulcherrimus recte eos, qui cum bona tum mala precantur, arguit, Deum eiusmodi precibus impiis graviter laedi. Sine conditione enim aliquid obſecrare Deum, nihil aliud eſt, quam velle videri, ſcientiam eius, quod vere nobis conducat, habere; quod ſtultiſſimum et maxime impium eſt. Qui enim pendent a maiori, tanquam ſubiecti, non audent, nec debent poſcere quid velint principem, niſi eum a ſe graviſſimas poenas expetere velint. Quo minus ſubiectos Deo temerariis his precibus ſe produnt homines, non permittendo ſe ei, eiusque bonitati ſummae, ſed expectando ea, quae ſalva ſapientia, bonitate et iuſtitia largiri non poteſt; eo maiori contumelia afficiunt eum, quem coluiſſe tamen ſibi videntur. Sapienter vero Socrates hoc dialogo, praecipue laudandis illius poetae veteris verſibus, docet, orandum eſſe

Digitized by Google

eſſe Deum, ut, quae proſint, det, ſive optemus illa nec ne; mala autem, quandocunque illa ex ignorantia precemur, avertat. Quam mentem Socratis pulcherrime expreſſit *Iuvenalis*:

*Permittas ipſis expendere numinibus, quid*
*Conveniat nobis rebusque ſit utile noſtris*
*Nam pro iucundis, aptiſſima quaeque dabunt Di,*
*Carior eſt illis homo, quam ſibi —*

Ὀυκ ἀποδέχονται] *Fic. pompas et ſacrificia non acceptant:* potius eorum pompae diis non probantur, diſplicent. Cui non in animum veniunt, illa divini *Ieſaiae:* Nolite afferre fruſtaneum munus, incenſum res eſt mihi abominanda — manus veſtrae plenae ſunt ſanguine. ἀποδέχομαι hoc ſenſu paſſim apud noſtrum. v. *Phaedon.* S. 35, et e 41, et 42. *Philon.* de V. M. p. 605. *Eutyph.* S. XI. f.

Παρ' Ὁμήρῳ] Locus depromtus eſt ex il. θ. 548. Horum verſuum, quos laudat *Plato*, nullus praeter alterum in editt. Homeri, excepta Barneſiana, reperitur; quos Barneſius vero ex hoc loco in textum *Hom.* recepit. Propius eſt verum, tempore *Platonis* in libris ſcriptis *Homeri* eos exſtitiſſe; ſaltem prior verſus: ἔρδειν ἀθανάτοισι etc. iudice *Ven. Erneſti* non abeſſe poteſt; nidoris enim mentio, deſiderat praegreſſam ſacrificii mentionem, nec conſuti eſſe poſſunt ex variis locis; quia Socrates Homerum ait haec de Troianorum ſacrificio dicere.

Ἔπαυλιν ποιουμένους] *Fic. cum ſuburbanum aedificium molirentur.* Sed neſcio quid ſibi cum hac interpretatione velit. Senſus eſt, ni fallor, Troianos feciſſe ſtabulum, in quod nempe

nempe hoſtias, diis offerendas, includerent. Monuerat antea Hector Troianos, ut bobus et ovibus pinguibus adductis, ignes accenderent, ne Achivi noctu ex ipſorum manibus poſſent elabi. Quae imperata fecere Troiani; unde *Plato* ait: Troianos, grege congregato in ſtabulo, feciſſe immortalibus perfectam hecatomben. *Heſych.* ἔπαυλις μάνδρα βοῶν, nec differt haec vox ab ἔπαυλος, ut vult *Euſtath.* ad Od. ψ. 358.

*Κνίσσαν ἐκ τῦ πεδίυ* —] *κνίσσα* h. l. ſignificat fumum ex ſacrificiorum pinguedine aſcendentem; dicitur enim ventus odorem ſuavem coelum verſus egiſſe. Alias ſignificat, pinguedinem, adipem et omentum. *Heſ.* κνίσσα, ἀτμὸς καπνὸς τῶν θυσιῶν, καὶ τὸ λίπος τῦ ἱερείυ καὶ ὁ ἐπίπλυς *Schol.* minor monet ad Il. α. v. 317. pag. 16. hac voce, auctore *Porphyrio*, quatuor ſignificationes, nidorem, omentum, carnem et ſuffitum exprimi. Veteres femora et pinguedinem omento involuiſſe, ut eo citius conflagrarent, locus Hom. Od. V. 456. docet, ubi κνίσσῃ ἐκαλ. ſignificat, omento operuerunt, ſive ut ſchol. ad Iliad. α, 460. pag. 20. ἐκάλυψαν τὰ μηρία τῷ λίπει. Formam hanc loquendi in ſacris occurrere, omnes norunt. Gen. VIII. 21. Odorem ſuavem autem odoratur Deus, quando benignitatem et irae ſuae ſedationem decla-

rat, ſive ut ſchol. ad locum *Gen.* ἔσφρησιν καλεῖ τὴν τὸ εὐσεβὲς ἀποδεξαμένην κρίσιν. De Troianorum ſacrificio ait poeta; Deos beatos odorem in coeli interiorem partem penetrantem noluiſſe odorari.

ὥςε ὐδὲν προύργου ἦν θύειν] ut nihil commodi, utilitatis eſſet — *Cic. ep. ad Att.* IX, 4. *in his ego me conſultationibus exercens et differens in utramque partem, tum graece tum latine, et abduco animum a moleſtiis et* τῶν προύργου τι *delibero, i. e. aliquid eorum, quae ſunt ex re.* Utitur et *Polyb.* V, 19. *Dionyſ.* IIII. pag. 216. Non mihi temperare poſſum, quin hunc locum longe pulcherrimum, pace lectorum, interpreter. Sacrificia et donaria, fruſtra oblata, diis iratis, non eſſe e re Troianorum poterant. Etenim, opinor, non in eo natura Dei cernitur, ut more iniqui foeneratoris, donis decipi ſe patiatur; attamen admodum ſtulte credimus, nos Lacedaemoniis hoc [ſc. pompis et ſacrificiis ſplendidiſſimis Deo offerendis] praeſtare. Etenim mirum eſſet, [δεινὸν ἔιη] ſi dii donariorum et ſacrificiorum, non autem ſanctitatis et iuſtitiae noſtrae mentis, haberent rationem. Multo magis opinor, ſc. Deos mentem ſanctam obſervare, quam eiusmodi pompas magnificas et ſacrificia,

quae

Digitized by Google

quae ii, qui cum multum Deos, tum homines violarunt, et privatim et publice, ſine ullo impedimento, ſingulis annis, perficere poſſunt. Illi vero, quippe cum donis corrumpi ſe non patiantur, omnia haec parvi faciunt contemnuntque, ut ait Deus, [Ammon] eiusque vates. Videtur igitur, cum apud Deos, tum homines ſapientes iuſtitia et prudentia in primis magni fieri. Prudentes autem et iuſti, non alii fere ſunt, quam qui dictis factisque, quid diis hominibusque conveniat, habent cognitum. — Paullo poſt *Socrates* Alcibiadi: Optimum igitur mihi videtur, quietem agere. Etenim non te propter magnanimitatem, [quod pulcherrimum ſtultitiae nomen eſt] Lacedaemoniorum precibus uti velle arbitror. Neceſſarium igitur eſt, perſeverare, eo usque aliquis diſcat, quomodo erga Deos hominesque ſe gerere debeat. A. Quando aderit illud tempus? et quis ille auctor? maxima voluptate eum hominem, quinam ſit, videre geſtio. S. Eiusmodi aliquis eſt, cui res tuae ſunt curae. Sed mihi videtur, ut, quemadmodum Homerus inducit Minervam, Diomedi nebulam ab oculis auferentem, ut bene cum Deum, tum hominem cognoſceret, neceſſe habeas, nebula primum animi, qua circumdatus es, diſpulſa, ea admovere remedia, quibus, quid bonum malumque ſit, ſis intellecturus.

Πρὸς τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν οἱ θεοὶ] hanc loquendi formam fere hebraiſmum putares; ſic τό פנה et שעה Gen. IIII, 4. 5. ἐπεῖδεν ὁ θεὸς ἐπὶ Ἄβελ, καὶ ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ i. e. benevole acceptavit Abelis donaria. cf. Mal. II, 14.

Φησὶ τὴν Ἀθην. Ὅμηρος] locus exſtat Il. ε, 127. Diomedes, quem poeta furibundum in campo fingit, et torrenti rapido ſimilem, percutitur telo a filio Lycaonis. Ne huic ignominiae ſuccumbat, orat Minervam, ut ſibi auxilium ferat, in interficiendo hoc homine: quod, caligine ab oculis ablata, facit, ut quum Deum, tum hominem bene dignoſcere poſſit. Hunc locum Socrates pulchre accommodat ad Alcibiadem, qui praeclare Socrati regerit: Tollat ſi velit, ſive caliginem, ſive aliud quid: paratus enim ſum, nullum eius praeceptorum ſubterfugere, quisquis et ille ſit, ſi modo ad frugem meliorem ſim perventurus.

Προθυμίαν ἔχει] coniiciebam legendum προμήθειαν, loquitur enim Socrates de Dei cura provida. Dixerat ſupra: οὗτος τ. ε. ᾧ μέλει περὶ σοῦ. *Fic.* hanc coniecturam videtur confirmare; vertit enim: atqui ille mirum in modum tibi providebit; et facile haec duo verba permutari potuerunt. Sed, quod Aldina nil adiuvat, vulgatam retineo, et ſenſus

hic

Digitized by Google

hic eſt: ille propenſum animum, ſtudiumque erga te habet.

*Εἰς τότε ἀναβάλλεσθαι τὴν θυσίαν*] ad illud ſc. tempus differendum eſt ſacrificium, n. donec iſtam meliorem mentem, acceperim. Sacrae litterae ſacrificia absque hac mente pura ac ſincera renuunt, eaque differri volunt, usque dum ſit ſancta. Ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου etc.

*Παρακινδυνεύειν τοσοῦτον κίνδυνον*] Cave putes emphaſin in hac forma. Eadem ratio in omnibus coniugatis; niſi habenda ſit ratio contextus, affectus, perſonae loquentis etc.

*Τουτονὶ τὸν στεφ. περιθήσω:*] Sacrificaturi praeter ſacrificia ſollemnia, donabant Deos auro, veſtibus, coronis, quas eorum ſignis imponebant. Praecipue conſulturi Apollinem Delphicum, quem Alcibiades, cupidus imperii Graecorum, conſulere voluiſſe videtur [v. p. 228. *h. dial.* εἴ σοι ἐμφ. γενόμενος et *Corn.* III. c. et VIII] Deum variis donariis honorabant, quo facilius reſponderet. Ὁ θεὸς praeterea vocatur κατ᾽ ἐξοχὴν, Apollo, ὁ θεὸς ὁ ἐν Δελφοῖς et abſolute [*Thucyd.* I, 134. 135.] Alcibiadem voluiſſe Deo coronam offerre, ideo

 colligo,

Digitized by Google

colligo, quod ait: *hac corona te, quod mihi videris bene conſuluiſſe, cingam, ſ. caput tuum redimiam: diis autem coronas et omnia, quae legibus iubentur tunc, cum illum diem advenientem viderim, conſecrabimus: veniet autem proxime, volentibus diis.* Conſilium dederat Socrates ſacrificaturo Alcibiadi, ut, antequam ſacra faceret, diſcat, quomodo diis hominibusque congruenter agere debeat: pro quo ſalubri conſilio, Socratem pro Apolline, qui reſponſa conſultus reddit, coronat. Eiusmodi corona graecis dicitur: *ςέφανος ἱερατικὸς Plut. de aud. poet.* c. XI. eratque aurea. Coronati et ipſi ſacrificantes erant, quod coronae ſignum laetitiae et iucunditatis eſſent. *Ael. V. H.* III, 3.

*Ἄλλο δὲ ἀντὶ τῶν παρὰ σȣ̃ δοθέντων*] Legendum ſine dubio: *ἄν τι.* Socrates accepta corona dicit: Accipio et hoc, et aliud quodcunque a te datum: ſ. quod abs te datum eſt, libenter tibi acceptum refero. Favet et *Fic. accipio et hoc, et quodcunque mihi datum abs te praeterea fuerit.* Ineſt huic dicto ſuavitas illa *Terentiana Eun.* III. ſc. I. init. *ain' tu, laeta eſt? non tam ipſo quidem dono, quam abs te datum eſſe.*


Εὐριπίδῃ πεποίηται] Reperiuntur haec verba in *Phoeniſſ.* v. 865. locus eſt admodum bellus. Video ſenem Tireſiam coecum,

coecum, a filia ductum, et anxie illam monentem, ne offendat, nec tabellas ſortium amittat, ſed ipſum caute ducat omnibus greſſibus anhelantem, et, an iter ſit longum, anquirentem. *ὡς τοὐμὸν κάμνει γόνυ* — Creon illum monet, ut ſpiritum colligat: cui ille: ſe huc aegre deductum, in bello contra Eumolpum ab Athenienſibus geſto, ob bene res geſtas, accepiſſe coronam auream ex ſpoliorum primitiis: ad quae Creon: bonum aliquod augurium victricem tuam coronam duco, nos quoque victores, abituros: verſamur enim in magna procella, ut noſti, belli Argivorum cauſſa, et magnum certamen eſt Thebis. Bellum Eumolpi contra Erechteum, cuius hoc loco facit mentionem, quatuor *γενεὰς* antea geſtum eſt, ut notat *Scholiaſtes*. Sed eiusmodi anachroniſmi Euripidi, et omnino Poetis ſunt liberi. Haec Creontis verba Socrates ad ſe transfert, et *δόξαν ταύτην*, i. e. hanc coronationem Alcibiadis augurium ducit, ſe, maximis quoque calamitatibus circumventum, omnium Alcibiadis amatorum, victorem futurum. Primus fuit amator *Socrates* et ultimus; omnes enim amatores Alcibiadis, eum faſtus cauſſa, reliquerant; ut ait *Alc. α.* p. 215. Voluit et Socrates bonis praeceptis ſuppeditandis efficere, ut Alcibiades ab amore turpi abſtraheretur. Amabatur enim, ut auctor eſt *Nepos*, a pluribus more Graecorum, quod aetatis ſuae multo

to formoſiſſimus haberetur, ut et ipſe iactaverat, nec immerito. οἴει γὰρ εἶναι κάλλιστος καὶ μέγιστος — *Alc. α. init.* Non modo autem Alcibiades, ſed et pater Clinias formoſiſſimus fuit repertus. [*Xenoph. Mem.*] I, 2, 24.

Digitized by Google

TAB. I. ad pag. 241. ſq.



Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Iunii Anno MDCCLXIX.*

---

*DIATRIBE ACADEMICA DE DEA ANGERONA, quam Auſpiciis Dei O. M. Diſceptatore CHRISTOPHORO SAXIO, A. L. M. et Philoſ. Doctore, Antiquitatum et Humaniorum Litterarum in Ultraiectina Academia Profeſſore Ordinario, die IV. Iunii H. L. Q. S. publice defendit IOACHIMUS van VLIET, Ioachimi filius, Indo-Batavus.*

Ultraiecti, 1766. plagg. 9. cum tab. aeri inciſa, quaternis.

Etſi pleraque priſcorum rituum e ſcriptoribus antiquis repeti et cognoſci debent, in iisque ingens omnis antiquariae liberalisque doctrinae theſaurus ſervatur; tamen haec antiquitatum diſciplina magno commodo careret, niſi monumentorum veterum utilitate frueretur. Etenim haec quoniam et corruptionis immunitate, et diuturnitate durationis antecellunt, ſaepe, quanquam lapidea, clamant nihilominus, et marmorea loquuntur, ubi ſilent libri, codicesque conticeſcunt. Quare nimis abiecte ſentiunt de eorum praeſtantia, et a ſumma artium longisſime abſunt, qui non niſi ludicri aut artis fabrilis cognoſcendae cauſſa, talia haberi



Digitized by Google

et colligi putent. Sed cautos tamen et acutos ſpectatores deſiderant, cum praeſertim non ſint omnia unius aut valoris aut aetatis. In ſpectandis igitur hiſce diſtinguendum eſt Opus, et Argumentum Operis. Illud requirit oculos ſubtiles et acutos: hoc legendis veterum ſcriptis eruditum et antiquitatis peritum aeſtimatorem deſiderat. Hac in monumentis antiquis tractandis, viri doctiſſimi, et nuper Winckelmanus, via progreſſi ſunt, quibus ſe ſocium adiunxit Auctor huius diſſertationis, *Saxius*, Vir doctrinae laude florentiſſimus, famaque nominis celeberrimus, in qua Plinii, Maſurii Sabini, et Solini cauſſa, deae Angeronae, ſigna duo memorabilia e Principis Auriaco Naſſovii Pinacotheca depromta, eo maiore iure illuſtrat, quo rariora a Cayluſio perhibentur.

In nomine Deae variatur: in aliis enim Angerona, in Maſurio Sabino autem Angeronia occurrit, qua differentia effectum eſt, ut a nonnullis, veluti Voſſio, Reineſio, Cupero, quomodo ſcribendum ſit, dubitaretur. Sed *Angeroniam* verum nomen eſſe non poſſe, patet etiam hinc, quod tum inde duci non poſſet vulgatum feſti nomen *Angeronalia* quod omnino *Angeronialia* dici deberet. Nominis autem natales ab obſoleto *Angero*, cuius auctoritas Salmaſii obſervatione Exercit. Plin. pag. 6. nititur, repetendae ſunt, et Analogiae, quanquam nusquam ſibi lectum memoret Auctor, confidendum. Hinc ergo nominis notatio deſignat numen, quod quaſi angat et comprimat os loqui conantium. Non igitur confundenda eſt *Angerona*, cum *Agenoria:* diverſorum enim numinum nomina ſunt, ita quidem, ut Dea haec ſilentii, illa vero rerum agendarum praeſes habeatur. In quo error Voſſii in Etymologico, Salmaſii d. l. et Reineſii Inſcriptionum pag. 220. iuſtam in animadverſionem incurrit, qui interpretationem veteris Gloſſae, *ἡ Θεὸς τῆς βυλῆς καὶ Καιρῶν*, Angeronae potius quam Agenoriae accommodarunt. Nam Voſſii quidem, ideo conſiliis Angeronam, quod in iis ſilentio ſit opus, praeficientis, ratio non ſatisfacit, quod non ſolum

lum

lum βυλῆς, ſed etiam χαιρῶν in expedienda hac gloſſa, ratio eſt reddenda. Deinde ſciſcitur aliquid, quod ſit contra conſenſum veterum, qui non tam deam hanc, quam potius *Conſum* conſiliorum arcanorum largitorem memorant. Neque fidendum Grotianae emendationi, in Martiani Capellae verbis L. I. pag. 2. extr. *Ianusque Argionam utraque miratur effigie*, ubi aliae editiones habent *Argonam*, quae vox ſane aliquid peregrini premere et occultare videtur, facta, ut legatur *Angeronam*, vel *Ageroniam*. Nec aſſentiendum Nic. Heinſio in notis Mſſ. exemplo Grotianae editionis, quod nuper apud P. Weſſelingium fuit, et Gesnero in Theſauro L. L. probantibus Grotianam emendationem, *Angeronam*. Auctor e Mſſ. Codd. nihil praeſidii eſſe intelligens, legendum coniicit *Argo natam*, eique coniecturae ex Servii ad Virg. VIII. Aen. 345. et I, 24. probabilitatem conciliat. Iam vero Angeronam ſilentii praeſidem eſſe, angendi comprimendique oris ratio demonſtrat, quod pro indicio ſilentii omnino omnis acceptum eſt a plurimis, ſed recta antiquitatis interpretatio iubet, ut tantum intellegatur id genus ſilentii, quod in vero urbis Romae nomine celando exerceatur, quodque aegritudini moleſtiaeque medelam paret. Utriusque curae teſtimonia adſunt: prioris quidem Plinii H. N. III. 5. alterius Maſurii Sabini apud Macrob. I. Sat. 10. Plinii quidem verba ſatis perſpicua *ob hoc maxime ſilentium* inſtitutam eſſe religionem antiquam, in reticendo altero nomine urbis Romae et numine tutelari; idem Solini: *ſilentii iſtius* volunt, quod in optimae notae libris reperitur, et lectioni *ipſius* in ſcriptis quibusdam latenti, Salmaſii iudicio praeferendum eſt. Gesnerus in Theſ L. L. male intellectis Salmaſii verbis, malam eius accuſationem format, quaſi *Angeronam* putaſſet eſſe illud nomen non prodendum, quod is nec ſenſit, nec per rei ipſius vim Angeronam fuiſſe tutelare numen conceditur, cum inter pignora urbis fuiſſe non legatur. Curabant autem Romani, ne divulgato urbis nomine, id quod ſaepe adverſus hoſtium urbes feciſſe ſe noverant, idem ipſi quoque

in hoſtili evocatione paterentur, auctore Macrobio 3. Sat. c. 9. de qua ſuperſtitionis cauſſa plurimi tradiderunt. Macrobium non tam verum aliquod Angeronae numen in animo habuiſſe, quam potius ad divinitatis quoddam ſymbolum fictum reſpexiſſe ſuſpicatur Caylusius Syll. Monum. T. II. p. 282. quod inde refellitur, quod eius nec ſigno nec pontificum ſacro, nec feriarum ſolemni die opus fuiſſet. Immo aeque, tam fuit, quam vocatum eſt Romanorum numen, ac Aegyptiorum Harpocrates, etſi ab hoc illius orginem repetenti Caylusio minime adſentiendum eſt. Romanos quidem Aegyptiorum quosdam ritus et cerimonias recepiſſe, minime Auctorem fugit, ſed id non niſi ſero, nec paucis adverſantibus invaluiſſe ſe ſcire fatetur. Neque enim quorum monſtra oderint, eorum deos recepiſſe probabile; ſed hactenus ſimilitudo intercedit, ut quemadmodum Harpocrates digito labris impreſſo Iſidem et Serapidem homines fuiſſe diſſimulandum ſuaderet, ſic haec urbis Romae nomen ſilentio premendum praeciperet. *Angitiae* deae nomen in Inſcriptionibus occurrit, Reineſii I. 236. et Gudii 54, 9. Eadem haec cum Angerona a quibusdam putatur. Vir Celeb. nonnullis quae ad reliqua inſcriptionis verba illuſtranda ſpectant interiectis, Theodontiique recentioris, quam quod ei multum tribuendum ſit, ſcriptoris, vel ſententia, vel ſuſpicione reiecta, auctoritate Solini Polyhiſt. c. 8. Vibii Sequeſtris p. 116. ed. Heſſ. et Servii ad Aen. VII, 750. quibus accedunt Reineſius, Salmaſius, B. C. Argolus, Nic. Heinſius et alii, *Angitiam* dictam ſtatuit, quaſi *Anguitiam* et vocari Medeam ſequuntur ea, in quibus de originibus colendi numinis diſputatur. Cultum eius antiquiſſimum et Numae regis aequalem eſſe docetur, quod ex Plinii et Solini locis citatis apparet; quamquam cuius fuerint generis quibusque formulis abſolutus fuerit, haud facile dictu eſt. Eius nullum ſacellum, quamquam ei perperam vitio fortaſſis ſcripturae tribuit Solinus et Alexander ab Alexandro; ſed ſimulacra duo, ad duplex officium indicandum, alterum in Curia Calabra, proxima

ma Capitolinae arci, in qua res divinae peragebantur, ubi Angeronalibus ſacra fiebant; alterum in Volupiae templo. Nam in ara Volupiae aliter explicari non poteſt, quam vel in area Volupiae, vel iuxta aram, ſecundum ea, quae de uſu praepoſitionis *in*, Perizonius ad Aelianum II. V. H. 25. et Broeuſius ad Propert. I. El. I, 11. obſervat. Formula quidem iſtius ſacri Angeronalis, ut dictum eſt, in incerto reponitur, ſed die nomineque feriarum nihil exploratius; nam ei ſacrificatum eſſe a. d. XII. Kal. Ianuarias ex ſcriptorum iam laudatorum auctoritate cognoſcitur. Hic, quoniam in Faſtis Gruterianis p. CXXXIII. idem dies ſingularibus litterarum notis DIU, N. P. deſignatur, quas viri docti per Diualia Nefaſtus Primo reddentes, ad Angeronalia referre ſolent, in huius Calendarii originem et propagationem deſcribendam fit digreſſio. Cur vero Diualia intellegantur Angeronalia, nulla urgens neceſſitas eſt. Interim Diualia placuiſſe huic Faſtorum conditori videtur, quod iſta aetas *Diuam* potius quam *deam* Angeronam appellatam mallet, ſicuti etiam a Plinio, Solino, Macrobio non temere vocari videtur.

Quatuor capitibus iſta, quae retulimus continentur. Quintum et ultimum commemorat ſeptem deae imagines, partim a Montefalconio in Antiquitatibus explicatis, partim in Cayluſiana Monumentorum Veterum Collectione repeiendas, quibus omnibus nonniſi vulgatior duntaxat oris, digito cohibendi geſtus palam fit. Alia duo ſimulacra profert Vir Celeberr. ex Principis Auriaco-Naſſavii ſuppellectile: quorum prius eſt ſingularis et vetuſti operis ſignum ex aere, perlucentibus in partibus quibusdam ſatis perſpicue argenteis lamellis. Id olim in Farneſianis Theſauris Romae animadverſum ab Ligorio, inde probabiliter ad Fredericum Comitem de Thoms magni Boerhavii generum in Italia quondam peregrinantem tranſiiſſe videtur, et in eius villa prope Lugdunum cum reliquo apparatu antiquario omni aſſervatum fuit. Ipſam quidem imaginem nec remotiſſimae anti-



Digitized by Google

quitatis nec optimi artificis eſſe ex inſolentiori capillorum vinctura, facie minime venuſta, et quaeſito pallae ornatu, ſibi perſuadet; ſed quoniam tamen artifex pervetuſtam et legitimam oris obligandi ſpeciem feliciter expreſſit, ideo auro contra non carius aeſtimandum. Alterum in Sarda diaglyphica eumdem obſerati et praenexi oris ſpeciem a gemmario effictam, ſtolaeque et pallae praetextae inſignia refert, ceteris vero rebus, capite relato, dextra manu leniter elata, digitoque os clauſum ſignificante, laeva haſtam puram tenente, archetypi ſigni exemplar ſervat. Natteri vero ſive Natricii, ut Chriſtus vocare eum conſuevit, eſſe, minime convenit: nonnulli quidem putant, nec tamen ſuam opinionem confirmant. Nos Tabula aenea hic addita, Lectorum noſtrorum curioſitati deeſſe noluimus.

Duplici utilitate operis commemoranda concludit Auctor. Primum, quam utile ſit cum veterum ſcriptis monumenta antiqua comparare. Nam in hoc exemplo, ex hac comparatione illud intelligitur, *praenexum obſignatumque os*, Solini, non poſſe ad ſolum digitum labia compeſcentem cum Salmaſio referri ad Sol. p. 7. quod iam Geſnerus in Theſ. L. L. v. *Angerona* ſagaciter notavit. Deinde, ne recentioribus quibusdam picturarum architectis, ex ſuo arbitratu magis quam ex ſenſu monumentorum priſco, deorum dearumque ſimulacra fingentibus, nimium tribuamus. Cuius levitatis ſpecimen Vincentius Chartarius et Ioachimus Sandratius in ſuis deorum imaginibus, hanc deam ore capiſtro obſtructo exhibentibus, praebent.

*P. RUTILII LUPI DE FIGURIS SENTENTIArum et Elocutionis L. II. Recenſuit et annotationes adiecit DAV. RUHNKENIUS. Accedunt AQUILAE ROMANI et IUL. RUFINIANI, de eodem argumento libri.*

Lugd.

Lugd. Bat. 1768. plagg. 276. in 8.

Non dubitamus fore, qui univerſum cel. *Ruhnkenii* de Rutilio Lupo edendo conſilium improbent, et male collocatam in eo omnem operam atque induſtriam arbitrentur, propterea, quod non tanti eſſe videatur, ſcriptores, tenues quasdam de figuris regulas praecipientes, tanta cura ac diligentia recognoſcere, quantam ille (magnam enim eius operam fuiſſe, non, opinor, negabunt) *Lupo*, *Aquilae*, et *Rufiniano* recognoſcendis et illuſtrandis impenderit. Sed hi erunt fere, qui partim eas res, quas ipſi minutias, imo nugas, alii cordatiores et aequiores doctrinae accuratioris fundamenta appellant, omnino negligant atque contemnant, partim non tam, quid et quale, quam quo loco quidque dicatur ſpectandum putent. Ut igitur nihil nunc dicamus de eo, quo ipſe ſe cel. Editor, initio praefationis, defendit: *non figurarum rationem, millies in ſcholis decantatam, ſed pulcherrima maximorum oratorum exempla, quibus intuendis imitandisque plus ad eloquentiam, proficiatur, quam omnium Rhetorum praeceptis cognoſcendis, hanc vim apud ſe habuiſſe, ut Rutilio temporis aliquid impertiret:* eam eſſe latinitatem Rutilii, quae ad aureae aetatis elegantiam et ἀκρίβειαν accedat, vel inde apparet, quod Auguſti vel Tiberii aetate floruit, ut optimis argumentis in praefatione doctiſſimus Ruhnkenius oſtendit. Deinde ut concedamus, de Aquila quidem ac Rufiniano haud difficulter, conſentiente ipſo Ruhnkenio, de Rutilio autem tantiſper, non adeo magni momenti ſcriptores eſſe, quid hoc ad editorem? Qui ſi ſemel ſcriptorem aliquem etiam de trivio, emendandum ſuſceperit, non iam amplius de ſcriptore ipſo, eiusque pretio quaeritur, ſed, quomodo ille hunc emendaverit, quid, a prioribus interpretibus praetermiſſum, addiderit, obſcurius dictum explanaverit, depoſitum ac deſperatum ſanaverit, et eiusmodi alia. Iam vero cel. Ruhnkenium in recenſendis iſtis ſcriptoribus ita verſatum eſſe, ut ab tali viro ſperari poterat, qui ſe tot annos in his rebus exercuiſſet,

cuiſſet, ipſe adſpectus libri et fugitiva perluſtratio unumquemque edocebunt. Refertus eſt enim non modo obſervationibus ex interiori et recondita latinitate doctiſſimis, verum etiam rebus multis, ad hiſtoriam eloquentiae veteris Graecae illuſtrandam pertinentibus. Longe autem maxima et optima operis pars eſt in emendatione critica locorum corruptorum. Nos certe, perluſtrando libro, ultra centum et quinquaginta loca meminimus reperire, quibus vel Lexicographorum veterum Graecorum, vel ſcriptorum Latinorum, cum verba ſingula, tum integra loca, vel data opera, vel obiter, plerumque feliciſſime, correxit. Quid igitur? An dicemus, melius fore, ſi tantum accuratae doctrinae apparatum, tantam copiam, in alio meliori ſcriptore, Valerio Flacco v. c. Plinio maiore, Suetonio, profudiſſet? Qui hoc dixerit, nae is, noſtro quidem iudicio parum aut nihil dixerit. Primum enim, ſi ad talem ille auctorem hanc criticae doctrinae copiam contuliſſet, eodem iure poſſet alius dicere: „Mallem equidem, emendationum iſtarum congeriem Rhunkenius in librum aliquem ſingularem *Miſcellaneorum*, aut *Obſervationum* conieciſſet, ne per multa auctoris iſtius loca diſperſae veluti laterent, ſed uno quaſi obtutu cognoſci poſſent.“ Quid ita dicenti reſponderi poſſet? Nihil profector, ut ego arbitram. Itaque apparet, nihil referre, quo quis loco aliquid dicat, dum verum, rectum, et bonum ſit id, quod dixit. An minor eſt, ut hoc utar, eruditionis Salmaſii gloria, minus pretium, quod ille vir Exercitationes ſuas Plinianas ad Solinum potius, ſcriptorem tenuem, aut obſcurum, quam ad Plinium ipſum, aut alium e claſſicis et illuſtribus, effudit? An deterius de D'Oruillio, viro quondam celeberrimo, ſentit orbis eruditus, quod ille doctrinae Graecae copiam in Charitonem potius, ſcriptorem ſequioris aevi ac mutilum, quam in Xenophontem, Herodotum, Platonem, contulit? Neutrum unquam audire nos meminimus. Ergo ſit ita: poſuerit ſtudium in levis argumenti ſcriptoribus editor Lupi, dum recte poſuerit, nec oleum

atque

atque operam in eo perdiderit, contenti ſimus hoc munere, quo nos donavit; quod quidem dignum eſſe applauſu noſtro, ſperamus ex pleniore libri enarratione intellectum iri.

In praefatione vir cel. agit primum de Gorgia illo, quem Rutilius in his libris e Graeco vertit, eumque putat Ciceronis aetate vixiſſe, eundemque eſſe, qui Ciceronis filium in declamando inſtituerit. (Cic. ad Div. XVI. Ep. 21.) Deinde de Rutilio ipſo diſſerit, quem, e loco quodam Quintiliani, adhuc ab interpretibus nondum animadverſo, demonſtrat, iisdem, fere temporibus, h. e. Auguſto, vel Tiberio imperantibus, floruiſſe. Tum, ſubſidiis editionis ſuae commemorandis, hiſtoriam veluti editionum Rutilii criticam compoſuit, cuius fere ſumma haec eſt: ad Lupum et Aquilam edendos tres eodem prope tempore viri animum adiecerunt, quorum nulli de reliquorum conſilio quidquam innotuerat, Nic. Roſcius Ferrarienſis, vulgo Zopimus, librarius Venetus, a. 1519. 8vo. Beatus Rhenanus Baſileae, 1521. 4to, et Aldus Manutius, 1523. fol. Paullo poſt uterque una cum Iulio Rufiniano, elegantisſimis formis prodiit, 1530, et 1541 4to, ex officina Stephaniana, qua in editione foediſſime interpolati ſunt a neſcio quo, cui tum forte Stephanus curam rei commiſit. Ex hac interpolata editione, quam tum omnes, (haud dubie propter famam ἀκριβείας et fidei Stephanianae) emendatiſſimam putabant, omnes fere inſequentes fluxere, ut Gryphianae, 1536 et 1542. 8vo. Louanienſis, 1551. 8vo, et ipſa Pithoeana, Rhetorum Latinorum omnium, Pariſiis, 1599. 4to. Huius textus repetitus eſt ante paucos annos, a Io. Matth. Gesnero ad calcem Primarum Linearum artis oratoriae, Ienae, 1745, 8vo. Noviſſime denique eundem textum expreſſit editio Rhetorum antiquorum ea, quae cum notis Claud. Capperonnerii, Argentorati, 1756. 4to mai. prodiit. Itaque cum vidiſſet cel. Ruhnkenius, tres priores editiones, quanquam non ſine mendis, (quippe quas omnes ex eodem codice fluxiſſe, lacuna com-



Digitized by Google

munis, L. I. n. 6. p. 21. indicat,) tamen primas, adeoque non contemnendas, tam turpiter ab editoribus neglectas adhuc fuiſſe; aſſumta varietate lectionis trium codicum, (quorum duo ſunt e bibliotheca Medicea, tertii varietas margini editionis Rhenanianae adſcripta fuerat) his igitur aſſumtis, Rutilium et Aquilam, ad horum et trium priorum editionum fidem reſtituit, Iulium Rufinianum ad ſolius Rhenanianae; in quo, ut et in Aquila, codicibus MStis nullis uſus eſt; quoniam nec tanti uterque eſſe, nec tamen, propter argumenti ſimilitudinem, omittendus viſus eſt. — Denique ſub finem praefationis quaedam de Aquila et Rufiniano addidit, et inſcriptionem veterem aliquam, ad Rufinianum, eiusque filium pertinentem, breviter illuſtravit.

Praefationem ſequitur opuſculum ipſius Ruhnkenii eruditisſimum, utiliſſimum, lectu dignisſimum, *Hiſtoria Oratorum Graecorum Critica*, qualem dudum a multis optatam, editam adhuc nondum, ſciebamus. In quam vir cel. incredibili ſtudio et diligentia congeſſit, quidquid apud veteres de oratoribus Graecis maxime obſcurioribus (nam de illuſtribus illis, Demoſthene, Iſocrate etc. pleraque a viris doctis iam expedita ſunt) diſperſum reperitur. Fecit autem eloquentiae Graecae aetates maxime tres, *primam* a Themiſtocle, ad Iſocratem, quae ortum eius et incrementa; *alteram* ab Iſocratem ad Demoſthenem, quae ſummum faſtigium, *tertiam*, inde a Demoſthenis morte, quae eius inclinationem et interitum complectitur. In prima recenſet Periclem, Alcibiadem, Lyſiam, Iſaeum etc. et alios. Maxime inſignis locus eſt pag. XLVII — LVII. de Andocide et Phaeace, ubi vir cel. adverſus Taylorum copioſe diſputat pro fide Pſeudo-Plutarchi in Vitis X Oratorum Atticorum, ac deinde argumentis, firmis, uti nobis videtur, h. e. hiſtoricis, adverſus eundem demonſtrat, orationem κατ' Ἀλκιβιάδου non eſſe Phaeacis, ſed Andocidis, ſub cuius nomine vulgo etiam circumfertur, ac iam a Photio laudatur. In altera ſunt

ſunt Hyperides, Aeſchines, Lycurgus, Dinarchus, Demades. In tertia Demochares, Demetrius Phalereus, et alii quidam obſcuri nominis. Sub finem praefationis eſt obſervatio excellens, atque eruditisſima de eo, cur Gorgias et Rutilius, cum optima figurarum exempla vellent commemorare, non in DECEM optimorum oratorum numero manſerint, ſed et obſcuriores citaverint? Et an haec Gorgiae ratio probanda ſit? Nempe obſervat vir cel. antiquisſimis temporibus hanc magiſtrorum Rhetorices et Poetices conſuetudinem fuiſſe, ut per omnis generis oratores ac poetas vagarentur, atque eorum exemplis praecepta ſua illuſtrarent. Sed deinde Ariſtarchum, celebrem illum illum Criticum, et Ariſtophanem Byzantium primos ab ea conſuetudine, optima ſane, abiiſſe, et, cum plurimum auctoritatis haberent, quendam quaſi canonem ſcriptorum feciſſe, in quem, veiectis mediocribus et malis, optimos tantum receperint, eosque tanquam normam bene ſcribendi eſſe iuſſerint. Eos ipſos quoque Oratorum Atticorum multitudinem ad *decem* illos nobiliſſimos redegiſſe, eaque re feciſſe, ut caeteri, niſi plane in oblivionem, certe in contemtum aliquem venirent. Recte itaque Gorgiam feciſſe, quod, neglecto iſto more, et antiquiſſima ratione retenta, ex omnibus, etiam obſcurioribus, delecta exempla lectoribus propoſuerit, ne eorum nomen et libri penitus interirent. — Caeterum in hac una commentatione plus triginta auctorum Graecorum loca obiter emendata ſunt.

Iam de notis viri doctiſſimi aliquid dicendum eſt, quae duplicis maxime generis ſunt, quo utroque illum, conſtat, regnare, h. e. Critici atque Grammatici. Grammaticas plerumque propter Criticas adiecit, dum vel lectionem aliquam Rutilio vindicat, eamque aliorum ſcriptorum locis illuſtrat, (ubi verborum plerumque vim ac poteſtatem interpretatur,) vel emendationis alicuius ſuae rationem e latinitate eleganti reddit. Utriusque generis exempla quaedam dabimus,

bimus, ut non modo felicitas ingenii et copia elegantis doctrinae, quae eſt in viro cel. verum etiam amicus utriusque ad Criticam exercendam conſenſus appareat. Simul enim atque in locum aliquem depravatum inciderit, qui ſola ingenii ſagacitate expediri nequit, ſtatim pro copia lectionis, alicunde loca ei ſuccurrunt, unde medicina petenda ſit. Sic L. I. pag 13. ſqq. exemplum Paronomaſiae e Cicerone ſumtum, cuius nomen Rutilius reticuit, quod in editionibus valde corruptum erat, ope Chariſii, IV. p. 251. feliciſſime reſtituit. — Pag. 50. pro, *ille hunc* poena *conſtrictum tenebat*, rectisſime, et ex uſu veterum perpetuo legit: catena *conſtrictum tenebat*. — Pag. 63. ſqq. locum corruptiſſimum, e quo ſanus ſenſus elici non poteſt: *Scripſiſti, ut ſervis libertas detur. Scripſiſti, ne liberi ſervitutem experirentur. Scripſiſti, ut exules reſtituerentur. Scripſiſti, ut ne quis exilio afficeretur. Leges igitur, quae prohibebant haec, non negligebas. Non poteram propterea, quod litteris earum arma Macedonum oppoſita obſiſtebant,* hunc igitur de mera coniectura ita refinxit, ut iam colloquium ſit inter actorem et reum, bis mutato tantum: *Scripſiſti* in *ſcripſi*, et, *non negligebas*, in, *nonne legebas*. Qua coniectura vix alibi meminimus ſimpliciorem et planiorem reperire. Saepius, cum aliquem Rutilii locum correxit, velut in transcurſu, alia aliorum auctorum emendat, quibus eadem ratione medendum ſit, v. c. p. 107. ſeqq. cum verba de ebrio quodam: *bibendo provocat, laceſſit, ſicut in hoſtium praelio quam plurimos ſuperarat atque afflixerat*, reiecta Caſp. Barthii coniectura: *ſicut in hoſtico uti praelio quam pl.* etc. levisſima unius vocis transpoſitione: *ſicut in praelio hoſtium quam pl.* felicisſime reſtituiſſet: ſtatim tria loca addit Ciceronis ac Livii, quae pariter, transponendis quibusdam verbis, ita corrigit, ut ſenſus planisſimus et pulcherrimus exſiſtat.

Grammaticarum exempla haec ſunto: Pag. 11. erudite obſervat, *quotidiano*, *matutino*, *meridiano*, veteres ſimpliciter dixiſſe, *quotidie*, *mane*, *meridie* etc. ſubintellecto: *tem-*

Digitized by Google

*tempore.* — Pag. 46. ſqq. in loco: *vinctam in publicum proiecit, ne ſuum maleficium taciturni laterent, ſed, cum praetereuntes — audirent ſimul — uſurparent,* ubi Stephanus male poſt: *ſed,* inferſerat: *ut,* exemplis docuit, poſt *ne* ſaepenumero propoſitionem affirmantem ſequi, in qua *ut* omiſſum, et ex praecedenti illo *ne* ſupplendum ſit, ibique ſtatim in tranſcurſu Velleium emendat. — Pag. 77. ubi pro: *in ſtudio laudis verſantur,* Io. Pricaeus legerat: *ſtadio laudis,* probata hac emendatione e Cicerone docet, *ſtadium, ſpatium, et curriculum* de tali exercitatione uſurpari. — Pag. 90. elegans eſt obſervatio de verbo: *deformare,* quod, oſtendit, interdum nihil aliud eſſe, quam ſimplex *formare,* idque multis veterum locis confirmat; inter alia Sulpicii Severi L. I, 18. *Si quis partum non deformatum mulieri excuſſerit.* Quo in loco tamen coniectura viri cuiusdam docti: *partum nondum formatum,* quam vir cel. reiicit, nobis non videtur contemnenda eſſe. Interdum etiam admiſtae ſunt notae de rebus ipſis, h. e. ad hiſtoriam Oratorum Graecorum ſupplendam facientes, immo integrae diſputationes de oratoribus, quorum loca Rutilius citavit. Eiusmodi L. I. p. 5. ſqq. de Cleochare, pag. 7. ſeqq. de Demochare, pag. 25. ſqq. de Hegeſia, pag. 32. ſqq. de Stratocle, p. 40. ſqq. de Pythea, p. 88. ſqq. de Dinarcho. Quibusdam locis etiam illius generis notas reperimus, quae vulgo ab huiusmodi libris exulant, h. e. quae ad alendum ingenium, et cognoſcenda ſcribendi artificia pertinent. Ita L. I. p. 21. vir doctisſimus, occaſione celebris illius ſententiae Platonicae: *Utinam, aut, qui ſapiunt, imperare, aut qui imperant, ſapere diſcant.* hanc Rutilii verſionem cum aliorum verſionibus comparavit, ut Ciceronis ad Q. Fratr. L. I. Ep. 1. Valerii Maximi, VII, 2. 4. Apuleij de Doctr. Plat. p. 26. Iul. Capitolini, in M. Antonino, c. 27. Prudentii contra Symm. L. I. v. 30. Lactantii, Div. Inſt. III. 21. et Boethii Conſol. Phil. I. p. 44. Pariter p. 21. ſententiam Theophraſti: *Prudentis eſt officium, amicitiam probatam, appetere, appetitam probare,* (ita enim legendum

 gendum

Digitized by Google

gendum putat, pro: *non appetitam probare,*) quomodo alii pronunciaverint, docet, v. c. Cicero, Lael. c. 21. Seneca, Ep 9. Valerius Maximus, IV. 7. pr. Ammianus Marcellinus XXVI, 2. Ubi tamen annotare nobis liceat, particulam *non* immerito a viro cel. eiectam nobis videri. Sane, ſi illud *non* referatur ad ſequens *appetitam*, ſenſus eſt abſurdus, ut ipſe agnovit. Sed, ut id fiat, nulla prorſus iubet neceſſitas. Si enim retrahatur ad comma praecedens: *Prudentis eſt officium*, non modo fit ſenſus commodiſſimus, verum etiam ille ipſe, quem non poſſunt non habere verba Theophraſti Graeca, quae ipſe e Plutarcho adſcripſit: *Τοὺς μὲν ἀλλοτρίους οὐ φιλοῦντας δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίνοντας φιλεῖν.* Totum diſcrimen eſt in eo, quod Rutilius partem ſententiae *negantem* (*remotivam*) poſtpoſuit *affirmanti*, (*poſitivae*) cum Theophraſtus illam huic praepoſuit. — P. 43. ad locum Hegeſiae: *Cuius aerumnae quemvis, etiam extrarium hominem, modo hominem, commovere poſſent*, attulit exempla plura huius acuminis apud veteres, ubi *hominem* duplici ſenſu dixerunt.

Praemiſit toti libro vir cel. Epiſtolam dedicatoriam ad Franciſcum Fagel, ICtum Batavum; quae nobis viſa eſt exemplum eſſe poſſe Epiſtolarum talium ſcribendarum, luculenterque demonſtrat, eum non minus ab eloquentia et arte bene ſcribendi, quam a Critica et artibus caeteris egregie inſtructum eſſe.

Hic eſt igitur Rutilius Ruhnkenianus, de quo quid ſtatuendum ſit, ex his, quae de eo diximus, unumquemque per ſe arbitramur intellecturum. Vidimus multis locis ſpem ab viro cel. factam, aliorum ſuo tempore edendorum, quam, ut quisque magis utilitatem publicam, et commoda reipublicae litterariae amat, et provecta cupit, ita magis impletam, idque quamprimum, nobiscum cupiet.



Digitized by Google

*VETERA HUMILIATORUM MONUMENTA ANnotationibus ac Diſſertationibus Prodromis illuſtrata, quibus multa Sacrae, Civilis, ac Litterariae Medii Aevi Hiſtoriae capita explicantur, Auctore HIERONIMO TIRABOSCHIO, Soc. Ieſu in Braidenſi Univerſitate Rhetoricae Profeſſore.*

Mediolani VOL. II. MDCCLXVII. pagg. 414. VOL. III. MDCCLXVIII. pagg. 375. quaternis.

Primum horum monumentorum Volumen in his Actis iam nuper indicavimus laudavimusque. Videndum nunc eſt de argumento ſecundi et tertii Voluminis, in quibus Cl. Tiraboſchius, non minorem, quam in priori, diligentiam doctrinamque demonſtravit.

Atque ut primum de ſecundo Vol. dicamus, exhibetur ſub initium illius continuatio diſſertationis ſuper Humiliatorum domibus priori Volumine inſtitui coeptae. Deſcripſerat ſcilicet Auctor diſputationem ſuper hoc argumento in partes duas, quarum prior recenſendis Humiliatorum domibus Mediolanenſibus, altera commemorandis Humiliatorum domibus extra Mediolanenſem agrum poſitis deſtinata erat: illam iam priori Vol. dedit; haec ſecundo exhibetur. Neque vero poenituit Auctorem alteram diſputationis partem in hoc Volumen reieciſſe. Priori enim Vol. edito plura ad Humiliatorum domus pertinentia monumenta cum illo viri eruditi communicarunt, adeo ut altera diſſertationis pars non parum illuſtrationis acciperet. Multa porro accepit, quae ad ea, quae in primo Vol. narravit, aut confirmanda, aut illuſtranda, aut etiam emendanda plurimum conferrent. Hinc factum eſt ut additiones non paucas ad Voluminis II. calcem apponeret. Egregio in primis adiumento Auctori fuerunt MSS. Codices duo, qui in Mediolanenſis Pauperum Senum Xenodochii tabulario ſervantur, quae olim erat Humiliato-

liato-

liatorum domus, S. Mariae de Ottaciis, appellata. Hos Codices in praefatione perſpicue deſcripſit. Alter a Carolo de Advocatis, Generali Humiliatorum Magiſtro, de quo copioſe egit Auctor Vol. I. pag. 148. ſſ. conſcriptus eſt. Hic ſcilicet quum anno 1533. graviſſimorum criminum apud Clementem VII. Pont. Max. accuſatus, ac carceri addictus fuiſſet, ut aequitatem probitatemque ſuam vindicaret, librum hunc conſcripſit. Alter Codex pertinet ad Hieronymum Torchium, qui primum a Clemente VII. laudato Carolo Generalis Vicarius datus, deinde, hoc exauctorato, Generalis Magiſter creatus eſt. Complectitur hic Codex non ſolum omnia, quae Torchius, dum Generalis Vicarii munere fungeretur, aut fieri iuſſit, aut ſtatuit, ſed et reliqua, tempore quo iſtud munus adminiſtraret, geſta. Uterque Codex Auctori tum in diſſertatione de domibus Humiliatorum extra Mediolanenſem agrum poſitis, tum in additionibus, quae ad calcem huius Voluminis conſpiciuntur, inſignem lucem attulit.

Verſatus vero eſt Cl. *Tiraboſchius* in altera laudatae diſſertationis parte ita, ut in recenſendis Humiliatorum domibus Catalogi ſeriem haud ſequeretur, quod priori parte fecerat. Commodius illi viſum eſt ab hoc ordine recedere, ut recentioris Geographiae ordinem amplecteretur, quod profecto non improbamus. Iam vero quomodo hoc conſilium exſequutus fuerit oſtendemus, totamque adeo diſputationem breviter adumbrare ſtudebimus. Initium fecit Auctor ab Auſtriaca in Italia ditione, ad quam domos Papienſes, Laudenſes, Cremonenſes, Novocomenſes, Mantuanas retulit, de quibus ſingulis copioſe egit ac diligenter. Eandem diligentiae laudem meritus eſt recenſendis Sabaudae ditionis domibus, quae tribus *ſagis*, ut vocant, ſeu provinciis continentur, Novarienſi, Vercellenſi, et Alexandrina. De Vercellenſi notandum, eam Subalpinas quoque regiones et Montisferrati urbes complecti. Ideo autem Vercellas tanquam provinciae caput conſtitutas eſſe dicit Auctor, quod antiquiſſima ibi eſſet

eſſet Humiliatorum domus. Atque hoc loco oblatam ſibi videbat occaſionem de primis Humiliatorum Subalpinorum initiis aliquid dicendi. In quo adiuvit eum benevolentia duorum Taurinenſium, Meiraneſii, Theologi, et Carenae, ICti, qui illi ſcripta quaedam ea de re communicarunt. Colligit autem ex transmiſſo quodam Anonymi Chronico MSto, Humiliatos concionandi cauſa circa annum 1230. in Subalpinos penetraſſe. Ditio Alexandrina Aquas Statiellorum, vulgo *Acqui*, Dertonam ac Genuam quoque complectitur. Sequuntur domus Venetae, quae quinque *fagiis* continentur, Bergomenſi, Brixienſi, Cremenſi, Veronenſi, ac Vicentina. His deſcriptis ad Placentinam et Parmenſem *fagiam* progreditur. Parmenſem *fagiam* Regium ac Mutinam usque perducit. Hinc ad Etruriam pergit quae una tantum *fagia* concluditur. Ultimo denique loco Pontificiae ditionis domus illuſtrantur, ac praecipue domus Bononienſis et Romanae. Sed cur Auctor non progreſſus eſt ad regnum Neapolitanum? Nam, ut ipſe monet, Puricellius ſchedas quaſdam S. Caroli manu ſcriptas legiſſe ſe narrat, quibus ille de Humiliatis ex Neapolitano regno avocandis cogitaſſe videtur; porro in Puricellii ſchedis Zambeccariae, Florentinae Humiliatarum domus Prioriſſae, litterae exſtant an. 1645. d. 4. Mart. ad Puricellium datae, quibus narrat, ſe, cum iuvenili aetate eſſet, Humiliatum quendam vidiſſe e Neapolitano regno advenientem, ac XX. ante annos Bononienſem ſe hominem narrantem audiſſe, Humiliatorum ſocietatem quandam in ea Provincia eſſe, qui ſolitariam vitam ducerent. Habent ſane haec aliquam ſpeciem. Sed iure ſuo Auctor diſputationem de his Humiliatis omiſiſſe videtur. Nam numquam fuiſſe illos, cum iis, quos hoc Opere deſcripſit, Humiliatis coniunctos, neque unquam cum iisdem unum corpus confeciſſe, tradit. Hinc conſtare addit, in nullis eorumdem monumentis Neapolitanos Humiliatos unquam indicari, illisque exſtinctis horum ſocietatem adhuc ſtetiſſe. Utrum vero in Siciliam umquam ingreſſi ſint Humiliati,



Digitized by Google

Vol. I. pag. 164. iam diſquiſivit. In Galliam denique aditum illis aperire conatus eſt Alexander IV. litteris ad S. Ludovicum, Galliarum regem an. 1258. d. 13. Nov. datis, quae in monumentis huius Vol. pag. 293. exſtant. Sed hoc Pontificis conſilium, quaecunque tandem cauſſa interceſſerit, exitu caruit. Atque ita diſputationis huius ordinem atque argumentum breviter delineavimus. Ceterum multa eam eruditione refertam eſſe, non poſſumus non profiteri.

Progredimur ad reliquam, eamque maximam Voluminis II partem, in qua Humiliatorum monumenta exhibentur, atque annotationibus illuſtrantur. Videbimus primum de monumentis, deinde annotationes, quas Auctor ſubiecit, conſiderabimus. In edendis monumentis Cl. *Tiraboſchius* rationem ſecutus eſt hanc, ut non omnia omnino, quaecunque in manus veniſſent, Humiliatorum monumenta, edenda cenſeret. Quis enim fuiſſet edendi finis? Ex Pontificiis vero litteris nullas omiſit, tum ut hinc etiam conſtaret, quanta eſſet olim huius coetus fama, tum praeſertim quod ex iis non exigua hiſtoriae eccleſiaſticae lux accedat. Ex aliis monumentis ea ſelegit, quae aut ob argumenti dignitatem, aut ob hiſtoriae atque antiquitatis, quae inde elici poſſet, cognitionem, edenda viderentur. Interdum etiam excerpta tantum ex monumentis protulit, reliquis omiſſis quorum utilitatem nullam eſſe putaret. In iis collocandis Chronologicam ſeriem, utpote omnium opportuniſſimam, ſervandam duxit. Multa ſunt ex autographis deſcripta atque haec ſunt fideliter ab Auctore exhibita At quae ab aliis deſcripta accepit, ea ſic proferre oportuit, prout fuerant ad ipſum transmiſſa Quae vero Vol II. edita ſunt documenta ea intra anni 1176. et 1346. tempus ſcripta ſunt. Vtilitatem eorum optime ex iis perſpici poſſe putamus, quae iam de obſervationibus, quibus ea ornata ſunt, monebimus.

Laudanda profecto eſt Auctoris diligentia atque eruditio quae Humiliatorum monumenta tam egregiis notis illuſtravit.

Digitized by Google

ſtravit. Namque in his obſervationibus, aut variae hiſtoriae civilis et eccleſiaſticae Italae imprimis eiusdemque ſpecialioris capita luculenter explicantur, aut difficiliores Chronologiae rationes perſpicue enodantur, aut denique obſcuriorum locutionum vis accurate evolvitur. Singula haec exemplis illuſtrabimus. Ac primum laudavimus notas explicandis hiſtoriae capitibus inſervientes. Nos ex his quasdam eligemus, atque ob oculis lectoris ponemus. P. 126. eſt charta emtionis Humiliatorum Braidenſium, in qua inter alia de duobus civibus Mediolanenſibus dicitur: *qui profeſſi ſunt lege vivere Longobardorum.* Ad haec verba Cl. *Tiraboſchius* docte monet, diu hunc morem in Italia invaluiſſe, ut alias alii leges ſequerentur, prout cuique liberet. Sed Romanam prae ceteris, Gallicam et Longobardorum leges pleroſque ſecutos fuiſſe. Leges Longobardicas primum a Rothario Longobardorum Rege eſſe digeſtas ab aliis eiusdem gentis Regibus emendatas, a Carolo M. eiusque ſucceſſoribus auctas. Cum autem ex lege ſua iudicandus unusquisque eſſet, conſueverant, monente porro Auctore, iis chartis, quarum aliquis eſſe poſſet in iudiciis uſus, qua lege viverent, indicare. Itaque in commemorato documento duo cives Mediolanenſes Longobardorum legem ſequi ſe, profitentur. Pag. 142. e litteris Innocentii III. a. 1201. datis, ſuppletur Mabillonius, qui clericalem tonſuram ad decimum usque ſaeculum non ſolum ab Epiſcopis, ſed etiam a Monaſteriorum praefectis atque a Presbiteris collatam fuiſſe ſtatuit. Ex his vero Innocentii litteris Humiliatorum Praepoſitis hoc ipſum ſub ſaeculi decimi tertii initia conceſſum videmus. Pag. 147. varii Ciaconii errores emendantur, e quibus hunc nominare attinet, quod duos Goffredos, Cardinales, perperam induxerit. Pag. 193. qui *fratres de poenitentia* appellati fuerint ex aliis breviter repetit, atque, auctoritate documenti cuiusdam adiutus, addit, etiam Humiliatos tertii ordinis hac appellatione deſignatos fuiſſe. Pag. 298. ad epiſtolam quandam Alexandri IV. a. 1260. in Laterano

datam, animadvertit Alexandrum IV. poſtquam an. 1257. ob Romanorum ſeditiones urbe exceſſerat, ad eandem rediiſſe, id a nemine ex Eccleſiaſticae Hiſtoriae ſcriptoribus obſervatum fuiſſe. Pag. 306. occurrit *civitas Auſtriae*, hanc eandem eſſe dicit, quae nunc vulgo *Cividal*, ſeu *Cividal del Friul* appelletur. Auſtriae porro nomen illi additum eſſe, quod a Longobardis Orientalis Italia, ac praeſertim Froiulienſis provincia, Auſtria dici conſueviſſet. Iam vero obſervationes quaedam afferendae ſunt, quibus Cl. *Tiraboſchi* Chronologiae medii aevi lucem affundere conatus eſt. Pag. 119. in monumento quodam eſt: *anno 1178. die 7. menſis Nov. Indictione duodecima*. At anno 1178. indictio XI. convenit? Recte. Sed bene docet Auctor, Indictionem apud Mediolanenſes non Calendis Ianuariis, ſed tribus ante menſibus, Calendis ſcilicet Septembribus numerari coepiſſe. Itaque diem VII. Novembris huius anni, iam indictione XII. deſignatum fuiſſe. Pag. 149. frequentiſſimum in medii aevi monumentis morem occurrere refert, ut Calendarum, Iduum, ac Nonarum loco bifariam menſis dividatur, in ineuntem et exeuntem. Hinc v. c. *ſeptimo die ineunte Iulio*, idem eſſe ac: *die 7. Iulii*. Cum vero dicatur: *decimo exeunte Martio*, intelligi diem illum, a quo ad menſis finem decem dies ſuperſunt, ſcilicet d. 22. Martii. Itaque verba haec: *nono exeunte Auguſto*, quae in Charta emtionis Humiliatorum Bergomenſium occurrunt, denotare *d 23. Auguſti*. Pag. 154. monſtrat, hanc loquendi rationem: *duodecimo die ante Cal.* ſic accipiendam eſſe, ut ipſe Calendarum dies ab hoc numero excludatur contra ac fieri conſueverit, cum dicimus *duodecimo Cal.* Pag. 237. ſunt litterae Innocentii IV anno 1251. d. 7 Cal. Iulii datae. Iam quum Innocentius IV. a. 1243. d. 8. Cal. Iulii Pontifex renunciatus ſit, ſequitur eum, quum has litteras daret, nonum Pontificatus annum numeraſſe. At in fine huius documenti nominatur annus imperii octavus. Quomodo itaque haec inter ſe cohaerent? Accurate ea conciliat Auctor, dum monet, Innocentium IV. a



Digitized by Google

die conſecrationis annos ſuos numeraſſe. Pag. 371. in monumento quodam annus 1312. indicatur, indictio autem nona. Atqui nona indictio anno 1311. congruebat. Sed animadverti vult Auctor, apud Piſanos annum a die 25. Martii coepiſſe, illius exordio novem ante Chriſtum natum menſibus ducto, novem ſcilicet circiter menſibus, antequam vulgo inchoari ſoleat. Qua in re, monente Cl. Tiraboſchio, a Florentinis differebant, qui eadem quidem die anni initium ducebant, ſed illius exordium tribus poſt Chriſtum natum menſibus ſtatuebant. Itaque qui apud Piſanos erat annus v. c. ſextus, is quintus erat apud Florentinos.

Dicamus nunc de notis quibus obſcuriores locutiones evolvuntur, mediique aevi Latinitas explicatur. Atque omnino his notis Cangii Gloſſarium de Latinitate medii aevi egregie et illuſtrari, et augeri poterit. E plurimis eiusmodi obſervationibus nonnullas proferemus. Pag. 117. in monumento quodam eſt *Guadia* quam vocem Cl. *Tiraboſchius* cum Cangio recte fideiuſſionem denotare contendit. Pag. 120. eſt vox *verglione*, quam eſſe vocem corruptam dicit ex Itala voce *vecchioni*, quo nomine decem illos viros totidemque foeminas ſenes deſignari tradit, quorum eſt praeſertim in ſolemni Sacrorum celebratione ſecundum Ambroſianos ritus ea, quae conſecranda ſunt, ad aram deferre. Pag. 149. eſt vox *breda*, quod idem, ac *braida* eſſe putat, ac denotare agrum ſeu campum ſuburbanum. Pag. 150. occurrit *Meſtrales*, quod Auctori idem videtur ac *Meneſtrallus* ſeu *Miniſtrallus*, quas voces Cangius profert, ſeu denique *Miniſterialis*, quo nomine, Cangio eodem teſte, ii deſignantur in Monaſteriis, *qui praecipuas praepoſituras exercent*. Laudat tamen Cl. Tiraboſchius animadverſionem Cl. Lupi. Bergomenſis eccleſiae Canonici ac Primicerii, qui in epiſtola quadam ad ipſum data, ſcripſerat, hanc vocem ad eos potius deſignandos adhibitam videri, quibus rei domeſticae adminiſtratio committeretur, quos etiam *Canevarios* vocabant.

Pag. 210. in epiſtola Innocentii IV. occurrit: *in canonem incidere*, quod cum Cangio explicat, in canonem Poenitentialem incidere, ſeu legibus poenitentiae ab Eccleſia indictis obnoxium fieri. In hac vero epiſtola expreſſe de excommunicationis poena ſermonem eſſe dicit. Pag. 238. eſt *ſuperſtans ſuperſtantiae. Superſtans* eſt, qui operi cuicunque praeeſt. *Superſtans ſuperſtantiae* autem Auctori ille eſſe videtur, qui iis omnibus qui operi praeſunt praefectus ſit. Pag. 244. in litteris Innocentii IV. occurrit *Cavalcata*, quam vocem per ea tempora frequentiſſime apud Italos ad militares decurſiones deſignandas uſurpatam fuiſſe dicit. P. 343. eſt *Vigriola* dimitivum a *Vigra*, quod rei agreſtis vocabulum non ſatis explicari a Cangio putat. Arbitratur autem idem eſſe quod *viria*, hoc eſt, virens pratum. Eadem pagina ſunt *Mallexardi*. Quo ſcilicet tempore Inſubriae urbes domeſticis bellis ardebant, qui moenibus tanquam rebelles expellebantur, *Mallexardi* dici conſueverant, quam vocem a *male* et *audeo* ducit Cangius Porro erat Mediolani iudex, qui illorum bonis occupandis proſcribendisque praeeſſet. At praeterea ex documento, cui hanc notam ſubiecit, colligit Auctor, exſules illos terras agrosque occupaſſe, quae communi nomine poſſiderent, aut aliis locarent: hoc enim verba documenti ſignificant: *terra Mallexardorum communis Mediolani*.

Reſtat ut aliquid de Additionibus huic Volumini ad calcem ſubiectis moneamus Earum ratio eſt haec, ut vel ea, quae priori Volumine non ſatis accurate dicta erant, emendentur, vel quaedam preſſius atque uberius explicentur. Sic Vol. I. pag. 17. Richildem, Bonifacii Marchionis uxorem, et celeberrimae Mathildis Comitiſſae Matrem appellaverat. In quibus verbis errorem ſe commiſiſſe recte fatetur Nam Richildes Bonifacii quidem uxor fuit, ſed Mathildes e Beatrice Friderici Lotharingi filia orta eſt, quam Bonifacius, Richilde exſtincta, uxorem duxit. — Vol. I. Auctor de artibus, quas Humiliati exercebant, egerat. Sed addi vult hoc,

in

Digitized by Google

in codicibus quibusdam MStis qui Florentiae in Tabulario S. Mariae Novellae Ord. Praedicatorum ſervantur, inter expenſas Coenobii eiusdem commodo factas, pecuniam etiam Humiliatis nonnullis erogatam recenſeri, quod vitra, quibus templi feneſtrae claudebantur, variis coloribus ex veteri conſuetudine adornaſſent. In privata etiam bibliotheca quadam codices MStos exſtare dicit, quibus olim Humiliatae in divinis laudibus concinendis uſae fuerint, atque hos codices minio variisque coloribus, haud dubie Humiliati alicuius arte, ornatos eſſe refert. — Sed haec de Voluminis II. argumento commemoraſſe ſufficiat.

Pergimus ad Volumen III. cuius quinque ſunt partes. Prima pars reliqua exhibet monumenta, ab anno ſcilicet 1349. usque ad annum 1548. Sunt etiam in his monumentis nonnulla hiſtoriam illorum temporum illuſtrantia, quae ab Auctore in obſervationibus diligenter indicantur. V. c. pag. 44. in nota quadam ad documentum Petri Cardinalis Legati et Mediolan. Eccleſ. Adminiſtratoris, huius ipſius Petri, cuius Saeculo 14. et 15. magna erat celebritas breviter deſcribit. Petrus ſcilicet Philargus Ord. Minor. Cretenſis patria, a. 1386. Placentinus, tum a. 1388. Vicentinus, eodemque anno Novarienſis Epiſcopus renunciatus eſt. Anno deinde 1402. ad Mediolanenſem ſedem translatus, anno 1405. Cardinalis ac denique in Piſana Synodo a. 1409. Pontifex Maximus creatus, aſſumto Alexandri V. nomine. Hinc Auctor emendat Saxium qui in *Serie Archiep. Mediol.* Gradenſem etiam Patriarcham Petrum fuiſſe falſo dicit. Id quoque a Saxio non animadverſum eſſe addit, Petrum, poſtquam Romana illi purpura collata fuit, non amplius eccleſ. Mediolanenſis epiſcopum, ſed eiusdem Adminiſtratorem, ſeu Commendatarium appellatum fuiſſe, ut clare liquet ex eo cui haec nota ſubiecta eſt, documento. Pag. 65. eſt epiſtola quam Blanca Maria Vicecomes, Philippi Mediolanenſis Ducis filia, ac Franciſci Sfortiae, eius ſucceſſoris, uxor ſcripſit.

Hanc

Hanc epiſtolam ideo a b illa ſcriptam arbitratur Auctor, quod Franciſcus per haec tempora bello, quod illi cum Venetis erat, diſtentus, Mediolano abeſſe cogeretur, ac Reipublicae adminiſtrationem uxori permittere. Inſunt quoque, uti Vol. II. plurimae pontificum Romanorum epiſtolae v. c. Gregorii XI. Bonifacii IX. Martini V. Eugenii IV. quarum duae Florentiae datae ſunt, altera a. 1435. h. e. anno poſt, quum Romanorum ſeditionibus compulſus, eo ſeceſſerat, Eugenius, altera a. 1442. h. e. durante concilio Florentino. Dantur quoque aliae epiſtolae v. c. Pii II. quarum unam Mantuae dedit, quo Chriſtianos Dynaſtas eorumque legatos convocaverat, ut bellum in Turcas cogeret; porro Sixti IV. Clementis VII. cuius epiſtola data eſt in Arce S. Angeli, a. 1527. h. e. eo tempore quo Clemens VII. ſe, poſt Vrbem a Caeſareis copiis expugnatam, receperat.

Neque etiam deſunt in his monumentis notae Auctoris Chronologicae. Pag. 1. in monumento quodam eſt: *a. 1336. d. 14. Nov. indictione quinta.* Sed anno 1336. indictio quarta non quinta congruit? Obiectioni huic Cl. *Tiraboſchius* occurrit ita, ut dicat, frequenter in Italia Conſtantinopolitanam Indictionem, cuius initium a Cal. Septemb. ducitur, uſurpatam fuiſſe, itaque die 14. Nov. a. 1336. indictionem quintam iam numeratam fuiſſe. Eadem ratione difficultatem tollit chronologicam, quae pag. 43. in monumento quodam Mediolanenſi a. 1406. ſcripto, occurrit. Et omnino Auctoris in removendis, quae interdum in antiquioribus monumentis oriuntur, difficultatibus Chronologicis, diligentia dexteritasque exemplo debet eſſe iis qui antiqua documenta illuſtrare conantur. Sed pauciſſimas eſſe monumentis Vol. III. notas, latinitatem illuſtrantes, adiectas, vehementer dolemus, quum varia ſint quae illuſtratione egere videantur.

Altera

Digitized by Google

Altera Vol. III. pars Humiliatorum Conſtitutiones in generalibus comitiis editas complectitur. Prior earum pars digeſta eſt a Beltramo, quem nonnulli putant primum fuiſſe, qui Magiſtri generalis dignitate a. 1246. ornaretur. Sed Beltramum ſecundum hic intelligi, qui ab. a 1309. ad a. 1317. Humiliatis praefuit, certisſimum eſſe monſtrat Auctor. Conſtitutiones hae quadraginta capitulis continentur, quae ſub triplici diſtinctione comprehenſa ſunt. Prima namque, diſtinctio decem et octo capita comprehendit, ſecunda vero tredecim, tertia novem. Plurimum ſane iſtae conſtitutiones faciunt ad illuſtrandam Humiliatorum hiſtoriam. Enimvero inveniuntur in iis leges ad ad quarum normam Humiliati vitam ſuam inſtituere deberent. Lubenter etiam legimus hoc loco doctas Auctoris obſervatiunculas. Pag. 130. eſt *veretu*, diminitivum a *vera*, quam vocem Inſubricam eſſe dicit, ac laminam argenteam, ſeu alterius metalli ſignificare, qua ligneus cultri capulus in extrema utrinque parte interdum ornatur. Pag. 132 occurrit *pannus garzatus* quem eundem eſſe ac *carminatum* monet, *Garzatorem* enim pro *Carminatore* occurrere apud Cangium ad hanc vocem. Eadem pagina eſt *Refolare*, quod ex *folatorio* duci docet, quam vocem molendinum ad pannos denſandos ſignificare oſtendit. Utraque vero haec vox apud Cangium deſideratur. Pag. 146. *abſolvere defunctos* idem eſſe monet, ac *collectam*, ut vocant, *mortuorum* recitare, cuius initium eſt: *Abſolve Domine.* Poſt Coſtitutiones a Beltramo digeſtas aliae adduntur an. 1318. 1319. 1320. 1332. 1343. 1344. 1374. 1435. 1436. latae. Pag. 165. ex Hiſt. Eccleſ. repetit Auctor Clericos olim Quadrageſimae ieiunium a feria ſecunda poſt Dominicam Quinquageſimae, Regulares vero a Septuageſima illud incepiſſe. Hanc tamen Regularium conſuetudinem Saeculo XIV. iam antiquari coepiſſe, Conſtitutionis auctoritate, cui hanc notam ſubiecit, probari poſſe arbitratur. Quod vero vir doctiſſimus pag. 117. ad Theologos provocat, qui Euchariſtiae ſub una ſpecie



Digitized by Google

cie ſumtionem antiquiſsimis iam eccleſiae temporibus uſurpatam approbatamque oſtendiſſent, id veremur ut recte iſti Theologi ſtatuerint. Liceat nobis unum Leonem M. appellare, qui decreto ſancitum eſſe voluit, euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumendam eſſe.

Tertia Vol. III. pars complectitur Chronicon Ordinis Humiliatorum a Ioanne Braidenſi, Humiliato ſcriptum, cuius vitam fuſe deſcripſit Cl. *Tiraboſchius*, in praefatione Volumi I. praefixa, atque eodem Volumine pag. 285. Hoc vero Chronicon prae ceteris edendum cenſuit, tum quod omnium antiquiſſimum eſt, tum quod Humiliatorum hiſtoria fuſius quam in aliis Chronicis hic expoſita videtur. Ad Annotationes quod attinet, quae ad Humiliatorum hiſtoriam pertinent, illuſtrari non oportere ſtatuit, cum omnia in Diſſertationibus Vol. I. ſatis iam enucleata fuerint. Itaque iis tantum immoratus eſt, ex quibus medii aevi hiſtoriae lucem aliquam affundi poſſe putaret. Sic v. c. pag. 252. vitam Franciſci Barbaraviae, cuius magna erat apud Ioannem Galeatium Mediolani ducem, auctoritas, variis in notis deſcripſit.

Quarta Vol. III. pars continet Necrologium Humiliatorum Brixienſium et Novarienſium. Necrologium hoc paullo poſt Saeculi XIII. initia conſcribi coeptum Auctori videtur. Exſtare id dicit apud eruditisſimum virum Carol. March. Trivultium, a quo humaniſſime cum Auctore communicatam eſt. Ad illud vero edendum commovit eum praecipue hoc, quot tota Alberici de Gambara, de quo Vol. I. pag. 156 et Vol. II. pag. 76. actum eſt, familia hinc innoteſcat, et Alberici mortis tempus, ſimulque tertio tantummodo Humiliatorum ordini adſcriptum illum fuiſſe conſtet. Pag. 296. in hoc Necrologio relatio quaedam exſtat, quae repugnare videri poteſt iis, quae Vir doctiſſimus Vol. I. pag. 26 protulerat, quo in loco domum de Gambara ab Alberico ipſo fundatam, monumentorum auctoritate fretus, contente-

tenderat. Sed in Necrologio loc. cit. eiusdem domus aedificatio Ioanni, Alberici patri, tribuitur. Sed haec conciliare ſtudet Cl. Tiraboſchi ita, ut dicat, patrem ac filium communi conſilio atque arte Coenobium illud exſtruxiſſe.

Reliquae adhuc ſunt additiones, quae ultimam Vol. III. partem conſtituunt. Pertinent eae ad Vol. I. et II. ac de quibusdam uberius exponunt. V. c. Ad Cantuarienſes Humiliatorum domus illuſtrandas eruditiſſimam ad Auctorem Cl. Carolus Barnabas Carcanus, Cantuarienſis Canonicus, transmiſerat epiſtolam, quam totam in Additionibus poſitam eſſe laetamur. Nam laudatus Carcanus tabularii tum domeſtici, tum Canonicalis Collegii Cantuarienſis codices MStos excuſſerat, ibique nonnulla documenta repererat, quae lucubrationibus Cl. *Tiraboſchii*, novam lucem afferre poſſe putaret. Qui porro plura Auctori ad Bononienſes Humiliatorum domus illuſtrandas iam ſuppeditaverat Cl. Caietanus Montius, idem, edito iam Volumine I. et II. alia ad easdem pertinentia monumenta humaniſſime ad illum transmiſit, quae adeo in Additionibus Vol. III. collocatae ſunt. Neque denique ſilentio praeterundum eſt, in fine Vol. III. eſſe indicem rerum praecipuarum, quae toto Opere comprehenduntur, copioſum ſane et magna diligentia confectum.

Haec fere habuimus quae de argumento Operis Tiraboſchiani monenda putaremus. Magnae profecto gratiae viro doctiſſimo agendae ſunt, qui argumentum extra Italiae fines non adeo antea notum, illuſtrandum ſumſit; qui varia hiſtoriae medii aevi capita docte expoſuit; qui multa indagavit, quibus vel celeberrimi rerum Italiae ſcriptores, Vghellius, Ciaconius, Iulinius, Muratorius, aliique, ſuppleri, interdum vero etiam emendari queant; qui porro rationis excutiendorum vetuſtatis documentorum egregium exemplum praebuit; qui denique nulla moleſtiarum magnitudine, quae haud dubie in argumento difficili, obſcuro, nec ubivis adeo



Digitized by Google

grato ſuperandae erant, ab hoc Opere perficiendo deterreri paſſus eſt.

## *D. IOH. SALOM. SEMLERI, PROF. THEOL. P. O. Hiſtoriae Eccleſ. Selecta capita cum Epitome canonum excerptis Dogmaticis et tabulis chronologicis. TOM. I. ſex Saeculorum.*

Halae, 1767. 1 Alph. 8 plagg. in 8.

Quanquam innumeri ſunt, qui Hiſt. Eccl. enarrationem aggreſſi, ſatis feliciter in ea ſtudia ſua collocarunt: ea tamen eſt eius conditio, isque ambitus, ut viri, quibus nec copia, nec voluntas deeſt, multa corrigenda, multa accuratius illuſtranda, explicanda, enodanda, multa etiam addenda facile inveniant. Quicunque *Semleri* Viri Cel. eruditionis copiam, ingenii acumen, iudicii libertatem norunt, hunc, quem indicamus, librum nec ſupervacaneum putabunt, nec ſterile compendium tironibus tantum deſtinatum. Hoc animo nos adhunc librum acceſſimus, neque accepimus eius mutandi occaſionem. Sed ſignificabimus Lectoribus, quid in eo potiſſimum quaerere, quamve inde ſperare utilitatem debeant.

Hiſtoriam Chriſtianorum ſtatim ipſe aggreditur, nec introductionem, quod alias fieri ſolet, praemittit, niſi praefationem ampliſſimam, qua conſilium, quod ſecutus eſt, exponit. Ad quinque aut ſex fere capita omnia retulit, quae in quovis Saeculo lectu et ſcitu digna iudicavit. Tribus prioribus ſeculis praemiſit caput *de fontibus hiſtoriae*, reliquis *hiſtoriam reipublicae*. Deinde differit *de propagatione Relig. Chriſt.* Tum *ſtatum Religionis et indolem* exponit. Porro in *concilia* et *haereſes* inquirit. Denique *ſcriptores* recenſet. Singulis ſeculis additur *tabula chronologica* eaque copioſa, in qua non ſolum, quae in capitibus dicta ſunt, repetuntur;

tuntur; ſed etiam, quae in iis commodum locum habere non poterant, quaſi loco appendicis, adiiciuntur. Ab hoc autem ordine quodammodo recedit hiſtoria Saeculi I. cuius cap. 1. agit de fontibus huius hiſt. c. 2. de ſtatu Iudaeorum c. 3. de ſtatu Rom. imperii, c. 4. de I. C. hiſtoria, c. 5. de Apoſtolorum hiſt. c. 6. de ſtatu et exercitio Relig. Chriſt. Haec de ordine ſufficiant. Iam quomodo in ſingulis capitibus verſatus ſit Vir doct. videamus.

Inter fontes H. E. *Sec. I.* tantum N. T. libros refert, et ex Rom. Hiſt. Taciti Annal. XV. Sueton. Ner. c. 16. *Saec. II.* celebrem illam epiſtolam Plinii, quam totam exhibet; Imperatorum Rom. edicta, ſcriptores Hiſt. Aug. Pſeudoluciani Philopatridem. *Saec. III* praeter Scriptores domeſticos v. c. Euſebium, Tertullianum, Cyprianum et Scriptores Hiſt. Aug. etiam acta SS. genuina. Fortaſſe in his pertractandis Auctor multis iuſto brevior videbitur, nec deerunt, qui in reliquis Saeculis fontium recenſionem omiſſam eſſe doleant.

Nec copioſior eſt *Semlerus* V. C. in Enarrando ſtatu Iudaeorum et Rom. Imperii Saec. I. c. 2. 3. Nam ſtatum civilem et ſectas Iudaeorum tribus, quod aiunt, verbis deſcribit. Iudaeos peregrinos Graecorum litterarum atque artium non fuiſſe expertes putat, ſed Platonicae Philoſophiae ſtudioſisſimos, quod Philonis et apocryphorum librorum exemplo doceri poſſe dicit. In cap. de ſtatu Rom. imperii ſectas philoſophorum paucisſimis recenſet. *Philoſophia orientalis*, inquit, *ſymbolica doctrinae ratione a Graecis iſtis ſectis praecipue differebat, qua requirendi ſtudium potius incitare atque adiuvare voluiſſe videntur, quam aliquid certi luculenter ſtatuere; quo tam ad ſapientes non opus eſſet, quum apud imperitum plebem profici ad rem communem iuvandam parum posſit.*

*Cap. IV.* Hiſtoriam Ieſu *Chriſti*, *inuſitati novae reipublicae, quae Dei cognitione et uſu veterem illum vinceret, ſtatoris,*

*ris*, ita exponit, ut praetermiſſis dogmaticis diſputationibus tantum quae potiſſimum ad vitam eius inter homines pertinent, oſtendat. *Non abſuit a meliori eius doctrina auctoritas, ſine per σημεῖα et τέρατα, quorum ad multitudinem, quae rerum λόγοις adſueſcere non facile poterat, praecipue valuit miniſterium, ſive per internum veritatis lumen, quod minus improborum mentibus mitiſſime illabebatur.* Ex eius in Aegyptum diſceſſum Iudaeos Graecos nonnullos percepiſſe fructus exiſtimat; (p. 13.) ipſum vero a Iudaeis proſcriptum eſſe dicit. (p. 14.) Eodem modo *Cap. V.* Apoſtolorum hiſtoriam exhibet et de auctoritate Actuum Apoſtolicorum et Epiſtolarum diſputat. Sed huic diſputationi, multae inſunt opiniones, quas Cel. *Semlerus* iam ſaepius in aliis libris propoſuit, ſed quae haud dubie multis non admodum veriſimiles videbuntur. Nos eas tantum indicabimus. Hebraeos, ad quos Paullus ſcripſit, Iudaeos putat extra Palaeſtinam, in Macedonia forte; (p. 17.) Gal. 2, 5. (*non ceſſimus ad horam*) negationem ex Marcionis codicibus inſertam eſſe. De Apocalypſeos hiſtoria, origine, et fide, nondum omninò ita, uti de aliis, nobis conſtat, (p. 18.): ſuſpicatur, (p. 19.) epiſtolas Apoſtolicas ad Eccleſiarum ſtatores et miniſtros, non vero ad populum ſimul, miſſas videri, nec eas populo praelectas videri, ſed inſerviiſſe informandis Eccleſiae miniſtris; eaſdem per litterarum compendia exaratas fuiſſe videri. Denique *Cap. VI.* de ſtatu et exercitio Relig. Chriſt. comprehendit ea omnia, quae in ſequentibus Saeculis ſeparatim exponere ſolet, ut propagationem Eccleſiae, caerimonias, haereſes, perſecutiones, et ſcriptores, qui hoc Saeculo vixiſſe dicuntur, quos vero omnes in dubium vocat.

Breviores erimus in recenſendis reliquis Saeculis. Non enim neceſſe eſt, ut Auctorem per ſingula ſequamur. Obſervabimus tantum, quae notatu maxime digna videbuntur. *De propagatione Religionis Chriſt.* per omnia Saecula docte et accurate diſſerit Cel. *Semlerus.* Non ſolum enim obſer-

vat

Digitized by Google

vat ad quas gentes et quorum miniſterio Chriſtiana religio translata ſit; ſed libere etiam de remediis iudicat; fabulasque et ficta miracula, ubi reperiuntur, exponit. Impedimenta etiam propagationis oſtendit, et qua ratione doctores Chriſtiani ea removerint. Hac ratione putat, (p. 61.) philoſophiam Platonicorum iuniorum et allegoricum interpretandi ſtudium quodammodo excuſari poſſe, nos certe aequiores arbitros eſſe, et de eius temporis conſuetudine clementius iudicare debere, quam v. c. *Moshemium*. Nec male iudicat doct. Auctor (p. 352.) *Saec. VI. non tam Religionem aut ingenuam illam Chriſtianam, quam eius parum liberalem ſpeciem ad alias gentes translatam fuiſſe*. Quod multis exemplis fabuliſque lepidiſſimis confirmat. *De externo Chriſtianorum ſtatu* Saec. IV. cap. 1. ita egit, ut Imperatorum Rom. et funeſtas et mites in Chriſtianos leges recenſeret, Philoſophorum etiam adverſus eos conatus exponeret. Perſecutionis Diocletianae cauſſam potiſſimum ineſſe putat ſive ſuperſtitioni, ſive impotentiori improbiorique vitae conſuetudini eorum, qui praeeſſe Chriſtianae ſocietati videbantur: id quod ex Euſebio adſtrui poſſe putat. In Cap. *de Societatis Chriſtianae forma et ſtatu interno* diligentiſſime egit de dignitatibus Eccleſiaſticis, de caerimoniarum indole et multitudine, quae ſenſim aucta eſt. Nam ut *Semlerus* (p. 67.) recte obſervat, *non parum datum fuit imperitae multitudini, quae rebus iis ducitur, quae in ſenſus cadunt: quae res omnino reprehendi non poteſt, ſi quidem ὁ πάντων atque etiam ὁ πολλῶν ἡ γνῶσις.* Deſcribit porro ſuperſtitionem, originem atque progreſſum vitae ſolitariae, fictorum denique miraculorum magnum affert copiam, quae omnia non ſine voluptate legent iſtarum rerum cupidi. Nos vero, fatemur enim, lubentius legiſſemus, ſi Auctor non modo quae vitio verti poterant, ſed etiam quae in laude ponenda ſunt annotaſſet. Illa enim iam ſaepius dicta ſunt, nec hodie facile aliquis, ex noſtris certe, in errorem abducitur. haec vero plurimi ignorant, et poſſunt tamen tironibus exemplo eſſe, quod imitentur.

Haud

Digitized by Google

Haud dubie Lectores, quemadmodum nos, cupiditate flagrabunt, *de variis ſectis et haereſibus* iudicium doctiſſimi *Semleri*, qui non ex aliis compendiis, ſed ex ipſis fontibus ſapit, cognoſcendi. Adhibuit ſane magnam diligentiam in deſcribendis haereticorum opinionibus et ſectis, nec non in iis, qui ſe oppoſuerunt. Neque vero his omnem fidem tribuit, illosque quaſi inauditos condemnavit. Nam iam antea (praef. 21.) ait: *ille locus, qui eſt de haereticis et haereſibus, apud vetuſtiores H. E. ſcriptores, non eſt incorruptus, aut locupletis quaſi teſtimonii auctoritate ad nos gravis.* (p. 22. ſeq.) *Illud, opinor, patet, conſcientiae uſum liberum, mentis ingenuum exercitium, in colligendi ſapiendique et experimenta et ſucceſſus, inter Catholicos longe minus locum habuiſſe, quam inter eos, quos dicebant iſta per tempora, haereticos.* Sed adſcribamus nonnullas, quas tulit doct. Auctor, ſententias *Gnoſticos*, ait, (p. 44.) *pleraque omnia ad uſum rationis, quem Chriſtus praeiverit, revocaſſe; Iudaeorum libros aut reieciſſe, aut ſtudioſiſſima interpretatione ad ſua conſilia adaptaſſe; docendi genus ad hominum ingenia conformaſſe; a vitiorum et flagitiorum ſocietate fere omnes alienos; quosdam forte fanaticos, plerosque autem non ineruditos fuiſſe.* Cauſſam *Manichaeorum* dicit eſſe obſcuriſſimam (p. 86.) licet Beauſobre et Moshemius in ea illuſtranda magnam diligentiam adhibuerint, pleraque vero coniecturis atque opinationibus conſtare. *Semlerus* hanc ſectam Gnoſticis annumerat. De dogmatis eorum: *ſatis multa*, inquit, (p. 87.) *vel ex variis libri 1 Moſis capitibus deſumta ſunt; non pauciora quosdam ſermones Chriſti et Paulli praecipue quasdam ſententias invitantur; a Iudaica autem craſſiori religione longiſſime omnia abeunt; multa tandem ita informantur, ut facile placere potuerint Philoſophiae, ut tum fuit, amatoribus Ariani.* Conſtantinum in vitae fine baptizatum dicit, (p. 155.) Arius ipſe cum ſuis dixit, filium κατὰ πάντα ἀνόμοιον καὶ ἀλλότριον τῆς τȢ πατρὸς ȣσίας καὶ ἰδιότητος. *Atque videtur*, inquit (p. 157.) *fere negari non poſſe, eruditiores etiam catholicorum non quaſi pro aris et*

*focis*

*ſocis* τὸ ὁμοέσιος *defendiſſe; licet Theologorum vulgus aliter egerit.* Et p. 156. *Athanaſius cum aliis ſcripſit:* ἡ ἐσία αὐτȣ *(filii)* ἐςὶ γέννημα τῆς ἐσίας *patris; itaque numero unam* ἐσίαν *hi nondum ſtatuerunt, licet* ταυτότητα *non raro dicant.* De haereſi *Pelagiana* tantum haec verba *Semleri* (p. 227.) notamus: χάριν *Pelagius latius ſumſit, Africani tam ſtricte, ut baptismo carentibus Dei omnem gratiam ſalutemque negarint. Pelagius autem naturae corruptionem noluit improbae vitae* ὄχημα *praebere, nec gratiae adiutorium a ſolis Epiſcopis iam demum perdiſcere, aut ab eorum caerimoniis ſuſpendere.* Cauſſam *Neſtorianam* ſatis copioſe deſcribit: *Origo,* (p. 230.) inquit, *ineptisſimae diſputationis, non tam Neſtorio debetur, quam temporis malignitati, quae religionis externae adiumenta, aut fundamenta nova ſemper adinvenit, ſanctis per Epiſcopos ſimilibus decretis, ut Imperatores ſolebant leges ferre.* — (pag. 243.) *Non deſunt graves viri et probi, inde a Luthero ipſo, qui Cyrillo longe magis, quam Neſtorio irati ſunt — Quis unquam Apoſtolus praecepit, Mariam* θεοτόκον *dicendum a nobis eſſe? — Ad populum parum promota eſt vera religio iſtis in Mariam ſtudiis.* Denique de *Priſcillianiſtis* hoc tantum annotamus (p. 263.) *Priſcilliani dici diſcipulos, qui et variis libris, quos Catholici iam Apocryphos dicebant, utebantur, et ſcriptionibus novis non defuerunt; interpretatione SS. hominem externum et internum diſtinxerunt, ſicut Gnoſtici olim* ψυχὴν *et* πνεῦμα. *Admiſtas fuiſſe gloſſas ipſis codicibus.* Sed haec de haereſibus ſufficiant, in quibus pertractandis doct. *Semlerus* multa ſane attulit, quae ad dogmata haereticorum accuratius cognoſcenda et ad hiſtoriam melius iudicandam pertineant.

Nec minorem cel. Auctor adhibuit diligentiam in capite *de conciliis.* Non ſolum enim hic plura enumerantur, quam plerumque in compendiis fieri ſolet, ſed exhibentur etiam ſatis verboſa canonum et Actorum excerpta. Quod conſilium non poteſt non valde probari: quum Acta conciliorum et collectiones canonum raro in ſtudioſorum manibus reperiantur, ex quibus tamen Antiquitates Chriſtianae optime

 diſci-

Digitized by Google

diſci illuſtrarique poſſunt. Concilium *Nicaenum* dicit (p.129.) coactum fuiſſe non tam ob Arianam ſolam controverſiam, quam ob politicas, quae intercedebant, cauſſas. Putat enim Conſtantinum, ut Orientis pacata poſſesſio ipſi contingeret erga Epiſcopos omnium provinciarum benevolentia et munificentia uſum eſſe. *De conciliorum indole* egit Seculi V. cap. 5. Sed nondum nobis quidem ſufficere videntur, quae annotavit, ad indolem conciliorum accuratius cognoſcendam, licet paſſim utiliſſimae obſervationes reperiantur, quae, ſi a diligenti lectore colligantur, facile tota res perſpici poterit. Diſputat potisſimum adverſus Baronium et Thomasſinum, cuius diſſertationes (pag. 264.) non male ineptisſimas dicit. Oſtendit etiam (p. 266.) conciliorum rationem imitari forum publicum. *Ter citantur; accuſator inſtat; exceptor non deeſt; notariorum in acta referentium eadem provincia ac in foro; theatrorum tandem clamor et invenuſtus ſtrepitus non abeſt.* Attulit hic acclamationum exempla ex actis Chalcedonenſibus, ſed pasſim in hoc libro plura occurrunt.

*Scriptorum* quidem *Semlerus* multis H. E. auctoribus copioſiorem exhibet catalogum, eorum etiam, qui perierunt, ſed in IV. prioribus Seculis iuſto tamen brevior videbitur iis, qui reliquos eius libros non poſſident. Nam hic pauca admodum notavit quia eos ſcriptores iam in prolegomenis ad Polem. Baumgartenii et in Inſtitut. ad liberalem erudit. Theol. recenſuit. Saeculo vero V. et VI. ex multis ſcriptoribus copioſa dedit excerpta, immiſtis etiam explicationibus, ſic magna diligentia recenſet opera Cyrilli Alex. Ephraemii, Iobii monachi, Coſmae, cuius etiam commentarium in Octateuchum putat, quem Photius cod. 36. recenſet, et quem ipſe p. 410. deſcripſit, ex eius vero topographia multa dicit ad hiſtoriam textus Gr. N. T. colligi poſſe; Euloges, Leontii Byzant Iohannis Philoponi, Fulgentii, Favundi etc. In hoc de ſcriptoribus capite, ut etiam de conciliis moleſtum eſt lectoribus *Saeculorum* nulla reliquiſſe

quiſſe ſpatia, aut litteris maiuſculis nomina auctorum et conciliorum exſcribenda curaſſe, ut facilius diſtingui et inveniri poſſent. Notavimus etiam nomina urbium ſcriptoribus addita plerumque per compendia ſcripta eſſe, quae tamen tironibus raro nota eſſe ſolent, v. c. *Fulgentii ruſp.* i. e. Ruſpenſis (p. 442.) *Tabulae Chronologicae* cuique Saeculo additae magnam huic libro conciliant utilitatem. Notavit enim doct. *Semlerus* quae anno quoque non ſolum in Eccleſiaſticis, ſed etiam in civilibus potiſſimum geſta ſunt, atque etiam auctores indicavit, ut adeo et praelectionibus et repetioni H. E. facile inſervire poſſint.

Ex his patere arbitramur, cel. Semlerum etiam hoc nomine magnam laudem mereri, huncque eius librum non ſolum tironibus ſed omnino H. E. cultoribus commendandum eſſe. Multos ſane H. E. auctores poſt ſe relinquit utiliſſimarum rerum multitudine. Interdum plura affert exempla, quam fortaſſe opus erat v. c. fictorum miraculorum et fabularum raro aliquid omiſit. Non negamus eiusmodi rebus interdum nimium tribuiſſe, ſed fortaſſe aliquot ſufficere poterant. Fortaſſe etiam non nulla dici poſſent, quae Patres, qui iis innituntur, quodammodo excuſare, eorum ſaltem piam mentem, quae ſaepius in haereticis laudatur, defendere poſſent. Sed cohaerent haec cum non nullis aliis cel. *Semleri* libris, praeſertim cum libello de ſanationibus miraculoſis et miraculis, quem eodem anno lingua vernacula edidit, (Verſuch einiger moraliſchen Betrachtungen über die vielen Wundercuren und Mirackel in den ältern Zeiten.)

*ALTES AUS ALLEN THEILEN DER Geſchichte, oder alte Urkunden, alte Briefe und Nachrichten von alten Büchern mit Anmerkungen.*

 Chemni-

Chemnitii, VOL. I. pagg. 793. 1762. VOL. II. pagg. 843. ib. 1766. octonis.

Non inutilem putamus neque iniucundam S. R. Io. Gothofr. Wellerum, Cygneae Sacrorum Antiſtitem, edendis his illuſtrandisque antiquitatis monumentis operam ſuſcepiſſe, nec ad multarum rerum meliorem accuratioremque intelligentiam parum contuliſſe. Eam enim habet hoc opuſculum variae eruditionis commendationem, ut nulla fere ſit totius hiſtoriae pars, cui accendi nequeat lux aliqua, ſive ſpectes eccleſiae chriſtianae hiſtoriam, ſive imperii Germanici res, ſive notitiam imperiorum, civitatum, monaſteriorum, epiſcopatuum, ſive denique literariam hiſtoriam. Triplicis vero generis ſunt, ut titulus libri indicat, quae in duobus his Voll. reperies antiquitatis monumenta; primi generis ſunt documenta antiqua, eaque inedita, quorum in adiectis obſervationibus vel difficultatem explicavit, vel utilitatem demonſtravit; alterius, epiſtolae virorum quorundam doctiſſimorum Sec. XVI. et XVII. Eraſmi Roterod. Dan. Ge. Morhofii, Caſp Barthii, Io. Ge. Graevii, Io. Chr. Wagenſeilii, Iobi Ludolfi, Papebrochii, et qui primo loco nominandi erant, Lutheri et Melanchthonis et multorum aliorum, in quibus epiſtolis illuſtrandis idem conſilium eandemque rationem ſecutus eſt; tertii denique librorum antiquorum eorundemque rariorum recenſus Nos, cum omnia referri nequeant, quaedam tantum, atque ea potiſſimum commemorabimus, quae in primis commemoratione digna videantur.

Ac in primo Vol. occurrit primo loco charta emtionis Minoritarum Altenburgenſium, a. 131[illegible]. quae propterea digna erat, quae commemoraretur, quoniam pertinet ad controverſias, in Franciſcanorum ordine agitatas. Sequitur pag 7. Bulla Nicolai V. Pontificis Rom. a. 1453. in qua in primis memorabile eſt ſigillum plumbeum, ab ipſa dependens,

Digitized by Google

pendens, in quo expreſſae ſunt duae effigies, quarum alteram, primario loco poſitam, Pauli, alteram Petri eſſe, ex ſuperſcriptis verbis SPA SPE ie. Sanctus Paulus, Sanctus Petrus, vulgo colligitur. Originem ducit haec conſuetudo, Pauli et Petri effigies Bullis ſuperſcribendi, a Paulo I. quem Leo IX. ſecutus eſt. Sed orta eſt nobiliſſima quaeſtio, cur Pauli et non Petri potius effigies primario loco poſita ſit? Venerab. Auct. argumentum graviſſimum cum plerisque noſtrae eccleſiae viris doctis putat hinc peti poſſe contra primatum Petri, quam ſententiam etiam repetiit Vol. II. pag. 304. ſeq. Petrus Damiani primus hanc quaeſtionem tractavit, ſed aeque ac Matthaeus Pariſ. multum difficultatis in ea reperit. Ex quo tempore maximopere exercuit haec quaeſtio doctorum Pontificiorum ingenia, et quanquam interpretationes eorum non ſunt eiusmodi, quae certo fundamento hiſtorico nitantur, ne ea quidem, quae nuper prolata eſt in Opere praeſtantisſimo, quod inſcribitur: Nouveau Traité Diplomatique, T. IV. p. 305. tamen argumentum, quod inde contra primariam Petri dignitatem ducitur, non cum Cl. Well. putaremus ſatis firmum, primum, quoniam in Bullis ipſis, quibus adiecta ſunt haec ſigilla, Petrus priori loco ponitur, v. c. in hac ipſa, ad cuius finem occurrunt verba haec: ſi quis autem hoc attemptare praeſumſerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſuram; deinde, quia reperiuntur effigies, in quibus Petrus primarium locum occupat, quarum duas aere incidi curavit Foggini Exercit. 20. de pictis fictisque imagg. S. Petri.

Sequuntur pag. 12. ritus antiqui, in iudiciis criminalibus Lipſiae uſitati, pag. 17. epiſtola Erasmi Rot. ad Petr. Moſellanum, pag. 21. Flacii ad Andr. Poachum, et p. 24. Acta Comitiorum Lipſiae 548. habitorum, quatenus ſpectant ad Interim, ut vocatur, Lipſienſe, in quibus multa occurrunt, quae legiſſe non poenitebit lectores. Continuationem



Digitized by Google

ionem horum Actorum exhibent p. 150. ſſ. 299. ſſ. 460. ſſ. 592. ſſ. et 711. ſſ. — Epiſtola Dan. Ge. Morhofii ad Seckendorfium, duae Caſp. Barthii ad Chriſt. Daumium, pag. 36. — recenſus quorundam librorum Petri de Alliaco pag. 43. ſſ. ex quibus mirum ipſius conſenſum in graviſſimis fidei dogmatis cum doctrina evangelica demonſtrat; id quod etiam ab aliis factum eſt. — Recenſus collectionis cuiusdam, a. 1489. factae, in qua libelli continentur, ex quibus triſtiſſimus illius temporis ſtatus, clericorumque peſſima vita et nefanda ignorantia poteſt intelligi. Eiusdem rei argumentum praebet, recenſus Catechetici libri, pag. 70. ante repurgata ſacra editi — Recenſus Sermonum Io. Geileri Keiſersbergii, pag. 80. ſſ. —. de Actione Marii Caraccioli et Hieronymi Alexandri, nunciorum Pontificis Rom. cum Friderico Sapiente, Saxoniae Electore, in cauſa Lutheri, pag. 84. ſſ. — duo Carmina de incendio librorum Lutheri et Pauli Sperati captivitate, pag. 89. — recenſus librorum antiquorum germanicorum, ad proceſſum iuris pertinentium, pag. 94. — de Io. Egrano Sylvio eiusque ſcriptis, pag. 177. quae prodeſſe poſſunt ad accuratiorem Eraſmianarum opinionum intelligentiam — Epiſtola Dan. Heinſii ad Caſp. Barthium data a. 1613. — Quae pag. 206. ſſ. et 319. ſſ. de Ioachimo, Florenſis monaſterii Abbate, illo tempore clarisſimo, eiusque ſcriptis rarisſimis, et celebrioribus, quam notioribus, expoſuit Vir doct. rectiſſime ſe habent et lectu ſunt digniſſima. Ut erat Ioachimus homo doctus quidem pro ratione illorum temporum, ſed ineptiſſimus etiam et ſtultiſſimus, eum quoque, non eſt, quod mireris, ineptiſſimas opiniones foviſſe, atque adeo Prophetam ſe iactaſſe et vaticinia edidiſſe ſatis ſtulta. Aeque rarus ſed ignotior eſt Franciſci Florii Florentini liber de amore Camilli et Emiliae, de quo eſt pag. 219. et Vol. II. pag. 533. nec minus Vincentii Bellovacenſis opus, quod inſcribitur: ſpeculum, de quo expoſuit, pag. 226. Uterque liber erat propterea commemoratu non indignus, quia ſtatim ab initio typographiae inventae

editus

Digitized by Google

editus eſt, deinde vero etiam propter hanc cauſam, Florii, quia auctorem latinae linguae non imperitum prodit, et Vincentii, quia continet excerpta permulta ex aliis et interdum bonis libris. Quae pag. 251. de vaticiniis Ioannis Carionis, qui alias ob hiſtoriam univerſalem, a Melanchthone latine factam, correctam et plane mutatam, valde clarus eſt, et pag. 263. de falſitate praedictionum aſtrologicarum dixit, cuius rei argumentum ex Ioannis Annii Viterbienſis Tractatu de futuris Chriſtianorum Triumphis petiit, nemo facile erit, qui eat inficias. Legi quam maxime merentur, quae dicta ſunt pag. 266. ſſ. de Ioanne Muslero, Rectore Scholae Nicol. Lipſ. et deinde Doctore Iuris et Acad. Lipſ. Rectore. Primum Scripta ipſius eruditiſſima, quantum ob eorum raritatem fieri potuit, commemorantur, ita, (quam rationem ſemper tenet Vir doct.) ut ipſorum tota indoles et argumentum luculentiſſime perſpici poſſit, atque intelligi, fuiſſe Muslerum virum graece et latine doctiſſimum et inter bonarum literarum inſtauratores ſummos referendum. Apponemus titulos librorum, de quibus hic exponitur: 1) En tandem libellus ex captivitatis tenebris quaſi ab orco in lucem a Venetis principibus revocatus etc. Venet. 1539. Tituli huius, quem miraberis, rationem expoſuit cl. Auct. continerique hoc libello, docuit, collectionem Scriptiunculatum quarundam, inter quas digna eſt, quae obſervetur, oratio de liberalibus diſciplinis cum iurisprudentia coniungendis et id genus alia multa. 2) Oratio, qua Rectores et Ludimagiſtri, Scholae et Univerſitates, quascunque appellant, conferuntur etc. Norimb. 1531. Occaſionem orationis, Rectoratus Academiae adeundi cauſa dictae, ſuppeditavit oratio, quae tum inter homines audiebatur: Ludimagiſtrum rectorem feremus? 3) De titulis et dignitatibus reip. literariae etc. Lipſ. 1533. 4) In artem notandi ſigna. Lipſ. 1553. Ad extremum ipſam viri excellentis vitam, quantum fieri potuit, enarravit.

De

Digitized by Google

De Alcuino quaedam diſputavit pag. 502. quae negare non poſſumus expectationi noſtrae non omnino ſatisfeciſſe. Dignus omnino fuit Alcuinus, de quo paullo accuratius exponeretur. Ea enim doctrinae pietatisque laude floruit, ut, cum Carolus M. deſideraret virum, cuius opera et ipſe poſſet uti in diſcendis literis et in filiis erudiendis, atque omnino in re ſcholaſtica inſtituenda, hunc potiſſimum arceſſeret, quod non modo omnium diſciplinarum eſſet peritiſſimus, ſed etiam latine, graece et hebraice doctisſimus. Itaque non modo habuiſſe exiſtimatur, ut Cl. Auct. dicit, ſed profecto habuit ipſe Alcuinum praeceptorem adiutoremque, et poſtea quoque filios et omnino pueros nobiles, qui in aula eſſent, erudiendos formandosque ipſi tradidit. v. Hiſtoire liter. de la France T. III pag. 424. Atque haec fuit ſchola Palatina, quam vel primus inſtituit Carolus, vel certe totam reſtauravit, eiusque eam curam geſſit, ut ipſe exaihinibus ſaepiſſime intereſſet, diſcipulorumque vel diligentiam praemiis afficeret, vel negligentiam reprehenderet. Neque adeo in uno loco fixa erat haec ſchola, nec Pariſiis tantum, ut vulgo exiſtimatur, ſed modo in Gallia, modo in Germania, ubi tempore quolibet Carolus commoraretur. Huius ſcholae rector ſeu praefectus fuit Alcuinus, quod hic non erat praetermittendum, cum ſit vitae ipſius pars maxime memorabilis. Nullum iter ſuſcepit, quin Alcuinum comitem aſſumeret Carolus, atque omnino tantum gratia valuit apud Imperatorem, ut a Scriptoribus deliciae Caroli diceretur. Cum vero aetate eſſet provectior, nec vires ſufficerent moleſtiis itinerum ferendis, commeatum ab Imperatore petiit, quo impetrato ſcholam Turonenſem condidit in Gallia, in eaque diem obiit ſupremum. Qui de vita Alcuini expoſuere, laudantur, pag. 506. ſ. quibus adiiciendus eſt omnium princeps, Crevierius, Hiſtoire de l'Univerſité de Paris, T. I. pag. 33. ſſ ubi etiam, pag. 26. ſſ. de ſchola Palatina agitur. Libri de imaginum cultu, qui vulgo Carolo M. tribuitur, auctorem rectisſime Vir Cl. dicit eſſe Alcuinum.

num. Eſt enim liber ille doctior, quam ut Carolus ſcribere potuerit; inſunt multa hebraica, quae non tenuit, atque vel ex hoc libro intelligi poteſt, de quo Auct. doct. dubitanter loquitur, Alcuinum hebraice fuiſſe doctiſſimum. Carolum, auctore ſuaſoreque Alcuino, Academiam Pariſienſem condidiſſe exiſtimat. Non ſatis recte. Fortaſſe ſcholam Palatinam volebat dicere. Sed haec admodum diſcrepabat a Pariſienſi, cuius auctorem Alcuinum non fuiſſe, Launoius docuit. Academia vero Pariſ. quae proprie ſic dici poteſt, ex ſchola Palatina initium duxit, quod fere incidit in Sec. XII. ut demonſtravit Crevier. l. c. T. VII. pag. 90. ſſ. Scripta ipſius ſeparatim, et vero etiam integris Operibus edita ſunt; de utroque genere quaedam dixit Cl. Auct. Sed cum prioris generis exempla valde rara eſſent, ipſe vero quaedam ad manus haberet, ſpeciatim de iis quaedam expoſuit. Apponemus titulos librorum: 1) De fide ſanctae et individuae Trinitatis Libri III. Frft. 1555. 2) In Eccleſiaſten Commentari, Baſil. 1531. 3) In D. Ioannis Evangelium Commentariorum Libri VII. Argentorati, 1527. 4) In Geneſin Quaeſtiones, 1529. 5) Homiliae, ſ. Conciones ad populum praeſtantiſſimorum eccleſiae doctorum. Collegit Alcuinus has conciones propterea, ut per annum ſingulis dominicis legerentur, quoniam tanta erat clericorum iſtis temporibus inſcitia, ut conciones ipſi habere non poſſent. Dubitari, inquit Vir doct. utrum haec Collectio Alcuinum, an Paulum Diaconum auctorem habeat. Verum non eſt, quod dubitemus, modo teneamus, Paulum Diac. etiam Homiliarium quoddam iuſſu Caroli M. confeciſſe. In univerſum autem, quod hic non poſſumus praetermittere, tenendum eſt, Alcuini doctrinam fuiſſe longe puriorem, quam aliorum doctorum, qui tum erant et fuerunt poſtea, et ſcripta ipſius in primis etiam eo prodeſſe, quod ex iis multa colligi poſſint teſtimonia, quibus cum fructu contra Pontificios uti poſſis, praecipue in controverſia de Transſubſtantiatione, a qua opinione, Blondellus, Dal-



Digitized by Google

ſacus, et alii, optime docuerunt, Alcuinum fuiſſe alieniſſimum.

Non poenitebit legiſſe, quae pag. 515. ſſ. de libro rariſſimo Petri Alvarii Pelagii de Planctu eccleſiae, 1474. edito, et quae pag. 524. de libro: Speculum vitae humanae, 1471. item pag. 552. de libro, in quo de ſtatu aulae Romanae ſub Leone X. exponitur, dicta ſunt, ex quibus triſtiſſima et nefanda Clericorum vitae ratio et deploranda eccleſiae conditio poteſt intelligi; quo etiam pertinent, quae pag. 555. de conſultationibus et balneis animarum diſputata ſunt. Sequitur pag. 618. epiſtola Electoris Io. Friderici ad Io. Fridericum principem, ex captivitate 1552. data, ad cuius illuſtrationem quaedam prolata ſunt, quae prodeſſe poſſunt ad rerum Saxonicarum intelligentiam. — Epiſtola elegantiſſima Caſp. Crucigeri ad Steph. Roth. ſcripta, cum eſſet vix quatuordecim annos natus, in qua quoniam mentio iniicitur Petri Moſellani, egregie hoc loco de eo quaedam diſputavit doct. Auctor. — Epiſtola Seckendorfii ad Ottonem Menkenium, a. 1653. data, quae pertinet ad operis praeſtantiſſimi de Lutheraniſmo hiſtoriam. — Antiqua collectio privilegiorum et indulgentiarum fratrum minorum Ordinis S. Franciſci, a 1495. edita — Epiſtolae Io. Ge. Graevii, Io. Chr. Wagenſeilii et Iobi Ludolfi ad Chr. Daumium. — De editionibus duabus anquiſſimis utriusque Catechismi Lutheri.

Haec de primo Vol. Veniamus ad alterum, in quo aeque multa occurrunt, quae variam delectationem afferent lecturis, atque etiam, in primis quae in rerum Saxonicarum, civitatum, villarum, monaſteriorum, Epiſcopatuum, et id genus aliorum, praecipue medii aevi, notitia acquirenda cernitur, utilitate ſe commendabunt, quo ſtatim referenda ſunt, pag. 3. et 173. documenta antiqua Menheri, Burggravii Miſenenſis, a. 1284. et duo alia documenta ex Sec. XIV. ad villam

villam Oſterwin pertinentia, et multa alia, quae non fieri poteſt, ut omnia afferamus, multo minus ex iis quaedam recenſeamus, quae ad illuſtranda ea docte et accurate dicta ſunt. Pag. 84. reperimus notitiam lectu non indignam de Opere Pauli Marocceni de aeterna temporalique Chriſti generatione contra Iudaeos, Patavii, 1473. ſplendidiſſime edito, pag. 87. de editione prima Ptolemaei, latine curata, 1478. pag. 94. de antiquisſimo et rarisſimo Gotſchalci Hollen Praeceptorio novo, 1484. pag. 104. de collectione trium librorum Iudaicorum, per Seb. Munſterum facta 1592. et typis expreſſa Wormatiae per Petr. Schoeferum; quae collectio praeter editorem et typographum in primis etiam inſignis eſt ob libros, quos continet, nempe tredecim Articulos fidei Iudaeorum, auctore Maimonide, deinde Compendium hiſtoriarum Ioſephi, in quo eleganter, quae Ioſephus memoriae prodidit, brevius, interdum etiam latius enarrantur, denique decem captivitates Iudaeorum, quae ita enumerantur, ut quatuor accidiſſe dicantur ſub Senacharibo rege, quatuor ſub Nebucadnezare, una ſub Veſpaſiano et ſub Hadriano una. In univerſum contineri, ait Auct. doct. hoc libello brevem et elegantem narrationem rerum Iſraeliticarum inde a Pekae regis temporibus usque ad Hadriani aetatem. Pag. 147. exhibentur explicationes inſcriptionum quarundam germanicarum antiquarum, ſculptarum in ſaxis, ante hos quinquaginta annos prope Cygneam effoſſis et nunc in Bibliotheca ill. Comitis de Solms aſſervatis. Praeter antiquitatem nihil fere eſt, quod inſigniter commendet has inſcriptiones; quae tamen ad eas illuſtrandas explicandasque dicta ſunt, ingenium Auctoris produnt atque elegantiam. In prima inſcriptione conſpiciuntur verba priora Symboli Apoſtolici et ſigna coronae, virgae et crucis; altera in memoriam Hermanni cuiusdam facta eſt, quem Cl. Auct. putat filium fuiſſe Eccardi primi, et ſecundi fratrem, in bello a Wandalis interfectum; quibus tertia et quarta dicata ſit, non ſatis liquet; ultima orationis dominicae initium continet.

 Hygi-

Hygini Poeticon Aſtronomicum in fine conſtat eſſe mutilatum, nec Codicem hucusque repertum fuiſſe, ex quo reliqua poſſent reſtitui. Igitur in omnibus editionibus, etiam novisſimis Thomae Munkeri et Aug. de Stavers ad calcem adiecta ſunt verba: cetera deſiderantur. Sed. Ven. Well. nactum ſe eſſe, refert pag. 230. ſſ. Cod. ſcriptum ex Bibl. Fribergenſi, in quo praeter verſionem quandam Arati, quae nomen Ciceronis quidem habet, ſed non eſt Ciceronis, verum Caeſaris Germanici, reperitur Hygini Poeticon Aſtron. cum particula aliqua, quae defuit hucusque in exemplis editis. Operae pretium igitur exiſtimavit, totam eam deſcribere, nec quoniam nimis longa eſt, nos quoque dabimus lectorum curioſitati, ipſis certe non ingrati quid facturos exiſtimantes. Scilicet ultima verba, quibus finitur opus Hygini in libris editis, ſtatim ſequuntur haec: „*Duo ſunt extremi vertices mundi: quos appellant Polos; Septentrionis et Auſtri: quorum alter ſemper a nobis videtur: alter nunquam. In eo, qui a nobis cernitur, tria ſunt genera conſtituta. Duo ſcilicet arcturi et ſerpens circum: atque inter illos in morem fluminis means. Haelice arcturus maior. Cinoſura minor appellatur: quae diverſum quidem aſpiciunt averſis huc atque illuc pedibus. Serpens vero cauda cingit helicen: caetero circuitu cinoſuram: ita tamen ut easdem medius interlabens ſeparet. Cuius caput ad dextrum pedem eius qui in geniculo ſtat videtur extenſum. Ille vero qui in geniculo ſtat: quem Herculem dicunt: dextro pede caput Draconis premit: capite auſtrum converſo: humeris ſuis coronae tangit confinia. Ipſa autem corona poſt tergum Herculis ſita, capiti ſerpentis, quam ſerpentarius tenet, appropinquat. Serpentarius vero qui a Graeciſo φιοχος vocatur: ſub Hercule poſitus ad auſtrum verſus pedibus ſcorpionem verſat ſerpentem praecinctus: quem utraque manu tenens: qui plurima longitudine pertentus usque ad coronam extenditur. Bootes poſt tergum maioris Arcturi videtur pedibus ad virginem verſis. Nam virgo ſub pedibus Bootis eſt conſtituta. Contra guttur vero et pedes anteriores urſae maioris*

*maioris in commiſſura Zodiaci atque lactei circulorum: gemini ſunt locati habentes a levo latere agitatorem cum hedulis duobus qui contra caput helicis capite verſo pede dextro ſiniſtrum cornu tauri tangere videtur. Iuxta geminos quo Zodiacus altiſſimus erigitur: contra ventrem urſae maioris cancer ſitus eſt: habens in dorſo Aſellos: albicante inter eos nubecula quae praeſepium appellatur. At contra pedes eiusdem urſae poſteriores inter cancrum et virginem Leo dicitur conſtitutus: Bootem habens iuxta ſe. Sub pedibus vero agitatoris Taurus iacet: uno pede protento ad Orionem: qui ſub illo eſt conſtitutus. Cepheus inter lyram et Caſiepiam medius expanſis brachiis: pedibus ad terga minoris urſae porrectis. Caſiepia contra volumen maximum ſeptentrionalis ſerpentis: inter agitatorem Perſeum Andromedam Cepheumque conſiſtit. In lacteo circulo inter piſces et Caſiepiam atque Arietem Andromeda locata eſt cum triangulo, quem poſt tergum habere dicitur. Caput verſum habens ad alvum equi: qui equus ſupra eſt poſitus. Aries in commiſſura Zodiaci atque aequinoctialis circuli ſub triangulo ſitus eſt. Habens ſub ſe cetum ad auſtralem partem. Ac proximum ei ſignum piſces duo: quorum alter in Aquilonem erectus: alter in auſtrum pronus. caudis tamen vinculo quodam connexis colligati ſunt. Aquilonius ad Andromedam extenditur. Auſtrinus ad Aquarium. Iuxta pedes autem Andromedae alterius Caſiepiae: Perſeus oſtenditur: Gorgonis caput manu ſiniſtra tenens: cuius ſub femore ſiniſtro iuxta caudam thauri pleiades videntur conſtitutae. Lyra vero inter levum crus herculis: et inter cygnum poſita eſt. Sed cygnus expanſis alis volanti ſimilis ad dextram manum Cephei dextram alam, ſiniſtram ad pedes equi porrigit. Inter piſces et equum et caudam Capricorni Aquarius eſt collocatus: aquam urna fundens, quae effuſio aquae ad magnum piſcem decurrit. In parte autem humillima Zodiaci iuxta Sagittarium atque Aquilam Capricornus in commiſſura hyemalis circuli ac ſigniferi ſitus eſt. Habet poſt ſe ſagittarium in commiſſura circulorum Zodiaci atque lactei ſub Delphino conſtitutum. Eſt et ſagitta quaedam ſola ſub cygno, iuxta Aquilam iacens. Supra Delphinus eſt poſitus, poſt caudam ſerpentis:*

*qui a ſerpentario tenetur. Sub ipſo autem Sagittario ſcorpionem dicunt eſſe locatum, ita ut a pedibus ſerpentarii tangatur: et habens ſub ſe Centaurum ad auſtralem plagam: beſtiam manu quaſi ad aram ferentem. Haec a quibusdam ſacrarium vocatur: et eſt contra ſummitatem caudae ſcorpionis ad auſtrum poſita. Brachia vero ſcorpionis locum obtinent, quae libram dicunt: in eo quod ſol Aequinoctium faciat autumnale. Hydra quoniam iacet et circulo aequinoctiali nimia longitudine protenta: capite cancro: medietate leoni: cauda virgini ſubiecta: corvum atque urnam geſtat in dorſo. At ſub pectore tauri Orion gladio accinctus conſpicitur: Lepori qui ſub pedibus eius eſt ſuppoſitus. Habet eum poſt veſtigia ſua quem Syrium: quemque caniculam appellant collocatum: cancri ſigno ſubiectum ante quem ſub geminis anticanem cognoſcere potes. Poſt caudam vero Syrii ad auſtrum navis quam Argo dicunt videtur effulgere. At ſub pede ſiniſtro Orionis fluvius quem Eridanus vocant, flexuoſo curſu prolabitur usque ad caetum. Caetus autem ſubiacet Arieti ac pedibus longiſſimo tractu. Poſt cuius caudam longo quidem intervallo ſub Aquario et Capricorno, piſcis magnus conſpicitur. Ultimum eorum quae videri poteſt, poſt ſignorum effuſionem urnae: Aquarii, quia ad ipſum usque decurrit, accipies.*" Haec igitur eſt particula illa, quae in Cod. illo Friberg. reperitur, et quam hoc loco non praetermittendam eſſe duximus. Ceterum an genuina ſit, quaeri poteſt. Non dubitandum eſſe dicit doct. W. primum, quia in Cod. ipſo nihil eſt, quod ſuſpicionem dubitandi poſſit iniicere, deinde quoniam orationis ſeriei eſt convenientisſima haec particula. Sed an hic totum opus abſolutum ſit, non audet certo affirmare. Etenim ex praefationis loco quodam, quem affert etiam, Hyginum, patere, multo plura tractanda ſibi ſumſiſſe; quae ſi perfecerit, operis integri partem minimam nobis ſupereſſe; hac vero particula, manifeſtum eſſe, librum aliquem operis abſolvi. In ſequentibus Codicem ipſum accuratius deſcripſit, cumque ex Saec. XV. initio eſſe ſuſpicatur, contulitque eum cum Editione Staveriana, et varias lectiones obſervavit. Ex eadem Biblic-

Digitized by Google

Bibliotheca nactus eſt Codicem ſcriptum verſionis germanicae N. T. in quo omnes libri canonici reperiuntur, quanquam ordine, a noſtro paullulum diverſo, adiectaque epiſtola ad Laodicenos, quae tum putabatur canonica. Factam eſſe hanc verſionem ex vulgata, facile quemque, ait, eſſe intellecturum, qui levem modo comparationem inter utramque velit inſtituere, ſed diſcrepare valde ab omnibus verſionibus Saec. XV. editis, huiusque initium vel potius XIV. finem ipſius aetati eſſe aſſignandum. Ceterum ſpecimina quaedam ex ipſa dedit et locum controverſum, 1 Ioh. V. in ea contineri, verſus 7. et 8. autem transpoſitos eſſe, obſervat. Cauſam huius transpoſitionis fatetur ſe ignorare doct. Auct. Fortaſſe ea fuit, quae iam dudum induxit viros doctiſſimos, ut exiſtimarent, verſum octavum ſeptimi loco eſſe ponendum, et ſeptimum octavi, videlicet, quoniam videtur orationis ſeriei et D. Ioannis menti convenientius.

Non poſſumus latius perſequi, quae docte diſputata ſunt p. 244. ſuper libro rariſſimo: Angeli C. N. Quirin. Sabini Paradoxa in Iuvenali, Romae 1474. p. 260. ſuper libro de Privilegiis et Indulgentiis Ordinis S. Antonii, p. 271. ſuper Darii Tiberti Epitome vitarum Plutarchi, p. 275. ſuper libro egregio Io. Staupitii de amore in Deum, p. 291. ſuper Bulla Clementis IV. Pont. Rom. de anno 1265. in qua continentur privilegia Ord. Fr. Praedicatorum, que Bulla ex Avtographo primum hic edita eſt, pag. 313. ſuper documentis quibusdam Burggraviorum Leisnicenſium et aliis eiusmodi rebus, ad quarum illuſtrationem multa egregie prolata ſunt, ex ſpecialisſimae hiſtoriae monumentis depromta, quae non poſſunt lectoribus eſſe admodum iucunda. Nec de reliquis quicquam poſſumus dicere, ſed praecipuam partem tantum nominabimus, atque vel hoc modo ipſius libri legendi cupiditatem excitabimus. Pag. 406. ſſ. exhibent notitiam de editione prima Plutarchi de viris illuſtribus, quam Cl. Auct. putat factam eſſe a. 1470. p. 537. differitur de libro Leonhardi Aretini de ſtudiis et literis, Lipſ. 1496. p. 539. de Iacobi

cobi Fabri Stapulenſis libro de Maria Magdalena , triduo Chriſti et ex tribus una Maria, Pariſ. 1518. p. 547. de Collectione Liberti, Epiſcopi Gericenſis, de Crucibus, Norimb. 1503. pag. 557. de Sebaſtiani Brant Collectione fabularum, Baſil. 1501. p. 627. de Cod. MS. cui titulus: Vetus Teſtamentum germanice ſcriptum et aliae hiſtoriae antiquae, in quo contineri, obſervat, nihil minus quam verſionem germanicam V. T. ſed narrationes ex ſcriptura V. T. ſumtas atque hiſtoriam et eccleſiaſticam N. T. et civilem usque ad Imperatoris Friderici II. tempora; pag. 704. de Anſelmi, Epiſcopi Cantuarienſis, libri editione rarisſima: cur Deus homo, qui liber diverſus ſit ab eo, qui inſcribitur: de Incarnatione Verbi.

In eiusmodi Collectione non poſſunt non quaedam occurrere, quae non omnibus placeant, aut ſemper loco ſuo dicta videantur. Sed nolumus durius haec examinare, in primis cum ſint eiusmodi, ut ſua certe amoenitate delectare posſint legentium animos. Cum vero videamus, finem impoſuiſſe huic labori S. R. Wellerum, nihil magis optamus, quam ut is, qui utilisſimi iucundisſimique laboris continuandi provinciam ſuſcepturus eſt, ſit eiusmodi, qualem deſcripſit in praefatione, hoc eſt, Wellero ſimilis.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Iulii Anno MDCCLXIX.*

*PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS, GIVING ſome account of the preſent undertakings, ſtudies, and labours, of the Ingenious in many conſiderable parts of the World. VOL. XLVIII. Part. I. for the Year 1753. reprinted according tho the London Edition.*

Wittenberg, by C. C. Dürr, Printer of the Univerſity, 1769. 1 Alph. 4 plagg. Tabb. aen. XII. quaternis.

Gaudet igitur ſucceſſu proſpero, quem ipſi nuper, menſe Novembri anni ſuperioris, fauſta eius primordia indicantes, precati ſumus, iterata Wittenbergae Transactionum Philoſophicarum, Londini quae publici iuris fiunt, editio. Pars enim Prior Voluminis XLVIII. vernalibus his nundinis noſtris, pro fide data, iam prodiit, eadem dignitatis atque elegantiae laude, ac Primum Volumen, meritiſſime mactanda; poſterior autem Pars, ſub Feriam Michaelis ſequutura, et prelum, et artificis manum, iam pulchre exercet. Quae vota ſua Editores in praemiſſa praefatiuncula repetunt, futurumque adhuc confidunt, ut in inſtituto ſuo, maioribus digno ac promovendo auſpiciis, efficacius



Digitized by Google

adiuventur, inprimisque auctior Subſcribentium numerus animos ipſis addat, et ſpem ſine damno evadendi ſuſtineat, ne laudata ſua virtus algere tandem cogatur, ac elangueſcere: ea certe ſummo iure faciunt. ſolo ducti provehendarum amore litterarum gloriae, quod aiunt, laudique viventes, non abdomini nati gurgites. Cuius ſui ſtudii novum etiam dant, permultis exoptatum, documentum, dum non modo, ad evitandas ambages omnes, tollendasque remoras, de quibus nonnulli apud ipſos conqueſti ſunt, ſe ipſos ad ineundum colendumque litterarum commercium, de procuranda ſubſcriptione ac transmisſione ſui Operis, officioſe obtulerunt; ſed etiam, in fautorum exterorum, Poloniam maxime, Rusſiam, Sueciam, Italiam, habitantium, gratiam, Subſcriptionis terminum ad proximas noſtras autumnales nundinas, primis conditionibus non mutatis, prorogatum volunt. Sincere nos, Dii veſtrs incepta ſecundent! addimus, nuperique memores promiſſi, potiora capita, quae hac in Parte continentur, breviter recenſemus. Conſpectus Operis, cum Additamentis, tribus exhibetur plagulis, ſub finemque adiicitur expoſitio Anglicae Societatis Regiae, de forma harum Transactionum mutata, quae exemplo Londinenſi Vol. XLVII. praemiſſa eſt. Complectitur autem.

## Claſſis I. MATHEMATICA.

Art. 40. pag. 273. IAC. DODSONVS, de *Logarithmis computo definiendis*, ſingularem exponit methodum, Logarithmos, Serierum auxilio, absque computo infiniteſimali reperiundi, atque coefficientes incognitas per ſimplices aequationes determinandi.

Art. 13. pag. 96. IO. ROBERTSONVS, de *linearum logarithmicarum* ad EDMVNDI GVNTERI *ſcalam conſtructione*.

Art. 29. pag. 190. IO. BEVISIVS *novam micrometri inventionem* GASCOIGNIO *denuo vindicat*. quam ipſi dudum TOWNLEIVS in Transact. Phil. N. 25. aſſeruerat, *de la* HIRE autem, repudiata fide, duumviris Gallis, AVZOVTO et PICARDO, in Memoir.

Digitized by Google

Memoir. de l'Acad. Roy. Ao. 1717. adſcribere tentaverat. Communicat enim cum eruditis epiſtolam ipſius GASCOIGNII ad OVGHTREDVM A. 1640. ſcriptam, obſervationes recenſentem bene multas, ope huius inſtrumenti, 40. annis ante Azoutum, inſigni cum perfectione inſtitutas.

Art. 26. p. 165. IAC. SHORTI *relatio de novi micrometri inventione*, SERVINGTONO SAVERIO *rurſus aſſerta;* quam BOVGVERVS ſibi tribuere viſus erat, A. 1748. in Ac. Scient. Pariſina deſcriptionem Heliometri, ex duobus vitris obiectivis conſtructi, proferens. De hoc enim auſu ubi SHORTVS A. 1752. forte inaudierat, rediit ipſi in mentem, SAVERIVM iam Ao. 1743. coram regia Londinenſi Societate de eiusmodi Heliometro diſſeruiſſe; cuius etiam inſtrumenti deſcriptionem ex tabulis publicis Reg. Soc. ſubiicit, adeoque SAVERIO inventionis gloriam indubitate recuperat.

Art. 27. p. 178. IO. DOLLONDI deſcriptio modi, angulos anguſtos dimetiendi, per SHORTVM communicata, emendationem ſiſtit Heliometri, ex vitro obiectivo diſtantiae focalis ſatis longae in duo ſegmenta aequalia diſſecti, quae machinamenti ope, in eodem plano, chordis ſeſe contingentibus, collocantur, et anteriori teleſcopii reflectentis vitro applicantur.

Art. 56. p. 368. SIMSONI *explicatio loci obſcuri in Commentario* ALBERTI GIRARDI *in Opp. Mathemat.* SIM. STEVINI, Lugd. 1634. p. 169. *occurrentis.* Docet GIRARDVS primo loco, proportionem ſegmentorum lineae in rationem mediam et extremam ſectae, per numeros rationales, ad veram proportionem proxime accedentes, determinare. Altero loco methodum diſquirit, qua ſeries fractionum rationalium exprimitur, cuius eſt ad radicem numeri dati quadraticam celerrima approximatio. Hanc ſeriem SIMSONVS analytice eruit et illuſtrat.

Art. 45. p. 301. *Obſervationes Aſtronomicae, Londini a* BEVISIO atque SHORTO *inſtitutae*, ope novi micrometri, ad tubum reflectentem bipedalem applicati, ad obſcurationem Ve-

 neris

Digitized by Google

neris per Lunam determinandam factae ſunt; pulchre docentes, quantum hoc inſtrumentum aliis antecellat.

Art. 47. p. 309. *Epitome binarum litterarum, ex China per Patr.* GAVBIL *miſſarum,* variis argumentis ad illuſtrandam veterum Sinenſium Aſtronomiam refertarum; qua occaſione Chronologia et Geographia, ut huius, ſic adiacentium regnorum, egregie illuſtratur, et nonnullae, Pekini ab Auctore factae, Obſervationes aſtronomicae communicantur.

Art. 30. pag. 192. IAC. SHORTI *Obſervatio de tranſitu Mercurii per Solem;* cui brevis deſcriptio Teleſcopii reflectentis Gregoriani praemittitur, ipſa dein ſequente accurata Obſervatione, d. 6. Maii 1753. comite BEVISIO facta.

Art. 48. p. 318. WILH. SHERVINGTONI *Obſervatio de tranſitu Mercurii per Solem, d. 6. Maii 1753. in inſula Antigua inſtituta.*

Art. 55. p. 361. IAC. SHORTI *Relatio de commentario, in Reg. Ac. Pariſina ab auctore, de* BARROS, *praelecto, phaenomena, Pariſiis circa tranſitum Mercurii per Solem obſervata, complexo.* Ut omnis iſthaec obſervatio SHORTI calculum non meruit, phaenomenis ſtipata minus probabilibus, procul dubio a defectu ſive viſionis, ſive teleſcopii, derivandis: ſic SHORTVS diu iam optavit, eiusmodi obſervationes poſt haec inſtrumentis ac teleſcopiis eiusdem longitudinis ac virtutis inſtituendas eſſe, ut ſingularum momenta tanto magis conſentanea acquirantur.

Art. 3. p. 17. GEO. COSTARDI *epiſtola de anno Eclipſeos Solaris, Ionibus ab* THALETE *praedictae;* quam, nova facta ſupputatione, ac ingenioſa comparatione, anno ante Chriſtum natum 603. ut BAYERVS *Comm. Petropolit.* T. III. p. 332. eveniſſe elicit.

Art. 33. p. 221. WILH. STVKELEY, *de eadem Defectione Solis, ab* THALETE praedicta, commentatiuncula; ad quam illuſtrandam, umbrae lunaris proiectionem Auctor ſubiunxit

Art.

Art. 23. pag. 155. GEO. COSTARDI *epiſtola ad* BEVISIVM, *de Eclipſi* cuius mentionem XENOPHON *fecit;* quamque eandem eſſe Auctor probabiliter contendit, quae centralis, Grenovici A. 547. A. N. C. viſa fuerit. Huic adeo obſcurationi Solis effectus non denegat, quos Xenophon ipſi tribuit.

Art. 2. pag. 5. SHORTI *relatio de* PAVLI FRISII *disquiſitione mathematica in cauſſam phyſicam figurae et magnitudinis Telluris noſtrae, Mediolan. 1752.* NEWTONVS, ſolius computi auxilio, rationem axis telluris ad diametrum quam proxime, ut 229 : 230. invenerat; quam ad minores numeros, maiorem ſignificantes rationem, nimirum ut 177 : 178. redegerunt CLAIRALTVS et BOVGVERVS, NEWTONI computo non ſatis fidendum reputantes. Recentisſime BOSCOVICHIVS hanc Gallorum menſurandi rationem, menſuris nimirum aliquot graduum meridiani circa aequatorem atque polum prorſus innitentium, dubiam, ad comprobandum NEWTONI computum prorſus non idoneam iudicat. Oſtendit igitur FRISIVS, totum diſcrimen Anglum inter atque Gallos ultra 60. perticas prodire non poſſe, cuilibet graduum menſurae errore 30. perticarum ſorte tribuendo: certisſimo indicio, theoriam atque obſervationes, quantum inſtrumentorum patitur perfectio, egregie conſentire.

Art. 10. p. 73. *Translatio atque explanatio quorundam capitum libri Gallici: Théorie de la figure de la Terre, par* CLAIRAVT. Auct. accuſationes FRISII aegro fert animo, et utramque theoriam conciliare nititur. Nunc finitis obſervationibus, ſub aequatore factis, atque cum illis MAVPERTVISII comparatis, ratio 178 : 179. reperta eſt, priori quidem paullo minor, maior tamen quam ex legibus theoriae eſſe oportet.

Art. 43. p. 287. *Epiſtolae variae, theorema* EVLERI, *de emendandis aberrationibus vitrorum obiectivorum in teleſcopiis refringentibus, explicantes.* Diſſenſio inter EVLERVM atque DOLLONDVM admodum frugifera facta eſt, et occaſionem in-

ventioni dedit, dioptricae tantum lucis atque perſpicuitatis adferenti, ut Dollondi nomen inſignem inde famam atque auctoritatem conſequutum fuerit; cuius rei quum in ſequentibus Tomis plenior occurrat commemoratio, plura nunc addere nil attinet.

Art. 14. p. 103. IO. DOLLONDI *ad* IAC. SHORTVM, cuius celebris et plane eruditi artificis iacturam d. 14. Iun. a. p. factam boni omnes lugent, *Epiſtola, de emendandis teleſcopiis refringentibus.* Hoc nobilisſimo invento, quo lentibus ſex, ſibimet invicem iunctis, aberrationes radiorum, quantum fieri potuit, correxit, et campum viſionis, etiam in tubis longioribus, reddidit amplisſimum, claritate et diſtinctione imaginis inſigniter adaucta, magnam ſibi ipſe DOLLONDVS comparavit nominis claritatem.

Art. 38. p. 261. T. MELVILLI *Epiſtola, de cauſſa refrangibilitatis radiorum lucis.* Impugnata NEWTONI ſententia, de particulis radiorum diverſae denſitatis, earum diverſitates potius a diverſa qua progrediantur et pellantur celeritate pendere opinatur, ad lumen Satellitum Iovialium, in emerſione aut immerſione varie mutatum et reflexum, inprimis provocans; cui tamen rei, gratis aſſumtae, obſervationes, ab SHORTO eum in finem accuratiſſime ſuſceptae, haud reſpondent.

## Claſsis II. PHYSICA.

Art. 15. p. 107. *Epitome obſervationum thermometricarum, ab* DEMIDOWIO *in Sibiria, Latitud. 59. A. 1751. inſtitutarum.* Ex notatis temperiei diverſis ſingulorum menſium gradibus pateſcit, ſummum gelu d. 9. Nov. 1751. mane hor. 7. accidiſſe, grad. therm. Lislian. 205. = Fahrenh. 034. Gradus thermom. Lisliani ad illos Fahrenh. et Reaumur. reducti ſunt.

Art. 16. p. 108. WILH. WATSONVS *comparationem inſtituit diverſarum obſervationum thermometricarum, in Sibiria factarum,* memoratque ex *Flora* GMELINI, multo maiores frigoris gradus, nempe 240. 275. et 280. compertos ibidem habe-

haberi; quod frigus longe illud exſuperat, ab Academicis Gallis ſub polari circulo, videlicet 70. Grad. Fahrenh. deprehenſum.

Art. 49. p. 320. *Relatio de ſtatu Barometri et tempeſtatis Dublini, a. d. 7. Mart. 1752. ad 28. Febr. 1753. per* IAC. SIMONVM exhibita. Recte uſus eſt A. Barometro ampliſſimo, tubi lumine quartam pollic. Lond. partem aequante. Media eius altitudo Dublini videtur 29″ 4‴ Lond. — Deſiderant hic Editt. curatiorem minorum pollicis partium deſignationem, quantitatem pluviae diurnam et annuam, ſtatas atque fixas inſtituendarum quotidie obſervationum horas, aliaque in diiudicandis ac comparandis tempeſtatibus uſum habitura momenta.

Art. 11. p. 86. BORLASII *relatio de tempeſtate, tonitru et fulguribus mixta, prope Ludgvan in Cornubia,* ex qua fere eluceſcit, fulmen ex concurſu nubium electricae et non electricae generari, columnam vaporum in aera elevatorum ſequi, et ſecundum venti directionem ferri.

Art. 41. p. 284. IO. LININGI litterae ex Carolina Amer. ſcriptae, de quantitate pluviae ab Ianuar. 1752. ad Decembr. 1753. Media eius qnantitas quotannis 48, 023. pollic. aeſtimatur, ex comparatione 15. annorum, ſc. 1738 - 1752. Semel intra 6. horas 9. pollices aquarum delapſi ſunt, eiusmodi cataclyſmis heic loci non ita raris.

Art. 1. pag. 1. HENRY *relatio de Vortice extraordinario, qui in comitatu Tyronenſi Hiberniae, d. 1. Oct. 1752. ſaeviit;* ſed nihil prorſus extraordinarium, potius maxime communes continet vorticum effectus, ut non aedificia tantum, arbores, acervos foeni turfique, deiiciant, ſed turres etiam, aggeres, immenſas interdum rupes evertant.

Art. 31. p. 201. WILH. WATSONI *relatio libri, cui titulus:* NOLLETI *litterae ad electricitatem ſpectantes.* His litteris plus ſatis nunc cognitis, monetur tantum, id MONNIERVM praeſertim ſuis effeciſſe experimentis, ut ſummi viri, NOLLETVS atque FRANCKLINVS, non ita amplius diſſentiant. Oſtendit enim,

enim, coelum, etiam non turbatum, materia gravidum electrica; nec dubium nunc eſt, acuminata corpora ad ſubducendam et imminuendam fulgurum materiem, idonea eſſe; quod olim iam, ardentia ſcipionum, pilorum, antennarum cacumina e longinquo oſtenderunt, recentisſime, proh dolor! funeſta RICHMANNO fulmina confirmarunt. Legi hic et conſuli poſſunt FRANCKLINI epiſtolae de Electricitate, cum commentario WILKII; BECCARIAE epiſtola, FRANCKLINVM fortiter defendentis, et TORB. BERGMANI Or. in *Promtuar. Suec.* Vol. I. 3. aliaque pasſim in *Promtuar. Hamburg.* congeſta.

Art. 52. p. 347. BENI. WILSONI *epiſtola de experimentis electricis, Pariſiis inſtitutis;* quibus nimirum liquide oſtendentibus, magnam partem materiae electricae ex ipſa terra venire, non in ſolo haerere aere, MONNIERVM alia ſentientem ſuas in partes facile traxit.

Art. 53. p. 350. IO. CANTORI *experimenta electrica, cum variorum explicatione phaenomenorum, et obſervationibus de Tonitru.* Varia primum experimenta cum pendulis electricis ſumta ſunt, ad negativam et poſitivam electricitatem ſec. FRANCKLINVM comprobandam; quae dein et nubibus ineſſe aliis experimentis docetur. Sub finem binae quaeſtiones expenduntur, de aere ſubito rarefacto, num ignem electricum producat, ſubitoque condenſatus, num eumdem ex nubibus maxime recipiat? deque aurora boreali, num eadem ex poſitiva et negativa electricitate intelligi ac declarari posſit?

Art. 57. p. 377. W. MAZEAS *Obſervationes de electricitate aeris, menſibb. Iun. Iul. et Octobr. 1753. in Caſtello Maintenon inſtitutae, ex Gallico translatae per* IAC. PARSONVM; Obſervationes ipſas anguſtia loci non capit; nec apparatus omnis commode deſcribi poteſt, qui cum filo ferreo ex cacumine caſtelli ad turrim oppidanam, 370. pedes longo, 90. ped. ſupra horizontem elevato, adornatus fuit. Didicit autem Auct. Obſervationibus VII. nubes tonitruales, filo ferreo accurate imminentes, vim electricam etiam funiculis ſericeis, illud ſuſtinenti-

Digitized by Google

tinentibus, communicaſſe; exemploque hominis, alius epileptici ictibus electricis nunc fortuito percusſi, reditumque paroxysmi perpesſi, quo ſe eodem modo, tempeſtate exoriente ac tonitru, perſaepe excruciatum fuiſſe adfirmavit, denuo probari, ac evinci, magnam utique convenientiam inter utrumque phaenomenon eſſe admittendam.

Art. 34. et 35. pag. 226. 238. c. Tabb. X. XI. RICH. POCOCKI *continuatio disquiſitionis de crypta Hiberniae, Giant's Cauſeway dicta.* Hiſtoriam huius cryptae, quam A. 1747. in his Transactionibus deſcribere coeperat, nunc conficit, adiectisque delineationibus, etiam Geographica, pulchre accurateque exprimit, quae de forma ac lateribus horum lapidum ac columnarum verbis difficilius explicanda videbantur. Hyalurgiae, addimus, hos lapides idoneos eſſe, et lagenis vitreis atri coloris conflandis.

Art. 37. p. 253. *Epiſtola Patr.* D'INCARVILLE, *Pekino Chinae transmiſſa, varia recenſens corpora naturalia*, in primis arbores, plantas, mineralia Chinae; ſed tum minus complete, tum, propter retenta Chinenſium nomina, minus intelligenter. Inter alia commemorat, ex Perſicaria maculata, quae eadem cum noſtra vulgari videtur, pigmentum confici, illi ſimile, quod Indigo dicitur, et communiter ex Anil, ſ. Indigofera planta, obtinetur.

Art. 46. p. 305. Litterae IO. ELLIS ad PETR. COLLINSONVM, *de Polypo racemoſo, Cuſter-Polype, in mari ad littora Groenlandiae invento.* In Zoophitis cenſentur polypi, magnamque cum plantis ſimilitudinem oſtendunt, quod nova hac ſpecie, hic deſcripta, et Tab. XII. pulchre delineata, confirmatur. Quum quilibet polypus, cum pluribus coniunctus, exterius octo brachiis fimbriatis ornatus ſit, Auctor probabiliter coniicit, ex hiſce inter ſe unitis animalculis, Encrinum, ſ. lilium lapideum, originem ducere.

Art. 18. p. 115. EIVSDEM *Obſervatio de Corallina*, ſpecie admodum mirabili, quam pro Americana habet, et Tab. V. eleganter delineari curavit; ex qua, quae ad eius habi-



Digitized by Google

tum ac ſtructuram pertinent, melius poſſunt cognoſci, quam multis verbis deſcribi. In primis notandum videtur, cellulas cum tubis communicare, verno tempore nigras oſtendere maculas, ſingularum orificium teneriori membrana tegi, maculas dein increſcere, in corpora ſphaerica teſtacea abire, eademque per membranam quidem erumpere, cellulae autem orificio per ligamentum quaſi umbilicale adfigi, teſtacea haec cum Nautilo proxime convenire, ſimiliaque in aliis Corallinae ſpeciebus indigenis inveniri, ſuamque iisdem originem, ex aſſertione Auctoris, ſemper debere.

Art. 17. p. 110. IO. WILMERI *Catalogus L. plantarum Horto Chelſeyano illatarum A. 1752.* more conſcriptus conſueto. v. Vol. 47. Addit. p. 33.

Art. 21. p. 140. GMELINI *Florae Sibiricae Tom. II. a* WATSONO *recenſitus;* quae praeſtantiſſima Flora, nondum, ut ſpes fuit, continuata, quum diu ſit notisſima, noſtra denuo commendatione non indiget. Conferri merentur *Comment. Lipſ.* Vol. II. p. 276.

Art. 22. p. 153. *Epiſtola* PHIL. MILLERI *de errore a* GMELINO *circa Sphondylium vulgare hirſutum C. Bauh.* commiſſo; cui plantae, tantam numquam proceritatem attingenti, Sphondylium Tranſylvanicum maximum, Ricini folio, a BREYNIO memoratum, potius ſubſtituendum aſſerit. Sed monent Editores, nondum conſtare, num Breynii planta diverſa ſit ſpecies, an vulgaris modo varietas; quia huius magnitudinem et ſuperficiem pro diverſo loco ludere, caulemque ad inſignem ſaepe altitudinem in humidioribus locis excreſcere, ipſi experti ſint: quare forſan etiam Breynii nomen nec GMELINVS, nec LINNAEVS, ſuis in ſcriptis commemoraverint.

Art. 54. p. 358. *Epitome epiſtolae* G. M. BOSII, *a* WATSONO *illuſtratae,* de Lanae illius ſpecie, ex muco viridi oriunda, quo poſt inundationes prata et humilia loca obducuntur, quaeque materies in piſcinis ſaepe et aquarum quieſcentium receptaculis reperitur; utpote quae, in primis Ao. 1752. in

Thu-

Digitized by Google

Thuringia copioſisſime inventa, Phyſicorum attentionem excitavit. Rectius videntur facere, qui hanc materiem ad vegetabile regnum amandant, et cum Watſono Byſſi ſpeciem eſſe, et cum Byſſo tenerrima viridi, volutum referente, DILLEN. *Hiſt. Muſc.* p. 7. convenire contendunt. Conferri poſſunt ZINKII *Leipzig. Sammlung.* et IO. MYLII *Phyſic. Beluſtig.* St. 18. cet.

Art. 19. p. 117. HENR. BAKERI *relatio de foſſilibus nonnullis ſingularibus,* Oxonii inventis, oſſeam referentibus ſubſtantiam, aſt nigris et friabilibus. Delineantur Tab. VI. et icones copioſa explicatione illuſtrantur, propterque tubercula, dentium ſimilitudinem referentia, ex animalis, aut piſcis forte cuiusdam capite originem ſumſiſſe Auct. coniicit, aliisque argumentis ſuam ſententiam firmat.

Art. 42. p. 286. *Epiſtola* DA COSTAE *de foſſili, Dudleii in comitatu Staffordienſi* invento, et in Transact. no. 496. ſub nomine *Scolopendrae aquaticae ſcutatae affinis animalis petrefacti* deſcripto ac delineato, quod, ad cruſtacea pertinere animalia, *et pediculo marino maiori trilobo* originem debere, Auct. oſtendit.

Art. 12. p. 94. IO. HENRY *Epiſtola altera de fonte cupreo Hiberniae.* Hiſtoriam huius fontis nuper (Vol. XLVII. Additam. p. 28.) coeptam, nunc porro illuſtrat finitque Auctor, novisque obſervationibus evincere ſtudet, ferrum, conſumtum plane, integre in cuprum converti. Sed mox ſequente

Art. 28. p. 181. IO. BONDII experimenta cum fonte hoc facta, et Obſervationes circa eundem inſtitutae, litteris PETRI THOMPSONI comprehenſae, magnopere diſſentiunt, oſtenduntque, ſimplicem praecipitationem male transmutationis ferri in cuprum nomine venire, ipſum autem fontem, ob medicas ac metallicas vires, utilem eſſe, neque veneni vim habere, quum ſine noxa bibatur, purgandi ac vomendi vim exerceat, acidum primarum viarum abſorbeat, exanthematicis



Digitized by Google

ticis medeatur morbis, additaque limaturae ferri portione aliqua, aquarum *Spadanarum* indoles ipſi concilietur.

Art. 8. p. 69. *Methodum, aquam marinam dulcem reddendi, ab* IOSEPHO APPLEBY *inventam*, novis experimentis illuſtrat, et CLARKII Pharmacopaei experimenta ſubiungit WILH. WATSONVS. Deſtillatur aqua marina cum lapide infernali et oſſibus calcinatis, ſicque depuratur, ut ſalem marinum amplius non contineat; quare inventor praemio propoſito ornatus eſt. v. Comment. Lipſ. Vol. III. p. 556. — Poſt haec HALESIVS methodum hanc ventilatione ſua perficere tentavit; de quo ſucceſſu Vol. XLIX. Art. 54. pluribus exponetur. Interea evolvi meretur *Promtuar.* Hamb. Vol. XVIII. p. 59. et 489.

Art. 25. p. 163. FRANCISCI HVME *Experimenta de conſervatione piſcium et carnium in aqua calcis;* quibus eadem, quae ALSTON et PRINGLE, expertus eſt, eo ſaltem diſcrimine, quod piſces diutius corruptioni reſiſtere, quam carnem bovillam, intelligeret, licet et illi molliores facti fuerint.

## Claſſis III. MEDICA.

Art. 4. p. 27. AMBROS. HOSTYI *caſus admodum notabilis oſſium diſtortorum ac emollitorum*, in Tab. I. depictorum, quem in femina Pariſina aetat. 35. ann. expertus eſt. Poſt perpeſſa varia mala, artuum dolores, incedendique ineptitudinem, ac lateris ſiniſtri debilitatem, urinam materia cretacea, cum acidis efferveſcente, ſaturatam emiſit, tantis excruciata diſtenſionibus, ut inferiores extremitates, ſenſim ſublatae, corpori tandem parallelae, recta extrorſum verti, et auribus utrisque fere admoveri potuerint; unde Auctor in eam devenit ſententiam, humores univerſos qualitatem contraxiſſe quaſi mercurialem, qua terrea oſſium ſubſtantia ſoluta, et cum urina tam copioſe excreta fuerit. Permiſſa cadaveris ſectione, oſſa durisſima, praeter dentes, ſcalpello pertundi potuerunt, loco medullae materia rubra, ut ſanguis coagulatus, et lata oſſa ſine diploe, reperta ſunt. — *Promtuar. Hamburg.*

Digitized by Google

*Hamburg*. Tom. XIII. p. 219. pleniorem huius caſûs expoſitionem vernacula noſtra Germanica exhibet, quam MORANDVS in Iournal des Savans, A. 1752. Dec. Art. III. cum orbe erudito communicarat, LIEVTAVDVS autem in *Hiſt. Anat. Med.* T. II. p. 348. ex Actis Pariſienſibus conciſe repetiit. Plura exempla HALLERVS in *Commentarr.* MORGAGNI de *Sed.* et *Cauſ. Morbor.* Ep. LVIII. HERISSANTVS aliique, congeſta habent.

Art. 44. p. 297. *Caſus de fragilitate, flexibilitate, et diſſolutione oſſium, deſcriptus ab* IO. PRINGLE. Femina innuba, omni tamen dedita intemperantiae, ad ann. aetatis 30. ſatis bene valens, tum dolore corporis, extremitates paullatim occupante, et febrilibus corripitur ſymptomatibus, poſt annum lectum forte petens, ſine omni violentia aut offenſione eundo crus frangit; ſed nullus deinceps, oſſa fracta coniuncturus generatur callus, mobilitas potius ac flexibilitas initio in femore, poſtea in ſpina dorſi, reliquisque omnibus obſervatur oſſibus, cum ſumma diſtorſione et contractione, adeo ut lecto perpetuo affixa haerere deberet, proceritate corporis ſubceſive a 5½ pedibus ad 3. ped. c. 10. pollic. reducta; remediis martialibus, adverſus morbi fomitem, acidae indolis habitum, nihil proficientibus. Permiſſa pectoris et abdominis poſt mortem ſectione, hepar praeſertim inventum mole ſua univerſum paene replens abdomen, lien contractus, oſſa flexilia, facile ſcindenda, corrupta intus, vix lamina ſuperſtite teſtam ovorum craſſa. A vitiata igitur medulla malum ortum; in oſſibus tamen neque alcali, neque acidum, Chemia detexit.

Art. 6. p. 42. IO. PRINGLE *Relatio de diverſis hominibus, in carcere publico Newgate opus facientibus, febre carcerum correptis*, modoque, quo infectio integrae cuidam familiae communicata fuit. Malignae huius febris natura alibi expoſita, merita ventilatoris *Haleſiani* nunc maxime commemorat, aeremque, in tubo ventilatoris collectum tam, putridum venenatumque exire, ſeptem hominum exemplis probat,

 qui

qui ex eius ſubito erumpentis invaſione, mox in nauſeas, cardialgias, ſuffocationes, malignasque febres, praecipitati ſunt, tanta huius effoeti corruptíque aeris efficacitate, ut unus ex his infectus univerſam familiam eadem contagione laederet." Conf. *Promtuar. Hamburg.* Vol. II. et ſqq Additur, alium Anglum, TID nomine, concinniorem excogitaſſe machinulam, nullo habitantium incommodo aerem ex ſumma conclavium parte per feneſtram educentem, facile et conſtruendam et parabilem, apud nos uſus nunc frequentiſſimi.

Art. 39. p. 270. IOS. WARNERI *caſus de operatione empyematis feliciter peracta*, qui in plerisque cum illo Articuli 66. Vol. XLVII. har. Transact. convenit, excepta inciſione, hic ſeptimam inter et octavam peracta coſtam.

Art. 24. p. 161. et 50. p. 322. SAM. SHARPIVS *de nova methodo aperiendi corneam, pro extrahendo humore cryſtallino*, c. Tab. XI. fig. 3. Auctor methodum DAVIEL, Art. 90. Vol. XLVII. nuper laudatam, emendaturus, paucioribus utitur inſtrumentis, corneam anguſto cultello, ut ex figura patet, incidit, forcipe lentem extrahit, ſpeculi uſum reprobat, et ſtaphyloma operationem ſuam numquam ſucceſſiſſe adfirmat; vulneratam tamen iridem magnam vim ſanguinis fundere et effectus magis ſiniſtros conſequi, ac Daniel perſuaſum ſibi habet, non reticet. De praeſtantia huius encheireſeos videri merentur *Mémoires de l' Ac. Roy. de Chirurgie*, T. II. p. 337. et *Promtuar. Hamb.* Vol. XXI.

## Claſſis IV. MISCELLANEA.

Art. 7. p. 55. WILH. BORLASII *relatio de magnis illis mutationibus, quas inſulae Sylley antiquisſimis temporibus, ratione numeri, magnitudinis, ſitus, perpeſſae ſunt.* Summam meretur fidem teſtis oculatus, has inſulas Ao. 1752. longe aliter comparatas, ac vulgo deſcribuntur, ſe vidiſſe aſſerens. Olim Caſſiterides dictae, nunc Sorlingenſes vocantur. In Tabula III. ſitus earum, cum magno numero ſyrtium periculo-

culoſiſſimarum, vulgo der Biſchoff mit ſeiner Cleriſey, dictarum, delineatus cernitur. Caeterum, ex antiquioribus STRABO, PTOLEMAEVS, PLINIVS, DIODOR. SICVLVS, ex recentioribus CELLARIVS, LHOYDIVS, ABR. ORTELIVS, SALMASIVS, BÜSCHINGIVS, conſulendi ſunt.

Art. 9. p. 71. *Epiſt. litterarum* CAMILLO PADERNI *de Antiquitatibus in Herculaneo reperiundis*, Neapoli 1752. datarum. Theſauros bene multos ac mirabiles, cuſtodiae ſuae creditos, quos recenſet, heic loci publicae luci exponere non poſſumus. Verſionem Germanicam harum litterarum *Promtuar. Bremenſe* Tom. I. exhibet, et Acta noſtra Ann. 1752. et 1757. GORIVM et BAYARDVM laudantia, commode evolvi poterunt.

Art. 5. p. 33. *Deſcriptio arae Romanae, cum inſcriptione, Eboraci detectae*, a FRANC. DRAKE, *ac brevi inſcriptionis explicatione, per* IO. WARD. Inſcriptionem Tab. II. Fig. 1. exhibet, docetque contra SPONIVM, Deas, Matres dictas, in ipſis Romanorum terris ac provinciis aliis fuiſſe cultas. Principem hic locum meruiſſe videtur Editoribus inſignis locus DIODOR. SIC. lib. IV. p. 194. cum commentario WESSELINGII; cui cumprimis ſociandus erat BANIERIVS in Diſſ. de *Deab. Matribus*. vide ſis *Mémoires de Litterature* Tom. VII.

Art. 51. p. 332. *Inſcriptio antiqua Romana lapidis, Bathoni inventi, ab* IO. WARDIO *explicata*, et Tab. II. Fig. 3. exhibita. Monimentum ſingulare et maxime ſepulchrale Auct. habet, quum pleraeque omnes Bathoni et in vicinia repertae inſcriptiones eſſe ſoleant ſepulchrales, et ad thermas ac balineas homines affectae valetudinis magno numero confluant, magnoque etiam numero ſepulchrum, loco ſalutis, inveniant. Iſtae vero Aquae calidae, ſec. LISTERVM, ab antiquiſſimis temporibus fuerunt celebratiſſimae.

Art. 20. p. 124. *Hiſtoriae Imperatoris* TETRICI, *per numos illuſtratae, Auct.* DE BOZE, *epitome per* IO. WARDVM. Numus aureus huius Imperatoris, merito in rariſſimis ac cariſſimis habendus, Numophylacio regio ab Auctore nuper illatus,

Digitized by Google

illatus, hic pulchre in aere expreſſus eleganter deſcribitur. Laureatus ſiſtitur *Tetricus*, vultu heroico venerabilis, toga palmata indutus, dextra ramum oleae, ſiniſtra ſceptrum gerens, cuius apici Aquila Romana inſidet, c. inſcriptione: IMP. TETRICVS AVG. — Pars numi averſa oculis non patet, numo capſulae aureae anſatae inflato. Ad illa excitata TREB. POLLION. verba: *Claudi Auguſte, Tetricus nihil fuit — aut nihil ſit, — aut nihil fecit* — SALMASIVS in *Hiſtor. Auguſta* allegari meruerat, qui poſtremam lectionem, ex optimo Codice Palatino depromtam, potiorem habendam eſſe probabiliter evicit.

Art. 32. p. 217. *Numerus incolarum urbis Briſtolienſis, tum ex catalogo mortuorum, tum ex numero aedificiorum, per decem annos a* BROWNINGIO collectus. Contendit Auct. in civitatibus maioribus incolarum partem viceſimam quintam quotannis decedere, et ex numero domuum incolarum numerum poſſe inveniri. Sed pauciſſimae dantur urbes, maiores, minores, in quibus cuique domui ſex incolae poſſint adſcribi

Art. 36. p. 239. *Convenientiam tabularum* HALLEYI *et notionum* BVFFONI, *ad ſtabiliendam regulam de probabili vitae hominis duratione, declaravit* KERSSEBOOM, *et ex Gallico transtulit* PARSONVS. BVFFONVM hac in tractatione ſolide refutat Auctor, et HALLEYI calculum ſimul vindicat.

Vol XLVII. Art. 21. p. 150. *Epitome epiſtolae, Neapoli miſſae, de Herculaneo, continens deſcriptionem loci, et quidquid ibidem inventum fuit*, lectae d. 18. April. 1751. Poſt nunc exactos 20. fere annos pauca reſtant nondum ſatis cognita. Attentionem meretur Theatrum, fere integrum detectum, nullis in eodem repertis mortuorum corporibus, quo fabula refellitur, de eo, interitus ſui tempore, ſpectatoribus refertiſſimo. De ſtatuis iudicatur, tanti illas eſſe artificii, ut tam pulchre delineari vix poſſint; de picturis, tamquam de viliſſimis cauponarum cimeliis; utrasque pingi ab artifice, arte ipſa exempla longiſſime exſuperante.

Eiusd.

Digitized by Google

Eiusd Vol. Art. 33. p. 216. THO. PERCIVAL *Obſervationes de Romanorum coloniis et ſtativis in Comitatibus Ceſtrienſi et Lancaſtrienſi, Tab. VIII. delineatis.* Non conſentit Auct. cum plerisque Antiquariis, nec cum itinerarii ANTONINI commentatoribus; WESSELINGII tamen merita in vetera Romanorum itineraria, Ao. 1735. edita, non commemorat. Locorum diſtantias milliaribus Anglicis deſcriptas contendit, et ab HORSLEYO diſcedit. Exemplis rem illuſtrat ex altero itinere p. 468. edit. WESSEL. et in tabula adiecta quaſi demonſtrat; in primis contra CAMBDENVM, *Contade* longe probabilius haberi *Kinderton*, quam *Congleton*, et ſ. p. neque adeo WESSELINGIVM ſequitur, neque illuſtratorem Britanniae Romanae, ab EDMVNDO GIBSONO ſplendide editum.

## *ADRIANI VAN DORP, ICTI, OBSERVATIONES ad quaedam Iuris Civilis aliorumque Auctorum loca.*

Traiecti ad Rhen. apud Abrahamum a Paddenburg, 1769. 11. plagg. 8.

Quae res maxime ornant officium eius, qui Critici partes ſuſcipiat, interiores litterae, lectio multa et varia, coniuncta cum iudicii ſubtilitate in veri falſive diſcrimine ſtatuendo, modeſtiaque in decernendo, et in diſſentiendo obloquendoque humanitas, illa denique temperantia, quae emendandi pruritum frangat magis et debilitet, quam foveat et alat: eas niſi Auctorem huius libelli, omnemque ipſius conatum et laborem inſtruere et regere dicamus, iniurii profecto et maligni ſimus. Namque Critices cautae, ſanae, ac modeſtae, eum regulas ſequi, teſtantur ea, quae in praefatione ſcripſit, in qua profitetur, ſe nihil prius et antiquius habuiſſe, quam ut integritatem verborum reſtituiſſe, non in elegantia quadam longius repetita et adſcititia ingeniolum oſtentaſſe,



Digitized by Google

taſſe, videretur. Et recte ſibi perſuadet, qui Auctores veteres ab inſulſis et importunis correctionibus liberet, eum non minus modeſti atque veri Critici officio fungi, et utilem operam praeſtare, quam ſi veterum loca a maculis, imperitia librariorum adſperſis, repurget. Hinc paſſim videas in hoc opere, in locis ab Interpretum ſupervacua criſi defendendis, fere rationes in medium productas cur vulgata lectio retinenda ſit, et ſaepe alios, qui ſimili dicendi forma utantur, allatos eſſe ſcriptores. Quam rationem, auctoritatibus etiam doctiſſimorum hominum, Bynkershoekii et Dorvillii, quorum teſtimonium laudat, fultam, intelligentiſſimo cuique quin probaturus ſit, non dubitamus. Capitibus XV totum opus abſolvitur. Latinis ſolum ſcriptoribus ſuum ſtudium dicat, inprimisque Pandectarum auctoribus, quos ſaepe invitos, multorum officio intempeſtivo, maleque ſedula cura agitatos, ad priſtinam ſcribendi libertatem, ſuique iuris formulam revocat, ſociumque ſe addit Püttmanno noſtrati, Viro Conſultiſſ. quem honorificentiſſime aliquoties nominat, in ſupervacaneis locorum emendationibus abſtergendis. Praeter hos, Hiſtoriae Auguſtae ſcriptoribus, Lucano, poetae, Grammaticis veteribus, Iſidoro, Nonio Marcello, Rhemmio Palaemoni, ceteris quibusdam promiſcue, medelam emendando praeſtitam vidimus; ingenio tamen fere ſolo, non librorum ope, quos, ſi commemorat interdum, ab aliis tamen collatos, non a ſe inſpectos, laudat. Ac quoniam difficile eſt extrahendis quibusdam eorum ſpecimina proponere, cum propter eligendi arbitrium, quod tanta in copia dubitatione cunctationeque frangitur; tum propter lectorum, quales plerique ſunt, noſtrorum faſtidium, quod ieiunitate tenuitateque rerum talium fere moveri ſolet, illibatas haſce dapes remittens iis, quos iſtis paſci epulis rident: ſufficit, has emendationes in univerſum laudare, et quasvis bonitatis notas, inprimis facilitatem, in plerisque agnoſci, affirmare. Sed tamen, ut et conſuetudini, quin etiam officio noſtro defuiſſe non accuſemur,

Digitized by Google

ſemur, et eorum, qui non alienis ab his litteris, noſtra haec, animis legunt, expectationi inſerviiſſe videamur, lubet quaedam ſub examen vocare, et oblata hac occaſione una *συμφιλολογεῖν*.

Locum Aelii Spartiani in Severo c. 18. attingit, et ita pag. 16. legit: *qui uxorem Iuliam famoſam adulteriis tenuit, et eam etiam coniurationis conſciam; vel ſic: q. v. I. f. a. tenuit, et eam coniurationis conſciam*: ſed quovis pignore contendamus, locum, ut vulgatur, nempe: *qui uxorem Iuliam famoſam adulteriis tenuit, etiam coniurationis conſciam*, ſaniſſimum eſſe, et Salmaſii molimina effugere omnino A. debuiſſe. Vocula, *etiam*, neſcimus quomodo minus commode poſita viſa ſit neceſſe eſt. Atqui ſic obviam habemus apud Horatium, cuius nunc opportune nobis in mentem venit locus IV. od. 6, 19. *Ille*

— — *Neſcios fari pueros Achivis*
*Ureret flammis, etiam latentem*
*Matris in alvo.*

in quo nemo offendit. Non agnoſcimus, quam eidem Spartiano in vita Peſcenn. Nig. c. 3. infert. pag. 18. emendationem, *in quo officio quod ſe honeſte geſſIT, iucundisſimum fuit Severo*, quod ita accipi vult, *gesſit, id i. f.* Videamus vulgatam: ſic autem illa, *in quo officio quod ſe honeſte gesſit, iucundisſimum fuit Severo*, quo nihil melius, et latinitatis rationi convenientius, nec opus aut Salmaſii *iucundisſimus*, aut noſtri inſertione τȣ̃ *id*. Omnino, quoniam Vir doctus hic valde iactat hoc remedium, quo, pictura litterarum diverſa, litterae, ſyllabae, quin et integrae voces geminantur, putamus id quidem quibusdam legibus, quas negligere nefas ſit, contineri, et cautione quadam iis, qui eo uti velint, opus eſſe. Arbitramur enim, ei locum non eſſe tum, cum, ut in his verbis, conduplicandae tali modo voces et ſyllabae, commate, vel alia interpunctione ſeparantur. Certe in Pandectis Florentinis, in quibus hoc ſcripturae compendio nihil frequentius, nusquam id factum meminimus. Deinde ſcribendi



Digitized by Google

dicendique elegantiae, quae absque alia norma ſolo ſaepe aurium iudicio cognoſcitur, ratio in his habenda. Quod utrumque cum non obſervaſſe reperiantur, qui, inprimis in Pandectarum locis, praeſertim obvio et expoſito ſcripturae, emendandique exemplo invitati, certatim utuntur, vanas ſaepe et ineptas tales eſſe correctiones nemo dubitet. Non erat p. 21. ſollicitandus Rhemmii Palaemonis in Different. Sermon. locus, ut legeretur: *Monſtrum quod contra naturam cognitam egreditur, ut ſerpens cum pedibus aut cum alis*; audiamus enim ut olim ediderat Dorvillius Obſerv. Miſc. Nov. T. IX. *Monſtrum quod contra naturam cognita* egreditur, *ſerpens c. p a, c. a.* Nihil in hac ſtructura verborum vitii, quibus dicitur monſtrum eſſe, *quod contra naturam* h. e. naturae legibus neglectis, *cognita*, i. e. uſu perſpecta, obvia, explorata, *egreditur*, i. migrat, ab iis recedit. In Spartiano autem, loco citato, cuius pag. 26. mentionem facit, *bibunt* cur manere non poſſit, quod mox de potatione ſequatur, et neceſſario aliquam correctionem in *nitent*, aut *vivunt* requirat, non videmus. Nam *bibere* et *potare* iunguntur etiam apud Plautum Curcul. Act. I. Sc. I, v. 88. quo loco ad diſcrimen horum verborum demonſtrandum utitur Auſonius Popma, noto de differ. Verborum libello. In loco autem Ulpiani L. 6. §. 2. D. ad Senatusc. Trebell. male damnaſſe virum doctum emendationem Rückeri Obſerv. p. 91. putamus, qua verba ita leguntur: *Sed eſt verius eoque iure utimur ut hoc Senatusconſultum ad inteſtatos quoque pertineat, ſive legitimi ſive honorarii ſint ſucceſſores: ſed et ad filium qui in poteſtate eſt. §. 2. Hoc Senatusconſultum locum habet et in c. n.* Nempe translocato paragraphi ſigno, cum antea verba, quae nunc novam paragraphum incipiunt, ſuperiori intexebantur, ſic: *Sed et ad filium qui in poteſtate eſt hoc Senatusconſ.* l. h. in quo ſane conſtructio vehementer vacillat. Nihili videtur emendatio Taciti Ann. IV, 34. in defendentis ſe Cremutii verbis: (*Titus Livius*) *Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabu-*

*vocabula imponuntur ſaepe, at inſignis viros nominat*, ſive ut H. I. Arntzenius vult, *ſaepe autem i. v. n.* Numme haec vulgata lectione melior ſit, quae ſic habet: *nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula* imponuntur, *ſaepe ut inſignis viros nominat*, i. e. ſaepe eorum tanquam inſignium virorum mentionem facit. Multo deterior vulgata in A. Corn. Celſi de Arte dicendi libello, qui tamen ab aliis Iul. Severiano adtribuitur, a Fabricio T. III. Bibl. lat. p. 760. inſerto, eſt eius a V. D. facta emendatio: *Qui vagi ac fuſi rapere potius affectus, quam diſputationibus perſuadere didicerunt.* Qui ad concinnitatem attenderit, facile perſpiciet, melius habere vulgatam lectionem: *rapere potius affectibus, quam diſputationibus perſuadere didicerunt.* Affectus enim intelligendi ſunt oratoris, Graecis πάθη. Deterior quoque quae pag. ſeq. 93. Lampridio in Alex. Sev. c. 4. fit emendatio: *Quum antea ſalutare principem non liceret, quod eos videre non poterant*, i. e. homines, prae vulgata, *quod eos videre non poterat*, in qua nec Caſauboni nec Gruteri offenſione turbati, ſecure *eos* intelligamus, *ſalutantes.* Sic Graecos poſt verbum praecedens ſaepe admittere ellipſin nominis cognati, Hemſterhuſium ad Ariſtophanis Plutum demonſtrare meminimus, et Valckenarium ad Euripidis Phoeniſſas — — pag. 9. Pag. 43. attingit locum Sulpicii Severi I, 34. *Mox a Domino monitus David regali unguento perlinit, parvum etiamnum puerum, ſub patre agentem, paſtorem ovium, adſuetum ſaepius cithara canere.* Iubet enim nos legere diſtinctione remota, *ſub patre agentem paſtorem ovium*, in quo ei non paremus. Sub patre agere ſc. vitam, eſt ſub manu, poteſtate paterna eſſe. Nullum quoque ſenſum idoneum elici poſſe ex iis, quae apud Scholiaſten Germanici pag. 132. ed. Sanctandr. leguntur ſcribit p. 147. verba autem ſunt: *Dicitur autem a Neptuno miſſus ad Cepheum propter invidiam Nereidis, a qua contra Caſſiopeiam et Andromedam exardeſcebat propter nimiam pulchritudinem:* ut igitur omnia probe conſiſtant, reponendum putat, *Nereidum quae contra C. et A.*

 *exar-*

*exardeſcebant p. n. p.* Sed vulgata tamen lectio ſententia non caret. *A qua* eſt, qua ſpreta, relicta; reliqua facilia ſunt. Sic Terentius Andr. A. 1. S. 1. 49. — *ita ut ingenium eſt omnium hominum ab labore proclive ad lubidinem.* Iam porro non agnoſcimus Plinio L. XII. cap. 1. illatam correctionem, cuius haec verba ſunt: *Singuli autem* (onagri) *feminarum gregibus praeſunt. Naſcentibus maſculis celant, et teſticulos eorum morſu detruncant: quod tamen caventes matres eos in ſecretis locis occultant.* Quaerit enim pag. 150. quid hic illud *celant?* lege: *naſcentes maſculos caſtrant;* ſatis pro imperio. Hoc ſi procedat, quorſum valebit quod ſequitur: *et teſticulos eorum morſu detruncant.* Cur igitur non *celant* feramus, nimirum ut dicantur gravidas feminas cuſtodire, ut videtur intellexiſſe Bochartus Hierozoic. P. I. L. III. c. 16. Legitur apud Nonium Marcellum cap. 4. n. 55. *Contari eſt dubitare* et *diſſipare;* ſcribit V. D. p. 152. non ſe videre, quaenam ſit inter *dubitare* et *diſſipare* convenientia. Recte. Nec nos videmus. Nihilo minus tamen nolimus cum eo legere *deliberare*, nam id nimis recedit. Verius forſitan *diffidere*, quod totidem litteris, et minima mutatione conſtat. *Cunctari* autem pro *diffidere*, *timere* dici, et Graeci verbi ὀκνεῖν uſus, de quo egit Ruhnkenius ad Timaei Gloſſarium, et iſta Ciceronis docent: *Cunctator eſſe noli, et illud* γνῶθι σεαυτὸν *non modo ad arrogantiam minuendam dictum puta, ſed etiam ut bona noſtra noſcamus.* Nec minus commode legerimus, *deſperare*, quod eodem redit. Quae autem in fine huius capitis, adeoque ipſius libelli, a pag. 153. de neſcio quibus tautologiis apud optimos auctores occurrentibus diſputantur, ea nec ſcribi, nec agnoſci poſſe videntur ab eo, qui ſatis ſubtiliter et eleganter de his iudicet. Velimus etiam, ut, quod inprimis a Critici perſona exigendum videtur, V. D. ſtilum ita temperaſſet, ut non tam crebro ab norma probae Latinitatis receſſiſſet.

*ANALE-*

Digitized by Google

## *ANALECTA MONUMENTORUM OMNIS AEVI Vindobonenſia, opera et ſtudio ADAMI FRANCISCI KOLLARII, Pannonii Neoſolienſis, Mariae Thereſiae Aug. a conſiliis, et Aug. Bibliothecae Vindobonenſis primi Cuſtodis. TOMUS I.*

Vindobonae, typis et ſumptibus Ioannis Thomae Trattner. Anno MDCCLXI. in fol.

Non diutius differre poſſumus recenſionem Operis, in quo tot tantique inveniuntur bonarum litterarum theſauri. Prius vero quam ipſam operis recenſionem aggrediamur, dicendum aliquid eſt de eo in univerſum, tituli que ratio explicanda. Quo in negotio ut Lectoribus ſatisfaciamus, initium ſumendum eſt a Commentariis Lambecianis, ab iisque totum Kollarii conſilium repetendum. Diverſa ſcilicet fuerunt eruditorum hominum de iſto Lambecii opere iudicia. Aequiſſime vero Cl. Editori iudicaſſe viſi ſunt ii, qui commentaria iſta multis παρέργοις, atque utilisſimis quidem, ſed parum opportunis acceſſionibus, onerata potius quam ornata eſſe exiſtimarunt. Fuit enim illud, monente Kollario, ſive temporis illius, ſive Lambecii ingenium, ut quamcunque rem haberet in manibus, in eam, quae ratione quapiam convenire viderentur, congereret comportaretque omnia, atque adeo plurima Commentariis ſuis infereret, quae ſeparato in volumine commodius fuiſſent reperta, et iucundius utiliusque lecta. Neque vero putandum eſt, digreſſiones iſtas exigui eſſe preti, imo vero ita eae a viris doctis fuere aeſtimatae, ut Muratorius, Pezius, Stadenius, opera ſua locupletarent eas, Monteſalconius vero in praefatione ad biblioth. Coisl. praeclaro fructu haud carere, ſcribere non dubitaret. Et doctisſimus Kollarius certum ſibi exploratumque eſſe fatetur, meliorem Commentariorum Lambecianorum partem, in his ipſis παρέργοις, in his digreſſio-

digreſſiónibus eſſe, atque hanc ipſam cauſſam fuiſſe, cur easdem diligenter collectas Voluinini huic includeret, *Analectorum Vindobonenſium* nomine inſigniret, typisque iterum vulgandas curaret. Gratiam igitur vir doctiſſimus apud aequos rerum aeſtimatores iniiſſe putandus eſt, quod tot praeclara veterum opuſcula, diſſertationes, additamenta Lambecii, in pluribus antea Voluminibus ſparſa, in unum corpus coegit, plurima praeviis monitis, adnotationibus, emendationibus, diligentius explicuit, vel correxit, prolatis denique quibusdam monumentis adhuc ineditis auxit. Iam vero progrediendum eſt ad ipſa monumenta hoc volumine comprehenſa. Sunt ea numero XXVI. quae ſingula paullo diligentius indicabimus.

I. Conſtitutiones fratris Gwidonis (tituli S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis et Apoſtolicae ſedis legati,) promulgatae in Concilio Provinciali Vindobonenſi, ſive Viennenſi in Auſtria, quarto Idus Maii Anno Domini MCCLXVII. Pontificatus Clementis IV. anno tertio. Hae conſtitutiones vulgatae ſunt poſt Lazium, Caniſium, Binium, à Lambecio in Commentar. Lib. II. cap. 3. a pag. 61. ea ex cauſſa, quod urbs Viennae in iis non per τὸ V ſed W ſcripta occurrit; unde facile intelligitur, quam gravem ſcilicet ob rem, quamque opportuno loco, eae a Lambecio fuerint editae. Poſt Lambecium denuo illas vulgarunt Harduinus, et Nicolaus Coletus. Doctiſſimus igitur Kollarius ſeptimo eas recudi hoc Volumine curavit. Neque vero neceſſe eſt plura de his conſtitutionibus monere, quum ſaepius fuerint editae, virisque doctis ſatis ſint notae.

II. Decreta Canonica, a fratre Gwidone, tituli S. Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali, ex Concilio Provinciali Viennenſi, anno MCCLXII. celebrato, Hungaris data. Decreta haec primus in lucem protulit Lambecius, Commentar. Lib. II. cap. 3. a pag. 68. unde ea ſecundo Harduinus

nus vulgavit, et ex hoc Coletus, et Carolus Peterfy in Provincialibus conciliis regni Hungariae, ediderunt.

III. Rationarium Auſtriae et Styriae, ab Helwico Thuringo, Ottocari, Regis Bohemiae, Ducis Auſtriae et Styriae, et Marchionis Moraviae, Notario; partim ſub ipſo rege Ottocaro anno 1265. et 1267. partim autem poſt annum 1273. ſub Rege Roman. Rudolpho primo compoſitum. Et in hoc Rationario urbs Vienna per τὸ W non V ſcribitur, idcirco toto libri ſecundi capite quarto recenſuit id Lambecius, quam recenſionem Cl. Kollarius hic inſerendam curavit. Dedit vero Lambecius non niſi utriusque Rationarii initium, praemiſſa brevi introductione. Utriusque editionem Gentilottus et Neſſelius olim receperant, et profecto digna iſta Rationaria dicit eſſe Kollarius, quae ad non modicam illuſtrationem tam chorographiae utriusque principatus, quam familiarum, conſuetudinum, monetae, iudiciorum, aliarumque antiquitatum iſtarum regionum, in lucem aliquando emittantur.

IV. Statuta et privilegia inclytae Academiae Vindobonenſis. Horum a Lambecio ἀκαίρως editorum eadem illa ratio fuit, quam praecendentium fuiſſe diximus. Privilegia haec et ſtatuta, quae Lambecius Lib. II. cap. 5. ex duobus codicibus MStis Caeſareis edidit, duplicis ſunt generis; alia pontificia et Caeſarea, alia generalia et particularia. Recuſa iterum ſunt, ex hoc Lambecii exemplo, Vindobonae. Neque iſta ſtatuta legiſſe aliquem poenitebit; ex iis enim, quae fuerit vera Vindobonenſis academiae origo, quibus ea ab initio legibus et privilegiis ornata fuerit, optime perſpicitur.

V. Statuta et privilegia Academiae Vindobonenſis recentiora, ſive Sanctio Pragmatica Friderici II. Imperatoris. Recentiora iſta Academ. Vindob. ſtatuta, ad preces multorum, in lucem protulerat Lambecius, in Appendice Libri

ſexti Commentar. Additam. III. Monuit quaedam de iis Cl. Kollarius, quae ſcire non inutile erit. Anno ſcilicet 1551. Ferdinandus I. Patres e Societate Ieſu Viennam acceſſiverat ea mente, ut ſubſidiariam Academiae operam docendo navarent, adſignatis eisdem duabus primariis lectionibus, ſeu Profeſſuris theologicis, in perpetuum. Anno 1623 Ferdinandus II. praeſenti ſanctione pragmatica Patres e Societate Ieſu memoratae Academiae innexuit, et cum ea in unum veluti corpus redegit ac conflavit, data illis ampliſſima poteſtate docendi litteras humaniores, linguam Latinam, Graecam, Hebraicam, Philoſophiam denique omnem ac Theologiam, minime tamen a legendo excluſis Theologiae profeſſoribus aliis, qui ex veteri inſtituto prius docuerant. An vero hac ſanctione, id quod ea ſpectabat Imperator, publicae ſcilicet utilitatis incrementum, effectum fuerit nec ne, id Cl. Editor aliis iudicandum relinquit.

VI. Recenſio Statutorum et Privilegiorum regiae Academiae Pariſinae. Vindobonenſem Academiam Statuta ſua a Pariſina accepiſſe, monet Kollarius. Inde Lambecio, Libro Commentar. ſecundo, ratio ſufficiens viſa eſt, de illius quoque Academiae privilegiis et Statutis agendi. Exſtant ea in duobus codicibus manu exaratis, qui in bibliotheca Vindobonenſi inveniuntur. Lambecius unius tantum codicis recenſionem dedit, variantibus ſolummodo lectionibus ex altero decerptis. Kollarius autem, relicta Lambecii recenſione, ex altero quoque codice monumentorum integrum catalogum exhibuit. Et digni profecto erant iſti codices, qui diligenter excuterentur, cum multas alias ob cauſas, tum quod inter omnia iis comprehenſa Diplomata nullum anno 1199. ſit antiquius. Quo lubentius accedunt viri docti ſententiae, fundationem Pariſienſis Academiae, (ſi nomine academiae intelligatur non quodcunque collegium litterarium, ſed tale duntaxat, in quo per ſpecialem principalis privilegii praerogativam, quatuor, ut vulgo vocantur, Facultates florent,

rent,) perperam tribui Imperatori Carolo M. revera autem attribuendam eſſe partim quidem Regibus Galliae, Ludovico VII et filio eius Philippo II. partim vero etiam celeberrimo Theologo Petro Lombardo, qui ſub duobus illis regibus Epiſcopatui Pariſienſi praefuit.

VII. Recenſio quatuor et viginti manu exaratorum codicum Caeſareorum, ad vitam et res geſtas Caroli M. pertinentium. Noſtra quidem ſententia, haec, quae iam ex Analectis Vindobonenſibus indicamus monumenta, Carolum M. ſpectantia, omnium ſunt praeſtantiſſima. Hic Theologi, hic ICti, hic hiſtorici, hic critici, plurima invenient lectu iucundiſſima. Sed non neceſſe eſt commendare monumenta, ex Commentariis Lambecii abunde iam nota. Non tamen ſilentio praetereundae ſunt obſervationes, quibus Lambecianae codicum iſtorum recenſiones ornatae ſunt, ſed quaedam earum in medium proferendae. Ad recenſionem ſecundi inter codices ad vitam Caroli M. pertinentes, Editor eum Gentilotto, cuius verbis atque auctoritate ſaepius utitur, in nota quadam adverſus Lambecium oſtendit, librum Sacramentorum, qui in iſto codice comprehenditur, non eſſe eum, quem Hadrianus Pontifex Rom. Carolo M. miſit. Agnoſcit quidem Gentilottus codicis praeſtantiam, ſed ita, ut illius aetatem Saeculo nono putet circumſcribendam. Facta enim eſt in Sacramentario Caroli M. ut *Imperatoris* mentio, adeoque codex poſt delatum demum Carolo M. imperium, atque adeo poſt mortem Hadriani, exaratus eſt. Quae ad recenſionem tertii monumenti ad Carolum M. pertinentis, codicis nimirum, ut vulgo vocatur, Carolini, monuit Cl. Kollarius ea valde placent. Scilicet brevem accuratamque illius hiſtoriam dedit, ei, qui in hiſtoria non plane hoſpes eſſe velit, ſcitu admodum neceſſariam. Inter alia, iſtius codicis editionem a Paſſioneo, Viro ſummo, coeptam commemorat. Sed ſciendum eſt, laborem hunc a Paſſioneo non fuiſſe abſolutum. Enimvero, eo ipſo fere quo haec Anelecta vulgata

 ſunt,

Digitized by Google

ſunt, tempore, Codicem hunc Carolinum *Caietanus Cenni* in Monumentis dominationis pontificiae, auctore ſuaſoreque Paſſioneo, accuratiſſime edidit. Si quis igitur optimam Codicis Carolini editionem inſpicere velit, laudatus Cennii liber conſulendus eſt. Quum recenſio ſeptimi Codicis ad Vitam Caroli M. pertinentis, non valde diligens ſit, recte fecit Kollarius, quod in notis diligentiorem eiusdem codicis recenſionem, a Gentilotto factam, appoſuit. — Nonus codex continet vitam Caroli M. ab Anonymo quodam auctore ſub Friderico I. Imperat. circa an. 1165. conſcriptam. In nota, Lambecianae huius codicis recenſioni adiecta, cum Gentilotto obſervat Kollarius, non animadvertiſſe Lambecium, non modo praefationem generalem iſtius codicis, ſed et eius fragmenta quaedam, ex codice coenobii Corſendoncani, prolata fuiſſe a Bollando ad diem 28. Ianuarii. Accidit quoque Lambecio, ut codicem decimum quintum, Annales Francorum continentem, pro nondum edito cenſeret. At enim vero, monente Gentilotto, iſtos Annales diu ante Lambecium, ex codice Bibliothecae Regis Galliae, vulgaverat Quercetanus, Scriptor. Hiſt. Franc. Tom. III. pag. 504. In Codicis undevigeſimi recenſione, qui vitam Caroli M. ab Eginhardo ſcriptam continet, optabat Lambecius, ut iſtius codicis exemplum manu ſcriptum cum impreſſis editionibus accurate conferretur. Idem et optabat, propter codicis probitatem, Gentilottus. Quorum votis ſatisfacturum ſe eſſe promittit Kollarius. Atque iſtis promiſſis ut ſtet vir doctiſſimus, vehementer optamus. Appendicem codicis vigeſimi, vitam Ludovici pii continentis, ſe in alio ullo libro invenire haud potuiſſe, fatetur Lambecius. At reperiri potuiſſe opuſculum in Scriptoribus Rer. Germ. a Culpiſio editis, bene monet Cl. Kollarius. Quae Lambecius ad Codicem vigeſimum ſecundum, Biblia Latina ſtudio Radonis a. 795. exarata, docte monuit, iis multa addidit Cl. Kollarius, ex commentariis Gentilottianis deſumta, quae, quum dili-

gen-

gentiſſimam huius codicis recenſionem exhibeant, lubentiſſime legimus.

VIII. Ex hiſtoria Auſtriaca hactenus inedita *Henrici Gundelfingii*, Pars tertia typis a Lambecio vulgata, cum appendice de ſucceſſione comitum Teriolenſium. Ad huius codicis recenſionem haec fere notavit Cl. Editor, eſſe eum ſub initium fabulis iam exploſis refertum, mirari tamen ſe, iſtam hiſtoriae Auſtriacae partem Scriptoribus rerum Auſtriac. non inſertam, atque ab Hieronymo Pezio, poſt alia ex Commentariis Lambec. edita, aut non viſam, aut neglectam fuiſſe. Et veriſſimum profecto eſt, ſi fabulas quasdam exceperis, egregiam, huius libri ope, hiſtoriae Auſtriacae lucem affundi poſſe.

IX. Ill. Viri, *Io. Iac. Fuggeri*, deſcriptio Germanica praelii Granſeenſis, a Lambecio in Latinum ſermonem converſa, in qua celebris fit memoria cimeliorum *Caroli Pugnacis*, Ducis Burgundiae. Ornatum eſt hoc opuſculum tribus tabulis aeneis, in quibus cimeliorum, Carolo Pugnaci, Burgundiae duci, in praelio Granſeenſi 1476. ereptorum, imagines conſpiciuntur.

X. Vetuſta quinque monumenta, ad hiſtoriam celeberrimi in Inferiori Auſtria Mellicenſis coenobii Ordinis S. Benedicti pertinentia, videlicet: 1) Hiſtoria martyrii et miraculorum S. Colomani; 2) Hiſtoria de beato Gothhalmo; 3) Hiſtoria de particula S. Crucis, quae in coenobio Mellicenſi adſervatur; 4) Hiſtoria fundationis coenobii Mellicenſis; 5) Epitaphia Marchionum et Marchioniſſarum ex ſtirpe Babenbergia, quorum oſſa in coenobio Mellicenſi ſecundum divini Servatoris adventum exſpectant. Haec hiſtoremata, poſt Lambecium, monente Cl. *Kollario*, vulgavit *Anſelmus Schramb*, in opere quod Chronicon Mellicenſe inſcripſit; autem multo diligentius edidit *Hieron. Pezius*, in



Digitized by Google

Scriptoribus Auſtriacis. Quod autem auctorem primi opuſculi attinet, recte cum quibusdam obſervat *Kollarius*, male ſtatuiſſe Lambecium, Erchinfridum eorum ſcriptorem, S. Colomani aequalem, fuiſſe, cum ille integro Saeculo, eoque amplius, poſt hunc vixerit.

XI. Theodorici Thuringii, de vita, morte, miraculis, S. Eliſabethae Appendix. Quae ab Theodorico Thuringio, Eliſabethae, Ludovici Pii Thuring. et Haſſ. Landgrav. uxoris, ſcripta eſt hiſtoria, eam omnium primus edidit Henricus Caniſius in antiqu. lect. Sed obſervavit Lambecius, codicem huius hiſtoriae Viennenſem, appendice illa, quam iam indicavimus, eſſe auctiorem; quin Gentillottus monuit, non ea illum duntaxat parte ampliorem, ſed integro libello de miraculis S. Eliſabethae, ſumto ex Conradi Marpurgeri libello, a Leone Allatio in Symmictis Lib. I. a pag. 269. edito. Haec ſi nota fuiſſent tum Cl. Basnagio, antiquas Caniſii lectiones denuo edenti, tum Schwandtnero, Scriptores Rerum Hungar. in bibliotheca Viennenſi indaganti, procul dubio eruditos in uſus iam pridem fuiſſent converſa.

XII. Vetuſtae memoriae hiſtoriam monaſterii Cluniacenſis in Gallia, et Gemblacenſis in Brabantia, illuſtrantes, videlicet: 1) Officium eccleſiaſticum in honorem S. Morandi, monachi Cluniacenſis, cui intexta eſt eiusdem Sancti vita, ab anonymo quodam, et, ut videtur, coaetaneo ſcripta, et in lectiones ſex diviſa. 2) Narratio de elevatione corporis S. Guiberti, ſive Wiberti, fundatoris Coenobii Gemblacenſis, compoſita a Sigeberto, monacho Gemblacenſi: cui iunguntur diplomata duo Ottonis I. Imp. et Benedicti VII. Pont. Max. de privilegiis monaſterii Gemblacenſis. 3) Narratio incendii, quo anno 1137. Gemblacenſe monaſterium conflagravit.

XIII. Vita S. Remigii Archiepiſcopi Rotomagenſis. Haec vita quum nec in Martyrologio Rom. nec in Ferrarii catalogo

Digitized by Google

catalogo generali Sanctorum, nec in Laurentii Surii Sanctorum hiſtoriis, nec in Io. Bollandi et Godefredi Henſchenii Actis Sanctorum occurrat, digna viſa eſt Lambecio, quae in lucem proferretur, et Kollario, quae in Analectis his locum obtineret.

XIV. Vita S. Firmini, Epiſcopi et Confeſſoris. In eodem, quo S. Remigii vita, codice exſtat, invenitur quoque, monente Kollario, Firmini vita, cuius feſtum celebratur Ucetiae in Gallia Narbonenſi. Diviſa autem eſt in novem lectiones; et quoniam non exſtabat apud Surium, integra a Lambecio edita fuit libro comment. II. excepta duntaxat lectione ſeptima, quae in exemplo Caeſareo deſideratur.

XV. Calendarium Rom. ethnicae vetuſtatis, ſub Imperat. Conſtantio, Conſtantini M. filio, circa annum 354. compoſitum, et Valentino cuidam dedicatum. Lambecius putabat, eum, in quo Calendarium hoc continetur, codicem, eundem eſſe, quo olim in conficiendis in Chronicon Caſſiodori commentariis Cuſpinianus uſus fuerit. In quo erraſſe Lambecium Gentilottus arbitratus eſt. Sed docte illum contra hunc defendit Cl. Editor, cuius eruditam ſuper hoc Calendario disquiſitionem lubenter legimus. Adiectae etiam ſunt Lambecianae Calendarii iſtius recenſioni imagines Menſium eo pertinentes, ſumma diligentia delineatae, atque aeri inciſae.

XVI. De Carnuto, deque priſcis eius urbis reliquiis a Lambecio detectis. De Carnuto, nobili olim ſuperioris Pannoniae urbe, diſſentientes Lazii et Cluverii rationes ut expenderet Lambecius, monente Kollario, plus vice ſimplici Hamburgum Auſtriae, in ruderibus Romani Carnunti ſitum, adiit, cui diligentiae meletema, cuius titulum poſuimus, debetur.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Charta Ravennenſis. Hanc chartam, docente Kollario, in arce Ambroſiana apud Oenipontum in Terioli reperit olim Lambecius, ſed ea tam intricata lectuque difficilis erat, ut neque intelligi, neque legi poſſet. Eruditiſſimus Mabillonius, in opere de re diplomatica p. 460. hunc Lambecii nodum Gordium non ſecuit, ſed ſolvit. Nam, tradente porro Kollario, non dictam modo chartam, a Lambecio Chalcographi opera evulgatam, iterum edidit, ſed, quae ſumma rei erat, legit etiam, et quam utilitatem ferret doctis annotationibus oſtendit, *Ravennenſis* denique nomen indidit. Scriptura eſt Italico-Gothica, et inſignem venditionis formulam continet. *Ravennenſem* appellavit a loco ubi ſcripta eſt ɪɔɪv. Hoc, inquit Mabillonius, autographo vix ullum antiquius invenire hactenus licuit.

XVIII. Celeberrimorum Virorum, *Augerii Busbeckii*, *Ioannis Sambuci*, *Henrici Savillii*, ad *Hugonem Blotium*, Aug. Biblioth. praefectum, epiſtolae quaedam, quibus acceſſit una I. A. *Saraceni* ad *Sambucum* de Dioſcoride Graece et Latine edendo, adhuc inedita. Multa profecto his epiſtolis inſunt, quae legiſſe neminem poeniteat. Nam quod ex iis praecipue ad illarum lectores redundat commodum eſt hoc, quod earum ope variae res, ad viros qui eas ſcripſerunt, iſtudque quo vixerunt aevum pertinentes, perſpici illuſtrarique poſſunt. Nec minorem utilitatem habent.

XIX. Clariſſ. Virorum, *Petri a Valle*, *Thuani*, *Scheilderi*, *Ducaei*, *Sirmondi*, *Savillii*, *Darimplii*, et *Holſtenii*, ad *Sebaſtianum Tengnagelium*, Aug. Bibl. Praefectum, Epiſtolae. Ex epiſtolis his, partim incredibilis in cultu et ſtudio orientalis philologiae *Tengnagelii* ardor elucet, partim multa de egregio codice MSto Caeſ. Nicephori Calliſti, quem *Tengnagelius Frontoni Ducaeo* Lutetiam Pariſiorum miſerat, lectu non iniucunda, cognoſci poſſunt.

XX.

Digitized by Google

XX. Priſca quaepiam monumenta, ex quibus dilucet, illuſtrisſimam gentem Fürſtenbergiam Rudolpho I. Imper. Auguſtaeque eius domui cognatione iungi. Mirum Lambecii in edendis biblioth. Vienn. Commentariis παρέργων ſtudium, ſi ex quo alio eius opuſculo, certe ex hoc apparet, quod adeo iure huic Analectorum Volumini inſertum eſt. Scilicet, Lambecius ad epiſtolas, de quibus ad num. XIX. diximus, monuerat, Codicem MStum Nicephori Calliſti duodecim fere annis in Gallia haeſiſſe, nec prius quam a. 1627. cura Illuſtriſſimi Comitis de Fürſtenberg, ex legatione Gallica Viennam reducis, Bibliothecae Caeſareae redditum fuiſſe. Ut igitur gratum, Bibliothecae nomine, erga Illuſtr. domum Fürſtenbergiam teſtaretur Lambecius animum, ea memoriae prodidit, quae hic num. XX. apparent.

XXI. *Lucae Holſtenii*, Vaticanae Bibliothecae Praefecti, ad Petrum Lambecium nepotem ſuum, Epiſtolae duae et viginti. Ex his epiſtolis ſtudioſa litterarum iuventus, ſi legere iſtas voluerit, utilitatem capiet non contemnendam. Etenim et litterarum feliciter tractandarum, et itinerum adquirendae eruditionis exquiſitioris cauſa inſtitutorum ratio, tam egregie oſtenditur, ut nullum fere ſciamus librum ea de re tam accurate, tam ſuaviter tradentem, quam haſce quidem epiſtolas.

XXII. Doctiſſimorum Virorum icones et vitae, compendio exhibitae, qui Saeculo decimo quinto, poſt captam a Turcis Conſtantinopolim, litteras Graecas Italiae intulerunt. Recte vero monuit Cl. Editor, dignos eſſe viros hos longe eruditisſimos, quorum memoria ad poſteros propagetur; hos enim florentium per Europam litterarum, fructusque inde in omni vita pervenientis uberrimi, ζώπυρον σπέρμα iure dici.

XXIII. Sinarum ſcientia politico-moralis, ſecundum authenticum exemplar a R. ac Cl. Viro *Proſpero Intorcetta*,

Siculo, e Soc. Ieſu, partim quidem anno Chriſti 1667. in urbe Quam-Cheu, Metropoli Sinenſis provinciae Quam-Tum; partim autem a. 1669. Goae in India intra Gangem, primum in lucem editum. In hoc monumento praecipue animadvertenda eſt narratio vitae Confucii, quam ex ipſis antiquis documentis Sinicis deſumtam, una cum *Sinarum ſcientia politico-morali*, hic Proſper Intorcetta S. I. latino ſermone edidit.

XXIV. Specimina veſtitus Sinici virilis et muliebris: virilis quidem *Xun Chi*, Tartarorum ac Sinarum Regis, item Cl. ac R. Viri *Io. Adam. Schall*, Colonienſis, Regis Chinenſis Monitoris, e S. I. muliebris autem illuſtri cuiuspiam matronae Sinenſis, potionem ex herba Thee decoquentis, adſtante puella, et focum flabello excitante. Quum in opere Sinico Latino, de quo paullo antea ſermo fuit, *Xun-Chi*, Tartarorum ac Sinenſium Regis, et *Io. Adami Schall*, e S. I. frequenter fieret mentio, placuit Lambecio utriusque imaginem exhibere, ſumma diligentia et fide delineatam, et aeri inciſam, ſecundum authenticas tabulas pictas, quae Leopoldo I. ex ipſo Sinarum Regno transmiſſae fuerant. Addidit etiam propter eos, qui talium rerum curioſi ſunt, ex elegantisſima Biblioth. Caeſar. tabula Sinenſi, imaginem veſtitus Sinici muliebris. Et quum Cl. Kollarius παρέργοις haec ad numeraret, cum ipſas imagines diligenter ſculptas, tum Lambecianam deſcriptionem earum, Analectorum operi recte inſerendas cenſuit.

XXV. Res hiſtoriae naturalis quaedam, videlicet dentes, gigantaei vulgo dicti, re ipſa λιθώματα, ſive corpora alia, aut dentes animantium, in lapidem maiori mole indurati; frumentum trecentorum et amplius annorum; pullus gallinaceus biceps. Variae hic ex hiſtoria naturali res memorabiles narrantur, effigieque ſua proponuntur, quas praecipue naturae ſcrutatoribus iucundas fore arbitramur.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. M. Grunnii Corocottae Porcelli Teſtamentum. Sciendum eſt, teſtamentum quoddam Aſini vulgaſſe Lambecium, argutias ruſticas et verniles potius, quam impias continens. At quum id vitio illi a quibusdam datum fuiſſet, horum gratia teſtamentum Corocottae Porcelli edidit, atque eruditisſimis adnotationibus illuſtravit.

Et haec ſunt documenta primo hoc Analectorum Vindobonenſium Volumine comprehenſa. Dignus profecto eſt Kollarius V. ill. qui propter laborem in edendo Opere iſto collocatum laudetur celebreturque.

## *ADRIANI KLUIT VINDICIAE ARTICULI ὁ, ἡ, το, in Novo Teſtamento. PARS PRIOR, TOMUS PRIMUS.*

Trai. ad Rhen. ap. Abrah. Paddenburg, 1768. Alph. 1. in 8.

Magna eſt, et maior fortaſſe quam vulgo exiſtimatur, in uſu Articuli ὁ, ἡ, τὸ, ἀκρίβεια adhibita a Scriptoribus N. T. quae rite obſervata mirum in modum adiuvat interpretationem locorum difficillimorum; neglecta vero, vel non intellecta potius, non dici poteſt quantis difficultatibus impediat interpretes, lepidisſimisque ſaepenumero ineptiis locum faciat. Sunt enim non pauci, qui in utramque partem gravisſime peccent, et vel de rebus magis quam verbis ſolliciti, plane contemnant articuli huius uſum, ut rem levisſimam, et indignam plane, in qua explicanda, utpote unius tantum litterulae voce, diu haereas; vel in eo interpretando nimis ſubtiles ſint, et, plane ut Iudaeorum magiſtri, in quocunque apice litterarum montes ſapientiae quaerant. Atque hi ſunt eximii illi, ſi diis placet, interpretes, qui cum e Lexicis triobolaribus pendere cogantur, deſtituti uſu linguarum idoneo, omninoque accuratam earum ſcientiam, ſci-



Digitized by Google

licet quoniam ipſi non habent, deſpiciant, atque aliis quoque ut rem inutilem, immo ad ſalutem pernicioſam, et, uti loqui ſolent, gentilem, ſtudioſiſſime vitandam ſerio commendent, omnia replent emphaſibus, exiſtimantes, in eo ſe facere quod dignum ſit divinitate Scripturarum Sacrarum. Quae oratio cum admodum blandiatur adoleſcentulorum mollium oſcitantiae, habeaturque ſaepe a viris non in minima dignitate conſtitutis; non eſt quod mireris, adoleſcentulos illos credulos, et divina quaſi de coelo tertio deportata audire nihil certius exiſtimantes, ſpecioſa hac oratione decipi. Eo magis opus eſſe videtur, pernicioſo huic errori occurrere, et qui eo capti tenentur, ab eo, ſi fieri poteſt, reducere, et alios, ne ad eum ſeduci ſe patiantur, ſerio monere.

Atque hanc rationem ſequitur Cl. Kl. in edendo hoc opere, cuius partem indicamus lectoribus; quod ut eo lucentius intelligatur, totam totius operis rationem indicabimus, et deinde, quid in hoc Tomo egerit, breviter videbimus, atque ita offenſionem minuere tentabimus, quam fortaſſe primo adſpectu habere poſſet hoc Opuſculum. Ac primam quidem occaſionem refert dediſſe locum difficillimum Luc. II, 1. 2. qui eſt de cenſu, auctore Auguſto, in univerſo orbe Romano acto. In quo explicando cum maximopere ſe torquere videret interpretes, maximam difficultatem obſervabat eſſe in duplici cenſu, de quo in loco illo ſermonem eſſe putarent, cum tamen, re accurate conſiderata, ſit manifeſtum, neutiquam duplicem, ſed unum eundemque, Chriſti nati tempore quidem indictum, ſed Quirini, Syriae Praeſidis, aetate demum, (hoc enim ſignificare πρώτη, nec eſſe, ut volunt viri ſummi, pro προτέρα,) factum eſſe. Cui ſententiae exiſtimavit multum lucis affundi poſſe, ſi rationem Articuli graeci, eiusque uſum in ſubſtantivis, cum adiectiva iis adiiciuntur, clarius exponeret, atque ingens diſcrimen oſtenderet inter adiectiva, quibus articulus adiectus, ſit et quae eo deſtituerentur. Quae cum ageret, eo delatus eſt,

ut

Digitized by Google

ut collatis inter ſe locis N. T. quamplurimis, tantam, tamque egregiam in uſu loquendi Scriptorum Sacrorum Articuli convenientiam deprehenderet; quam, cum nuſpiam explicatam reperiret, cognoſcere paullo accuratius operae pretium exiſtimaret; quo factum eſt, ut ex obſervationibus, quas ſibi collegerat, praeter ſpem, harum Vindiciarum edendarum occaſionem nanciſceretur.

Iam in eo ita verſabitur, ut non de una hac vocula, verum de univerſa linguae ratione, de ſententiarum nexu, atque rerum verborumque inter ſe coniunctione, praecipiat, quae non poſſunt ſine accurata Articuli ſcientia intelligi. Igitur, quae eſt omnium linguarum conſuetudo, hunc Articulum cum Graecis communem habentium, ut certas leges habeant, quae ſine iuſta reprehenſione, neque a ſcribentibus, neque a loquentibus negligi poſſint; eam quoque in Articulo graeco obtinere docebit, atque uſu eius ad normam fixae cuiusdam analogiae exacto, certisque legibus adſtricto, tot tantisque erroribus, ex negligentia, ſeu potius harum legum inſcitia, commisſis, cavebit: atque ita locis S. litterarum permultis lucem aliquam affundere, vel vindicare ea ab importunis aliorum criminationibus, ineptisque interpretationibus, conabitur. Quanta inde ad meliorem Scripturarum S. intelligentiam redundatura ſit utilitas, nemo non videt harum rerum peritus. Nec minor ea erit, quae ad uſum criticum pertinet. Etenim cum nullum cuiusquam Scriptoris S. verbum, ſine Codicum ſcriptorum, (addendum erat: vel Verſionum antiquarum, vel doctorum eccleſiae veterum, vel denique editorum librorum,) conſenſu atque auctoritate, niſi manifeſtus ſit error, verum atque genuinum eſſe posſit vel debeat; cumque in N. T. nuspiam fere frequentius liberiusque, quam in articulo vel adiiciendo, vel omittendo, vel denique transponendo, peccatum ſit a librariis: eo tutius certiusque iudicari poterit lectio aliqua, quo magis teneatur articuli uſus. Id quod in hac re nimis hucus-



Digitized by Google

que neglectum eſſe putat Cl. Auct. a viris artis criticae peritiſſimis, atque in rebus aliis praeclare verſatis. Praeterea, cum non de ſolo Articulo, ſed de tota ſententiarum coniunctione agere inſtituit, longe uberiorem, patet, quam quae Articulum ſolum attingit, ad κρίσιν N. T. utilitatem ex his Vindiciis eſſe redundaturam. Hinc multa loca integritati reſtitui poſſe dicit, et manifeſtum fieri, cur v. c. 2 Tim. II, 19. non ut hodie eſt in editis exemplis: τὸ ὄνομα Χριστοῦ, quod uſui Articuli in N. T. repugnet, ſed, ut etiam ſcripti Codd. poſtulent, τὸ ὄνομα Κυρίου legendum ſit. Nec dicere quicquam voluit de iis, quae omiſſo additove hoc Articulo, ſenſum longe diverſum efficiant; cuiusmodi multa, praeſertim in Apocalypſi Ioannea, deprehendiſſe ſe exiſtimat, ex parte iam a viris doctis animadverſa, ſed nondum exacta ad analogicas Articuli leges. Id quod in primis de ultima particula Apoc. valeat, quam Eraſmus graece de latino vertit, quoniam in Graeco MS. deerat.

Ex his multo plura, patet, ſibi tractanda ſumſiſſe V. C. in hoc Opuſculo, quam primo adſpectu poterat videri. Quocirca rem omnem ita deſcripſit atque digeſſit, ut, quod caput rei putaret, nimirum generalem Articuli analogiae conſpectum primo loco praemitteret, ut cognita ex priori hoc Tomo univerſa analogia, ad ea, quae poſtea ſequentur, via muniretur. Iam his nihil ſe effecturum putat apud nonnullos, niſi ea, quae obiici poſſent legibus iſtis conſtitutis et adverſa videri, clarius exponeret. Cui uſui deſtinatus erit ſecundus, et fortaſſe etiam tertius Tomus, qui continebit cautiones et animadverſiones, ſine quibus vera Articuli indoles rite intelligi nequeat. Qua occaſione animo conſtituit, multis locis S. literarum lucem affundere, et denique altera totius opuſculi Parte Cenſum Quirineum illuſtrare.

Neque vero eſt quod credas, haec non ſimul profutura eſſe ad accuratiorem Scriptorum profanorum intelligentiam;

Digitized by Google

tiam; ad quam vel maxime pertinent. Etenim ut N. T. dictio, de quo nemo dubitat graece et hebraice doctus, cum in verbis phraſibusque ſingulis, tum in forma univerſa, diſcrepat quidem maximopere a pure graeca, imitaturque hebraicam conſuetudinem; ita tamen cum ea amice conſpirat in Articuli uſu, nec quidquam habet quod legibus non ſit conſentaneum. Verum haec latius probabit A. Cl. ubi parte altera libri ad cautiones devenerit; qua etiam occaſione de Articuli antiquitate, eiusque apud Poetas neglectu, quaedam diſſeret, quae putamus fore doctisſimo cuique deſideratiſſima, atque, ſi eventus exſpectationi reſponderit, acceptiſſima.

Haec de Opere in univerſum. Iam quae in hoc Partis Prioris Tomo tractaverit, breviter videbimus. Ac primum univerſim quaedam diſputat de ſimilitudine, quae in uſu Articuli huius, inter linguam graecam et Belgicam, omninoque linguas ſeptentrionis intercedit, oſtenditque, haec non imitari poſſe latine loquentes: v. c. cum dicas, video quam, tres animo tuo informatae eſſe poſſunt notiones, aquas latine nullo modo, vix graece, elegantiſſime belgice, uno articulo addito, a ſe invicem diſtinguere poſſis, hoc modo: ik zie water, βλέπω ὕδωρ, de aqua generatim; deinde: ik zie een water, βλέπω ὕδωρ, ſeu: ὕδωρ τι, ſenſu ſpeciali, ſed indefinito; denique: ik zie het water, βλέπω τὸ ὕδωρ, ſignificatu ſpeciali et definito. Haec A. deinde latius explicat, exemplisque ex S. literis illuſtrat. Eandem rationem obtinere demonſtrat in nominibus numeri pluralis, atque etiam cum alio ſubſtantivo iunctis, §. 11. ſſ. Porro de Subſtantivis, quibus vel adiectivum, vel participium, vel pronomen adiicitur, praecipit, multis exemplis ex N. T. congeſtis, §. 20. ſſ. atque magnam hic cautionem adhibendam eſſe monet, in primis in verſionibus, §. 23. Eandem enim rem, vel finite, vel indefinite accipi poſſe, atque in aliam linguam converti; quin apud ipſos Graecos ſine diſcrimine uſurpari,

pari,

Digitized by Google

pari, pro Scriptoris conſilio, aut linguae verborumque iunctorum ratione. Id quod exemplis illuſtrat, ex verſione Belgica deſumtis, in qua etiam ſaepe peccatum eſſe oſtendit, §. 25. ſ. exemplis magno numero commemoratis, ex quibus, ſaepe eodem redire, intelligi poſſit, adieceriſne Articulum, nec ne, §. 29. ſſ. Pergit deinde ad ea, quae ſpeciatim quidem, ſed indefinite dicuntur, et multum inter ſe differre oſtendit τὸ: γυνὴ, een vrou, une femme, et τὸ: ἡ γυνὴ, de vrou, la femme; ἄγγελος, angelus in genere, vel angelus quis, et ὁ ἄγγελος, is, de quo etc. quae illuſtrandi cauſa dicta ſunt. His interdum adiici, ſine ullo ſenſus vel detrimento, vel augmento, pronomen τὶς, ut: ἦλθον ἄνδρες, ſeu: τινὲς ἄνδρες; ἄνθρωπος, ſeu: ἄνθρωπός τις, ſeu: εἷς, quidam, §. 41. ſſ. De uſu Articuli in Subſtantivis ſingulis ſpeciatim diſſerit §. 47. ſſ. eiusque eandem vim eſſe atque Belgarum de, het, ſive Franco-Gallorum: le, la, magna exemplorum copia probat. Deinde de Subſtantivis, quae cum eiusdem generis aliis iunguntur, in quibus haec ratio obtineat, ut vel nullus Articulus adiiciatur, ut, ἡμέρα κρίσεως, vel utrique, ut τὸ πλῆθος τοῦ ὕδατος, vel priori τὸ πλῆθος ὕδατος, vel poſteriori, πλῆθος τοῦ ὕδατος, §. 42. ſſ. quibus §. 47. addit obſervationem aliquam, nimirum nuspiam occurrere: ὁ λόγος Θεοῦ, ἡ βασιλεία οὐρανῶν, ἡ ἡμέρα κρίσεως, et id genus alia, ſed ſemper λόγος Θεοῦ, βασ. οὐραν. ἡμέρα κρίσεως, utroque ſine Articulo, ſive utroque cum Articulo, ut ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ κ. λ. de his Tomo ſecundo latius agere conſtituit. In adiectivis, Subſtantivo iunctis, ſemper, pergit, hanc conſuetudinem obtinere, ut dicas v. c. vel: ὁ ἅγιος τόπος, vel: ὁ τόπος ὁ ἅγιος. Atque iſtorum facit tria genera: primum eorum, quae per ſe articulo deſtituta, adiecto eo alium ſignificatum in Subſtantivo efficiunt, ut, πᾶς, v. c. πᾶς λαὸς, in genere de omnibus populis, qui extant, longe differt a πᾶς ὁ λαὸς, ſpeciatim et definite de certo quodam populo, §. 71. ſſ. atque hoc valere etiam in ὅλος et ὅλος ὁ, εἷς et ὁ εἷς, ἄλλος et ὁ ἄλλος; alterum eorum, quae ſua ipſorum vi efficiant, ut Subſtantivis Articuli iungantur, ut οὗτος,

quod

Digitized by Google

quod nunquam regulariter poni poteſt ſine Articulo ὁ, ſi dicere velis: hic vir, οὗτος ὁ ἀνὴρ, quod non minus locum tum obtinet, ſi amplius adiectivum aliquod additur. v. c. οὗτος ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ ſeu: οὗτος ὁ ἀνὴρ ὁ ἀγαθὸς, (quod aliter eſt, cum ἀγαθὸς ad verbum Subſtantivum referendum eſt, ut οὗτος ὁ ἀνὴρ ἀγαθὸς, ſc. ἐςὶν,) item quando Subſtantivum omittitur, ut οὗτος μέγας, i. e. οὗτος ὁ ἄνθρωπος μέγας. Eodem modo rem ſe habere cum ἐκεῖνος et αὐτὸς et ὁ αὐτὸς, quae valde inter ſe differant, ita ut αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ſeu: ὁ ἀνὴρ αὐτὸς ſit: ipſe vir, ὁ αὐτὸς ἀνὴρ vero: idem vir, cuius loco eleganter Graeci dicant: ὁ ἀνὴρ ὁ αὐτὸς, et in neutro: τὸ αὐτὸ, τὰ αὐτὰ, idem, eadem, ſive etiam τ' αὐτὸ, τ' αὐτὰ, quibuscum non confundendum ſit αὐτὸς de tempore dictum, ut αὐτὴ ἡ ὥρα, ipſa hora, et reliqua. Tertium denique eorum, quae requirant, ut Articulus vel bis, vel ſemel tantum adiiciatur, ut locus, quo poſita ſunt, exigat, §. 89. cuiusmodi ſunt primum pronomina poſſeſſiva, in quibus ſine ſenſus diſcrimine dicere poſſis ὁ ἐμὸς ὁ πατὴρ, et ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς, quod idem eſt ac ſi dixeris: ὁ πατήρ μου. Aliter eſt in ὄνομα μου vel: ἐμὸν ὄνομα. Deinde pronomina ordinalia, ut ὁ πρῶτος ἄγγελος, et ὁ ἄγγελος ὁ πρῶτος, ſine ſenſus diſcrepantia; item adiectiva proprie dicta, ut ἡ δεξιὰ χεὶρ, ὁ καλὸς ποιμὴν, quae non differunt ab ἡ χεὶρ ἡ δεξιὰ, et reliqua; nec quicquam refert, dixeriſne: τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας, an τὰς εὐθείας Κυρίου ὁδοὺς: his interdum adiiciuntur μοῦ, σοῦ, item οὗτος, ut: ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ, quod idem eſt, ac: αὕτη ἡ πτωχὴ χήρα, longe aliter vero ſi dixeris: αὕτη ἡ χήρα πτωχὴ, hic enim intelligi debet ἐςί. Atque hinc conſtare exiſtimat, cur verba Luc. II, 2. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη, non ſignificare poſſint: deſcriptio haec prima, ſeu prior; alias eſſe deberet: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη ἐγένετο. Denique tertio Participia, ut οἱ κύνες οἱ ἐρχόμενοι, ſeu: οἱ ἐρχόμενοι κύνες, quae eadem ſunt et dicuntur ſenſu definito; quod non ita eſt in hoc: κύνες ἐρχόμενοι, ſeu ἐρχόμενοι κύνες, ſenſu indefinito; multo minus in illo: οἱ κύνες ἐρχόμενοι, omiſſo nempe altero Articulo. Progreditur deinde A.



Digitized by Google

§. 107. ſſ. ad nomina cum verbis iuncta, ut: ἡ γυνὴ ἡ ἀγαθή ἐςιν, a quo longiſſime differt: ἡ γυνὴ ἀγαθή ἐςιν, vel ἡ γυνή ἐςιν ἀγαθὴ vel ἀγαθή ἐςιν ἡ γυνὴ, adiectivi Articulo ſemper omiſſo, illud: bona mulier eſt, hoc, mulier eſt bona: item in illo: θεωρεῖ τὸν ὀυρανὸν ἀνεωγμένον, quod valde diſcrepat a: τὸν ἀνεωγμ. ὀυρ. vel τὸν ὀυρ. τὸν ἀνεωγμ. porro cum adverbiis et praepoſitionibus, v. c. ἡ ἔξω πόλις, vel: ἡ πόλις ἡ ἔξω, item: τὰ τοῦ πατρὸς, ὁ ἐκ πόλεως, ſive: ὁ ἀνὴρ ὁ ἐκ πόλεως, vel ſimpliciter: ἀνὴρ ἐκ πόλεως, cuius rei ratio latet in omiſſo verbo Subſtantivo.

Per hanc occaſionem dixit quaedam V. Cl. de locis Rom. II, 17. et 1 Cor. XV, 8. oſtenditque, in altero loco τῷ elegantiſſime adhiberi, nec poſſe omitti, adeoque graviter errare viros doctos, qui ὡσπερεί τῳ legi velint, propterea, quoniam hic uſus Pronominis huius in N. T. nuſpiam occurrat. Verum omnino occurrit 1 Theſſ. IV, 6. ubi male editur: τῷ, ſcribendum τῷ, et Act. XXVII, 17. atque etiam apud Homer. Il. α. v. 299. et apud Xenophontem aliquoties, item Iſocratem c. 7. in fine, eiusmodi exempla de uſu pronominis indefiniti reperiuntur. Eſt igitur etiam in illo ad Cor. loco τῷ vitioſum, omninoque ſcribendum τῳ pro τινὶ, hoc ſenſu: etiam mihi, tamquam cuidam abortivo apparuit. Diſputat deinde etiam de aliis eiusmodi rebus, quae huc pertinent, et ad extremum adiecit explicationem locorum quorundam difficilium, Luc. II, 15. Apoc. XXI, 9. et 2 Tim. II, 19. de quorum ultimo iam diximus.

Haec data opera latius paullulum enarravimus, non interpoſito iudicio noſtro, quoniam uberiorem explicationem de nonnullis Parte altera expectamus, inprimisque ſententiam ipſius de cenſu Luc. II. cognoſcere vehementer cupimus, cum unum eundemque fuiſſe exiſtimet; viros doctiſſimos autem, conſtet, deſcriptionem eam, quam in Iudaea factam eſſe ſcimus, auctore Ioſepho, a Quirino, Syriae praeſidente, tempore, cauſis, et eventu diſcrepare ab hac, de qua apud d. Lucam eſt, egregie docuiſſe, et ſententiam Scaligeri,

ligeri, Caſauboni, Grotii, Spanhemii, Noriſii, Pagii, et aliorum, qui Imperatorum tempore ſaepe factum eſſe exiſtimant, ut in provincias, in quibus Praeſides fuerint, tamen mitterentur qui cenſum ibi agerent, atque ita Quirinum, Sentio Saturnino, Praeſide provinciae, cum extraordinario imperio ad cenſum peragendum in Syriam miſſum eſſe, inſigniter refutaſſe, cavendumque adeo monuiſſe, ne duae hac deſcriptiones confunderentur. Nihil vero magis optaremus, quam ut latine ſcriptus eſſet hic liber, cum perpauci ſint, qui linguam Belgicam calleant, ne eorum quidem magna pars, quorum in his rebus iudicium aliquid valet. Non ignoramus quidem, quid dicat Cl. Auct. ad excuſandum hoc conſilium, non pati linguae latinae indolem, ut per eam graeci articuli vim et poteſtatem explices. Verum haec ita univerſim dicere non auſi fuerimus, cum, ſi ita eſt, in paucis exemplis eſt, quae facillime et evidentiſſime aliis verbis poſſunt circumſcribi. Multo minus dixerimus, quemque, qui omnes ubique Grammaticos, omnes virorum doctorum obſervationes, ſcripta, et commentarios inſpiciat, facile eſſe animadverſurum, veram et ſolam non intellecti hucusque articuli uſus rationem in eo eſſe, quod lingua latina non ſit ullo modo par huic muneri ſuſtinendo. Quod ut paulo arrogantius dictum videtur, ita eſt in viros graece et latine doctiſſimos paulo iniurioſius, et linguae latinae indoli non ſatis conveniens. Si qua igitur erant, quae non viderentur ipſi commode latine dici poſſe, ea vel circumſcribi poterant, vel in eorum utilitatem, qui callerent linguam Belgicam, ex eadem illuſtrari. Haec non vituperandi libelli cauſa nos dixiſſe volumus, ſed laudandi potius, lectoribusque pluribus, quam quos lingua Belgica ſcriptus habiturus eſt, commendandi.

*ANIMADVERSIONES QUIBUS XENOPHONTIS Memorabilium Socratis dictorum et factorum Libri*

*emendantur, illuſtrantur: Auctore* CAROLO FRIDERICO HINDENBURGIO.

Lipſiae, apud Siegfr. Lebr. Cruſium, A. CIↃ DCCLXIX. plagg. 13. in 8.

Graecarum litterarum, quarum amore nec vulgari, nec levi, Auctor teneri cognoſcitur, ſtudioſis, primum omnium fere cum Xenophonte familiaritatem contrahere contingit, conciliantibus magiſtris, qui eius ſcripta iuvenibus praelegere et interpretari ſolent. Quod rectiſſime fieri dudum a viris doctis collaudanda argumenti gravitate, ſuavitateque orationis commendanda, demonſtratum eſt. Ac recte doctiſſimus Auctor, cuius in plures ſcriptores Graecos, in primis poetas, reliquosque Xenophontis libros, obſervationes, adhuc ſcrinia premunt, feciſſe putandus eſt, qui has ad Memorabilia Adnotationes primum edendas exiſtimarit. Porro, quod omnibus, qui edendi cuiusdam libri conſilium vel capiunt, vel proſequuntur, propoſitum eſſe debet, ut tum exiſtimationi famaeque ſuae provideant, tum lectorum utilitati conſultum velint: utrumque eum et diligenter curaſſe, et feliciter aſſequutum fuiſſe, intelligimus. Ingenuitatem quidem modeſtiamque retinuiſſe, non ultima ſcriptoris laus eſt, nec leve exiſtimationis bonae apud probos conciliandae delinimentum habet. Hanc igitur doctiſſ. A. reddendam iudicamus. Nam ingenuitatis quidem iſta ſunt: nullius auctoritatis aut gratiae cauſſa ſententiam ſequi, ſed conſulere ſenſum aliquem ſuum, ad verum indagandum perſpiciendumque diſciplina quadam inſtitutum; ſua cuiusque bona agnoſcere, alienis non invidere; quod ab aliquo iam perſpectum, explicatum, demonſtratumque ſit, id non diſſimulare, nec carpere, ſed quantum fieri poteſt ſuo teſtimonio iuvare. Modeſtiae autem: ſuae aetatis conditionisque memorem, abeſſe procul a tumida et opinionis ventulo inflata admiratione ſui, vanique promiſſoris iactabunda magniloquentia, quae

quae ipſa levitate ſua, per inania ferri agitarique non deſinat. Haec qui ſpectet, ita coniuncta in hoc opere reperiet, ut nec iniquius quisquam ſe reprehenſum, nec malignius laudatum conqueri poſſit. Ac quemadmodum lectorum utilitati, in iudicandis lectionum diſcriminibus, exquiſita verborum poteſtate, dicendique formarum elegantia commonſtranda, conſulit: ſic ſuam ſimul graecae linguae notitiam, tum ex fontibus, hoc eſt auctorum veterum Grammaticorumque antiquorum lectione repetitam, tum inſpiciendis ſubinde, pervolutandis, atque adeo diligenter perlegendis clarorum in hoc genere doctrinae virorum, quos paſſim commemorat, libris, et obſervationibus, laudabiliter auctam et excultam commonſtrat. In his obſervationibus ſcribendis curavit primum, ut antiquarum et principum editionum ope, verborum lectionumque veritatem conſtitueret. Quam in rem exemplum Stephani alterum, quod perutiles habere multas et praeclaras lectiones ſciebat, cum editis contulit, et quae conſilio ſuo profutura videret excerpſit. Proximum fuit, Stephani, Leunclavii, Franciſci et Aemilii Portorum, aliorumque Virorum doctorum coniecturas diligenter, habita ſemper et Graeci ſermonis, et Xenophonteae cumprimis loquendi conſuetudinis, ratione, quam ſibi videri uſu multo aſſiduaque lectione cognitam ſatis perſpectamque redditam, ſcribit, contuliſſe. Varietatem lectionis, ubi opus erat, ut ait, commemoravit, lectionemque vulgatam, temere nonnumquam impugnatam, pluribus locis defendit, munivitque auctoritatibus ex ipſo Xenophonte petitis. Sic libr. I, 3. § 12. articulum male nonnumquam librariorum oſcitantia neglectum revocat, ut legatur ἔφη ὁ Ξενοφῶν, ἔφη ὁ Σωκράτης. §. 13. pro ἐνίησί τε καὶ πάνυ πόῤῥωθεν e Stephaniano libro ἐνίησί τι reſtituit. I, 6. 2. οὐ μόνον — ἀλλὰ τὸ, in quo monet non excidiſſe particulam καὶ, nam eam abeſſe etiam II, 7. 6. Eodem libro et loco ἀχίτων διατελεῖς, contra doctorum quorumdam, qui poſt ἀχίτων participium ὢν excidiſſe putant, ſententiam, locum ex vita Ageſ. X, 4. affert,

 ubi

ubi ἀήπτητος διετέλεσεν etiam ſine participio dictum. Emendationes aliorum, exemplis idoneis afferendis confirmavit; ſuasque, in locis potisſimum in quibus nihil a Codicibus et impresſis libris variantes lectiones praeſtarent praeſidii, coniecturas exercuit. Occurrit huiusmodi coniectura ad I, 1, 11. ubi Xenophontem dediſſe putat λίθυς. καὶ ξύλα, καὶ θηρία τὰ τυχόντα. Quo tamen opus non eſt. Nam quod legitur λίθυς καὶ ξύλα τὰ τυχόντα recte habet. Τὰ τυχόντα ſunt *res obviae, vulgares*, in quibus ſane ſunt lapides et ligna. Porro, ad I, 3. 9. ubi pro ἡ τῶν θρασέων tentat reſcribere δρασικῶν. Sed ut arbitramur fruſtra. Δρασικὸς enim eſt potius aptus ad agendum, et cum efficacitate in rebus agendis verſatus, de qua re nunc ſermo non eſt. II, 5, 3. πρὸ πάντων χρημάτων καὶ πόνων, praefert cum plurimis lectionem πόρων, et eam multis de cauſſis veram agnoſci ſcribit; tandem tamen, quaſi ſerius admonitus, πόνων ſi quis velit retinere, *fructus laboris* intelligendos eſſe ſuadet. Putamus et nos πόνων veram eſſe lectionem, ac elegantius et exquiſitius dictum quam πόρων. Nam πόροι non tam reditus pecuniarii, et acceſſiones divitiarum ſunt, quam rerum tranſigendarum opportunitates; qua notione, ut arbitramur, ſaepius dicuntur. Πόνυς autem eſſe res labore partas auctoritate non deſtituitur. Vid. Abreſch. Lect. Ariſtaen. p. 234. Theocrit. Id. XXI. 14. Οῦτος τοῖς ἁλιέυσιν ὁ πᾶς πόνος, ῦτος ὁ πλῦτος. Alexandrini Interpretes, praeter loca ab Abreſchio laudata, utuntur Pſ. CV, 44. CIX, 11. Iam, Lib. III. 2, 2. pro αἰχμητής τε καὶ κρατερός, ex Homerico verſu reſcribit recte, αἰχμητής τε κρατερός, omiſſo καί. Deinde III. 6, 11. pro ἅπτεσθαι τὰ ἐκ τῆς χώρας, reiecta Leunclavii ratione, ἐκ expungentis, inſiſtens Stephani et Reiskii veſtigiis, quorum ille ἁρπάζεσθαι, hic ἄγεσθαι coniicit, reponendum ſtatuit ἀπάγεσθαι, non ſine veriſimilitudine. Nam et λεῖαν ἀπάξαι ſic dicitur, v. c. apud Philonem I. vit. Moſ. p. 640. Forte tamen his paullo melius, licet minima mutatione refingere, ἅπτεσθαι τῶν ἐκ τῆς χώρας. Nam et ἅπτεσθαι *rapere* eſt, ſiquidem ſaepius valet *adfligere, laedere,*

*dere, nocere:* v. Abreſch. Anim. ad Aeſchyl. p. 399. Loca difficiliora et obſcuriora, explicando plana et perſpicua reddere tentavit, additis interdum prolixioribus diſputationibus. Cuiusmodi ſunt quae ad IV. 3, 4. de notione vocis *ὥρας*, deque dimetiendi diei apud veteres ratione, leguntur, nec non quae ad eiusdem libri Cap. ſeptimum, ad avertendam a Socrate, quaſi mathematicarum diſciplinarum contemtor fuiſſet, criminationem, contra noſtri temporis doctorum quorundam ſententias, diſputantur. In illum cenſum referenda ſunt, quae ad recenſendas, iudicandas, accommodandas, et confirmandas interpretum de locorum ſententia opiniones et coniecturas pertinent, quaeque ad exquiſitas vocum formarumque notiones illuſtrandas applicantur; cuius ſuſcepti laboris paſſim documenta exſtant. Verſionem denique vulgatam, ubi eam forte falſam reperiſſe ſibi viſus fuiſſet, non ſemel correxit. I. 2, 37. *τὰ ἄλλα τῶν δικαίων*, obſervat, falſo verti *ceteras res quae iuſtae ſunt,* cum denotentur *diverſa, aliena ab iuſto.* II. 1, 22. *ὄμματα ἀναπεπταμένα* non ut alii *oculos ſupra modum patentes, apertos,* ſed *huc illuc volitantes, inverecundos,* vertendum putat: nam deducendum exiſtimat non ab *ἀναπετάννυμαι*, ſed ab *ἀνίπτημι*, nixus iis, quae ex Lexico regio Mſc. Ruhnkenius apud Koenium ad Gregor. Cor. p. 310. enotavit: *Πέπταμαι ἐκ τοῦ ἴπτημι, ἔπτακα, ἔπταμαι, —— καὶ πλεονασμῷ τοῦ Π, πέπταμαι.* Sed veremur ut verum tetigerit. Oculi aperti commode tribuuntur iis, qui ad amores proni ſunt, qui adeo ad quamcunque pulchram ſpeciem forte oblatam, quo profundius hauriant ac recipiant pulchritudinem, latius pateſcunt. Sic Xenophon Epheſiac. I. p. 5. *ὅλοις καὶ ἀναπεπταμένοις τοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ κάλλος δεχομένη*, quod illuſtrat Abreſch. Obſ. Miſc. Vol. X. p. 203. Sane Philo de Merc. Meretr. non rec. pag. 861. ad hanc forte narrationem reſpiciens, Voluptati hoc attribuit, ut ſit *ὑπὸ τρυφῆς τῆς ἄγαν καὶ χλιδῆς σαλεύουσα τὼ ὀφθαλμώ*, et Silius Ital. XV, 26. *laſcivaque crebras Ancipiti motu iaciebant lumina flammas.* Sed ſunt iſta coniuncta. Neque

que enim rigidos et ſtupidos oculos intelligimus ἀναπεπταμένως, ſed utique iis quae oblectamento et pabulo futura ſint invigilantes et intentos , adeoque molles et mobiles. Mox ſ. 30. ὑπόβαθρα, quae vulgo vertunt: *lectorum fulcra*, *ſuſtentacula*, potius eſſe *tapetes* docet, *quibus delicatuli homines ſolebant ſpondarum pedes imponere*, cum, ut *mollius*, ut V. Cl. ſcribit, *cubarent*, tum, ut arbitramur, ne ſoli duritie et aſperitate inter aſcendendum et ſurgendum offenderentur. Ad quod demonſtrandum Xenophontis loco iam a Porto allato Cyrop. VIII. extr. utitur, ubi de Perſarum luxu tradens, ſcribit, καὶ τῶν κλινῶν τὰς πόδας ἐπὶ ταπίδων τιθέασιν, ὅπως μὴ ἀντερείδῃ τὸ δάπεδον. Caeterum attigit etiam quae ad Novi Teſtamenti locorum prodeſſent explicationem. Ut, cum ad II. 1, 29. ſimilitudinis formae ἀποκριθεὶς εἶπε cum illa, ὑπολαβοῦσα εἶπεν, ab Hutchinſono quidem contra Vorſtii et Gatakeri veriſſima praecepta temere aſſertae; mentionem facit; et ad II. 7, 12. Heinſium, qui in Exercit. S. p. 204. ad Luc. XXIV, 17. uſum vocis σκυθρωπός, de *triſti*, Helleniſtis tribuerit, reprehendit. Plura excerpere non iuvat, praeſertim ex huius generis doctrinae libello. Qui ſua intereſſe putaverint, ii cum alia, tum hac etiam commendatione allecti, ad eum perlegendum venient, quod praemiſſa dedicatione Erneſtio noſtro offeratur.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Auguſti Anno MDCCLXIX.*

*HESYCHII LEXICON, CUM NOTIS DOCTORUM virorum integris, vel editis antehac, nunc auctis et emendatis, IUNII, H. STEPHANI, SCALIGERI, SALMASII, PALMERII, SOPINGII, aliorumque, vel ineditis VALESII, D. HEINSII, IS. VOSSII, et aliorum, in primis KUSTERI, HEMSTERHUSII, BIEL, praeter ſelectas IENSII, TRILLERI, ARNALDI, ABRESCHII, ex autographis partim recenſuit, partim nunc primum edidit, ſuasque animadverſiones perpetuas adiecit IOANNES ALBERTI, Theol. Doctor et Prof. Ord. in Acad. Lugduno Batava, cum eiusdem prolegomenis et adparatu Heſychiano. TOMUS SECUNDUS.*

Lugduni Batav. apud Sam. et Io. Luchtmans, Academiae typographos, MDCCLXVI. fol. max.

Tandem ergo literae graecae adiumento hoc inſigni vere gloriari poſſunt, noſtraque aetas ceteris iure ſe praeferre, quae multo faciliorem graecae linguae diſcendae rationem ad poſteros transmittit. Saepe quidem Heſychius et a multis tentatus eſt atque tractatus; ſed ab *Alberto* de-

mum et *Ruhnkenio* ita conſtitutus, ut, innumeris bonis locupletatus, omnibus multo plures fructus, eosque cum minore quaerendi colligendique labore, offerat. Non parva fuit virorum doctorum exſpectatio, ab eo inde tempore, quo prior tomus prodiit; adeo multa ibi bene fuerant et emendata et explicata: nec ea quemquam fefelliſſe videbitur, qui huius alterius tomi percurrendi operam ſumſerit; qui autem ſaepius evoluerit et conſuluerit, is ita ſe ubique reperiet adiutum, ut in eo commune quoddam eſſe literarum graecarum, inprimisque interiorum, praeſidium fateatur; ſed tanto nunc praeſtantius, quanto minus ſupereſt obſcuritatis, erroris, ambiguitatis, quantoque copioſior animadverſionum theſaurus acceſſit.

Non ita multo poſt, quam prior tomus abſolutus erat, *Albertus* indefeſſe laborando ad literam *Lambda* pervenerat, cum gravi morbo ita oppreſſus eſt, ut et articulorum doloribus, et itineris ad aquas ſalubres neceſſitate, penitus avocatus ab *Heſychio* videretur. Tamen pergere potuit usque ad verbum φαιλόνης, ſed tum acceſſione alius mali victus, rebusque humanis a. 62. d. 13. Auguſti exemtus eſt. Interea, dum in poſteriore tomo elaboraret, nactus eſt a *Petro Burmanno Secundo* emendationes *Iacobi Tollii*, et *Ludolphi Kuſteri* a *Salliero*: *Kuſterus* enim, etſi ad verbum Θήλαιτο ſubſtitiſſe viſus erat *Alberto*, tamen exemplo cuidam *Heſychii* in bibl. reg. Pariſ. notulas in reliquam *Heſychii* partem adſcripſerat, non ad priorum quidem illorum modum elaboratas, quas editioni Heſychianae inſtitutae deſtinaverat, utiles tamen, et tales, quales poſtulabat Heſychianum opus, ſcripſerantque *Bentleius* et *Hemſterhuſius*, qui *Heſychium* interdum ipſum reprehenderunt, nec, quidquid ille ſcripſit, probarunt. Haec itaque Tolliana et Kuſteriana locis ſuis in hoc poſteriori tomo adiecta ſunt. Sed mortuo *Alberto* omnium conſenſus Cel. *Ruhnkenio* finiendi operis laborem detulit, praeſertim cum *Albertus* ipſe in altero tomo conſcri-

conſcribendo eum fere ſocium habuiſſet. Nec erat quiſquam facile magis idoneus *Ruhnkenio*, qui dudum in hoc genere literarum excelluiſſet. Nos quidem ei ingentes agimus gratias, quod nec propter muneris publici neceſſitatem, nec operum iam inſtitutorum amorem, *Heſychio*, hoc eſt, Alberto, literisque graecis, defuit. Hic ergo Vir doctiſſimus, qui ea omnia, quae nunc narramus, in praefatione ſecundi huius Tomi expoſuit, inde a litera *Ypſilon* ſolus in *Heſychio* laboravit, et *Albertum* ita imitatus eſt, ut raro textum ipſum mutaret, e ſchedis *Alberti*, non admodum copioſis illis, optima ſeligeret, aliorum denique animadverſiones ſelectas adiungeret, quod ipſum in altero tomo placuerat *Alberto*, cum in priore omnia promiſcue congeſſiſſet. De *Auctario emendationum* Ruhnkeniano infra ſeparatim dicemus. Verum aliud detexit, quovis pretio carius futurum iis, qui de libris veterum recte iudicare cupiunt. Intellexit nimirum, adiutus Lexico MS. rhetorico in Bibl. Sangermanenſi, *Heſychium*, quem nunc quidem legimus, e maiori opere in anguſtius contractum eſſe. Nam qui Lexicon illud rhetoricum ſcripſit, is ſaepe etiam *Heſychii* gloſſis uſus eſt, ſed multo uberioribus, quam quae nunc exſtant. Adſcripſimus, ut fidem faceremus, quae *Ruhnkenius* in Auctario in v. Αὐτοβοεὶ ex illo Lexico notavit: Αὐτοβοεί· παραχρῆμα συντελεσθῆναι ἐν πολεμικοῖς ἔργοις, οἷον ταχέως καὶ ἅμα τῷ πολεμικῷ ἀλαλαγμῷ, οὕτως Θουκυδίδης· παρὰ Θεοπόμπῳ δὲ ἀντὶ τοῦ κατακράτος. Conferantur cum his, quae vulgo apud Heſychium leguntur. Similiter in Δεκατεύειν diſcrimen *Heſychii* noſtri et illius Lexici inſigne eſt: in lexico enim verbo Δεκατεύοντες haec adſcripta ſunt: τελωνοῦντες, δεκάτην εἰσπράττόμενοι. ἔλεγον δὲ καὶ τὸ ἀρκτεύειν Δεκατεύειν, ἐπεὶ ἔπραττον αὐτὸ αἱ παρθένοι, περὶ τὸν δεκαετῆ χρόνον οὖσαι. Hactenus Lexicon ſimile eſt Heſychiano loco; ſed alia ſequuntur: καὶ τὸ δεκάζειν Δεκατεύειν. εἴρηται δ' Ἀρκτεύειν ἀπὸ τοῦ τὰς παρθένους θεραπεύειν τὴν Ἄρτεμιν. Ex eodem Auctario didicimus, quae in illo lexico ad v. Ἀγορὰ notata ſint: τόπου ὄνομα, καὶ τὰ ἀγοραζόμενα,

Θεσσαλοὶ δὲ τὸν λιμένα, Κρῆτες τὴν ἐκκλησίαν, παρ' Ὁμήρῳ καὶ πάντα ἀθροισμόν. Haec ergo ut ſunt Heſychiana, ita planum ſimul fit, *Heſychium* eſſe decurtatum. Cf. Auctar, ad T 1, p. 681. 705. 804. 808. Atque illi *Heſychio* auctiori, non ei, qualem nunc habemus, reſpondet epiſtola *Heſychii* ad *Eulogium*, ipſi operi praemiſſa. Dubitarat enim aliquis, crebris cum *Alberto* ſermonibus, epiſtolam ab *Heſychio* ſcriptam eſſe, quoniam opus non tale eſſet, quale epiſtola promitteret; *Heſychium* autem non eſſe mutilatum, ſed, ut nunc eſt, prodiiſſe. Illi ergo *Ruhnkenius* in praefatione copioſe reſpondit, cuius diſputationis brevem ſummam hoc quoque loco legere neminem poenituerit. Primum titulus Lexici Heſychiani, qui nunc operi praefigitur, non ab ipſo auctore profectus eſt; convenit enim potius Lexico Homerico: ſed ſcripſiſſe videtur *Heſychius*, Ἡσυχίου γραμματικοῦ Ἀλεξανδρέως συναγωγὴ πασῶν λέξεων κατὰ στοιχεῖον. Nomina *Ariſtarchi*, *Apionis* et *Heliodori*, Grammaticorum, librarius addidit: neque enim *Heſychius* videtur reliquorum Grammaticorum, e quibus gloſſas excerpſit, nomina reticere potuiſſe. Praeterea cum *Heſychius*, id quod e Lexico rhetorico diſci poteſt, nomina Grammaticorum, quorum diverſas interpretationes recenſeret, adpoſuiſſet, eius vero epitomator ea omiſiſſet: mirum non eſt, ſi hodie in ipſo Gloſſario non omnium nomina occurrant, quorum mentio in epiſtola facta eſt. Atque etiam, ubi relicta ſunt, corrupta leguntur, ut *Ariſtarchi* et *Archilochi* confuſa in ἔτρεψεν, *Heſiodi* et *Heliodori* in ἀμφοῦδις, ἀργεῖα, δίψιον ἄργος, *Herodoti* et *Herodiani* in θύεστεν, et alia. Ac ſi vel maxime nuſquam occurrerent, tamen διττογραφίαι Homericae, quas *Heſychius* explicavit, ut in ἀήτη, βεβριθυῖαι, ſatis indicant, eum diverſis diverſorum Grammaticorum recenſionibus et interpretationibus uſum eſſe. Nam quod Il. δ, 282. πεφρικυῖαι legitur, id *Ariſtarchus* in βεβριθυῖαι mutari voluit, et pro ἀήτης Il. ο, 626. legi ἀήτη, quae ex ineditis ſcholiis Homeri Ruhnkenius accurate docuit, novumque modum variarum lectionum

nium Homericarum ex *Heſychio* colligendarum demonſtravit, ac planum fecit, Heſychium Grammaticos, in epiſtola illa commemoratos, conſuluiſſe. De *Throne* ac *Didymo* ita cenſet, ut ab utroque et comicum et tragicum Lexicon ſcriptum eſſe ſtatuat. *Diogenianus* ei in poetis potiſſimum verſatus videtur, etſi forte reliqua etiam attigerit. Denique inductione exemplorum demonſtrat, quaecumque loca ab ullo veterum e *Diogeniani* Lexico laudata ſint, ea in Heſychiano comparere. Quis ergo dubitet, *Heſychium* Diogenianis gloſſis uſum eſſe? Aetas *Heſychii*, quamquam dubia eſt, tamen in tempora, ſaeculo decimo priora, incidit: ceterum quoniam teſtimoniis utitur ſcriptorum non Chriſtianorum, quae Grammatici Chriſtiani tollere ſolebant, Chriſtianus fuiſſe non videtur.

Sed ad ipſum *Heſychium* accedemus, et primum exempla quaedam ex eo genere recenſebimus, ubi vulgata lectio mutata eſt. Nempe hactenus ſingularis gloſſa fuerat, Κάλλος· τὸ τῆς Ἀφροδίτης μύρον, quam ſequuta eſt haec, et ipſa ſingularis, Καλλείμενοι πρόσωπα καὶ τὸ σύνηθες. Sed iam *Lamb. Bos* viderat, et κάλλει μὲν οἱ πρόσωπα ſcribendum, et totam hanc gloſſam ſuperiori annectendam eſſe. *Albertus* autem reperit haec ipſa verba apud *Hom.* Od. 6, 191, itaque ſic, ut voluerat *Lamb. Bos*, locum edidit. Unde fit, ut κάλλος in hoc *Homeri* verſu ſit μύρον, in quo ſcholia Homeri conſentiunt, et ipſe verſus exempli loco adiectus. Cetera, καὶ τὸ σύνηθες indicant vulgarem verbi huius ſignificatum. Ad criſin Homerici loci illud notaſſe placet, in *Apollonii* Lex. MS. πρόσωπα τὰ legi, quod cum coniectura *Stephani* προσώπατα convenit; ſed Clarkianae coniecturae, χρῶτα pro πρῶτα, nullus Grammaticorum favet, nec Barneſiano μὴν pro μὲν. In Κυνόμυια olim legebatur, τοιαῦτα γὰρ τὰ ζῶα ὁ κύων καὶ ἡ κυνόμυια Sed *Albertus* καὶ ἡ μυῖα edidit, quod iam multi, ut profecto eſt, neceſſarium iudicarant. Recte recepit Λιτουργὸν pro λιτούργιον, quod iam *Valkenario* (ad Ammon.

p. 146.) et *Ruhnkenio* placuerat: nam λιτυεργὸν *Heſychius* eſſe dicit κακὄεργον. Mutavit porro νενώηται in νενώπηται, ſuadente *Bentleio* in ep. ad *Mill* p. 65. et νεοςιςίη in νεοςασίη, quod poſt *Salmaſium Arnaldus* ita probavit, ut ad *Apollon. Rhod.* 3, 76. referret. Cum autem *Heſychius* νεοςασίην interpretatus eſſet ἑταιρoίωσιν, νεωτερισμὸν, ἔκπληξιν, (nam haec omnia coniungenda ſunt, quamquam vulgo νεωτερισμὸς gloſſa ſingularis eſt, quod ipſum *Albertus* mutavit,) *Arnaldus* maluit ἑτεροίωσιν, *mutationem* eius, qui nunc alia loquitur, quam quae olim loqui ſolebat, ſui eſt diſſimilis. Itaque *Heſychius* locum *Apollonii* ſic accepiſſe videtur, ut primum ipſam verbi vim explicaret, *novitas orationis*, (nam eſt apud *Apollonium* Κύπριν νεοςασίη λάβε μύθων) deinde id, quod conſequitur, adderet, *ſtupor eius, qui novitate percellitur*. *Ruhnkenius* tamen (Ep. Cr. II. p. 60.) maluerat, Κύπριν δ' ἀνεοςασίη λάβε μύθων, quoniam *Heſychius* ἀνεοςασίην (non ἀνειςασ. ut vulgo editur) per θάμβος explicavit. Non tulit *Albertus* Μενοσανιος, quod in prioribus edd. haeſit, ſed, quae in *Periculo Crit.* iam dixerat, exſecutus eſt, et Μένος Ἄρηος reſtituit: illuſtrat enim gloſſa *Homerum* Il. 6, 264, cui convenit interpretatio, πόλεμος. Recepit etiam πρόδρομοι pro πρόδρομαι, comparavitque *Ieſa.* 28, 4. et *Num.* 13, 21. ubi πρόδρομος ςαφυλῆς et σύκα leguntur, quae reſpondent Heſychiano: τὰ προακμάζοντα σῦκα. Similiter προεισπεπταικότες mutatum eſt in προεισπεπαικότες, et ita demum interpretatio προεισελθόντες locum habet. Neglecto προτιειδειν nunc προτιειλεῖν legitur, *Ienſio* auctore, qui ad *Hom.* Il. κ, 347. reſpici cenſuit: a quo loco etiamſi Heſychiana explicatio, ἐγκλίνειν, non aliena eſt, tamen nobis paullo durius videtur, illud προτιειλεῖν tali verbo explicari. Συσσοίη erat, ſecundum priores editiones, ἡ ἀνεμπόδιςος φθορά. Sed vidit *Hemſterhuſius*, verbi originem eandem eſſe, quae verbi σοῦς, referendumque ad themata σείω, σόω, et ſimilia. Itaque in promtu erat, φθορὰ in φορὰ mutare: cum enim corpora verſus eamdem plagam feruntur, ut ne alterum alteri obſiſtat, ea eſt συσσοίη, ideoque ἀνεμπό-

Digitized by Google

ἀνεμπόδιςος φορά. Paruit ergo *Albertus* admonitioni *Hemſterhuſii*, recepit φορά, et e p. 1311. comparuit συσσοῦσθαι, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συμφέρεσθαι. Egregia profecto criſis! Χηροπτάζουσα non eſt, ut explicatur, διὰ χειρὸς ἔχουσα. Ergo repoſuit *Ruhnkenius* χειροπτ. et in notis amplius monet, χειραπτ. ſcribendum eſſe, quo verbo *Herodot.* 2, 90. uſus eſt. Adparet autem, eſſe ex ἀπάζειν vel ἀφάζειν derivandum. Idem ipſa hac de cauſa in *Auctario* ad *T.* 2. p. 251. Κηροπάζουσα Heſychianum corrigi vult, ut ſit χειραπάζουσα, cui reſpondet interpretatio βαςάζουσα. *Voſſius* iam correxerat χειροπάζουσα. Μουσιαδδεῖ tranſiit nunc in μουσίδδει, quod aeolicum eſt, et aeque ac doricum μυσίδδει (*Ariſtoph. Lyſiſtr.* 94. 1070.) pro μυθίζει ponitur: inde *Heſychius* adſcripſit, λαλεῖ, ὁμιλεῖ. Haec poſt *Kuſterum* uberius expoſuit *Hemſterhuſius* in *Auctario Emendatt.* ad h. l. Receptum eſt πλατειάδδοντες pro πλατειαδάοντες, probante *Hemſterhuſio* in *Auctario*: nam eſſe πλατειάδδειν τὸ πλατείᾳ τῇ χειρὶ πατάξαι, et pro πλατῆορ apud *Heſychium* ſcribendum videri πλατειάσαι. Sed poſſe etiam πλατειάδδοντες in πλατιάδδ. mutari, hoc eſt, πλησιάζοντες. Horum utrumque ſignificare id, quod *Heſychius* dixerit, οἱ γυμναζόμενοι τοῖς ἐφήβοις, ubi τῶν ἐφήβων legendum eſt.

Adiungamus his loca quaedam, quorum corrigendorum tanta neceſſitas eſt, ut propemodum miremur, vitia eorum ab editoribus relicta eſſe. Ῥινηλάτην ὄνον *Heſychius* eſſe dixit τὸν καθικνούμενον τῇ ὀσμῇ. Non ergo difficile fuit, ὄνον in οἶνον mutare, id quod *Voſſius* etiam monuit: tamen editores a vulgata lectione non receſſerunt. Similiter προσβωμολοχεῖ, ποχαίρειν λέγει ſervarunt, etiamſi locum iam conſtituerat *Kuſterus*, πρὸς χάριν λέγει, quod videtur unicuique in mentem venire debere, in quo nos quidem magnum ad neceſſitatem corrigendi momentum eſſe arbitramur. Fortaſſe etiam in λίαξ, παῖς ἀρχιγένειος, res ita aperta erat, ut ſine cunctatione ἀρτιγένειος reſcribendum eſſet, de quo in notis ad h. l. agitur. Idem videtur de καίοντο, ἐκαίοντο, ubi *Albertus*

recte

recte quidem iudicavit, καίοντο ponendum eſſe; ſed ſervavit tamen καίεντο. Pertinet autem locus ad *Hom.* Il. α, 52. Quod porro in ipſo opere intactum manſerat, ἰσομυθοῦντες, id *Ruhnkenius* in *Auctario* vidit in ἰσχνομυθοῦντες mutandum eſſe, quo non obſervato, quis tandem interpretationem, ἀκριβολογοῦντες, intelligat? Sed eo magis probandum eſt, cum *Suidas* ἰσχνομ. habeat. De forma loquendi ἰσχνῶς εἰπεῖν egit *Caſaubonus* ad *Polyb.* 1, 2. Nec dubitamus, in κουλέει p. 303. errorem cum *Salmaſio* tollendum, et κολούει ponendum fuiſſe, quod vel literarum ſeries flagitat: eodemque iure poſt κυβερνᾷ pro θύει ſcribendum ἰθύνει. Erat etiam, cur *Bentleius* audiretur, qui στενυγρόν, εὐριπῶδες, στενὸν reſcribendum viderat pro eo, quod nunc legitur, στένυτρον, εὐςυπωδέστερον. Ibi quoque, ubi editum eſt χύὀριον, στρεπτὸν, ὃ δεσσμεύουσι τοὺς χοίρους, nonne cum *Salmaſio* ᾧ pro ὃ reſtitui debuit? Καὶ μενεῦ cum explicatione καὶ δὴ ἐμοῦ, detexerat *Albertus* ex καὶ μὲν μεῦ ortum eſſe, et ad Il. α, 273. pertinere; reliquit tamen καὶ μενεῦ in textu.

Et alii Scriptores per hanc occaſionem tractati ſunt, de quibus nunc, variandae orationis cauſa, ſed pauca, dicemus. Ἴσοξ *Heſychio* eſt ἰχθὺς κητώδης, *Suidae* ὄνομα ἔθνους in ed. *Mediol.* et *Aldina*, ſed ὄνομα ἰχθύος in ed. Baſ. et Porti. Inde *Albertus* veram *Suidae* lectionem eſſe, ὄνομα ἰχθύος, e conſenſu *Heſychii* probat, de quo neminem arbitramur dubitaturum. Idem *Suidae* Lexicon per occaſionem verbi κενοτάφια p. 109. illuſtratur. Nam in edd. *Suidae* quibusdam, ut *Ald. Mediol. Baſ.* et *Gen.* poſt καινὸς legitur κενοτάφια, idemque verbum ſuo loco et ordine repetitur, ac tum κενοτάφια dicuntur ἑλισσόμενά τινα, ὡς τύπος νεκροῦ. Has *Albertus* cenſet eſſe *pupas*, ad inſtar mortui faſciis involutas, refertque locum ad 1 *Sam.* 19, 13. 16. Duae ſunt apud *Suidam* gloſſae, ἰσηγορεῖ et ἰσολογεῖ, quarum alteri, ἰσολογεῖ, nihil niſi *Polybii* locus ſubiicitur, alteri explicatio ἐπίσης λέγει additur. Sed *Albertus* ad ἰσηγορεῖ recte monet, ea omnia ſic coniungenda

eſſe

eſſe apud *Suidam*, ut ἰσηγορεῖ duplici explicatione illuſtretur, ἐπ' ἴσης λέγει et ἰσολογεῖ, tum exemplum e *Polybio* ſequatur, in quam rationem nulla amplius dubitatio cadere poſſe videtur. Conſuluit etiam loco *Clementis Alex. Protrept.* p. 3: ed. *Oxon.* (p. 2. D. ed. *Sylburg.*), τὸν Τερπάνδρου νόμον οὐδὲ τὸν Καπίτωνος, ubi Καπίτωνος, per errorem ortum eſt ex Καπίωνος ſeu Κηπίωνος, quoniam, *Heſychio* auctore, Καπίων eſt κιθαρῳδικοῦ νόμου ὄνομα. Sed *Menandri* fragmentum, a *Scholiaſte Theocriti* (ad *Id.* 1, 109.) ſervatum, defendit *Albertus* a coniectura *Sopingii*, qui ὡραΐζεται voluerat in κατωραΐζεται mutari, quod *Heſychius* explicat per σεμνύνεται. Cum vero *Scholiaſtes* voluerit exemplum verbi ὡραΐζεσθαι commemorare, hoc utique ſervandum eſt. In *Auctar.* ad T. 2, pag. 116. *Hemſterhuſius Clementis Al.* locum e *Paed.* 2, 5. p. 167. ita ſanat, ut γέλωτα μνηστηριώδη, qui vertitur *riſus procis conveniens*, mutet in κνηστηριώδη, et *pruritum ridendi* intelligat. Feliciſſime *Theocrito* verbum reſtituit *Ruhnkenius* in *Auctar.* ad T. 2, p. 420. Nam poeta, qui fontem limpidum deſcribit, et hoc addit, αἱ ὑπένερθεν ἄλλαι κρυστάλλῳ ἰνδάλλοιτο ἐκ βυθοῦ. Quid ergo eſt illud ἄλλαι, et quorſum referetur? Nempe λάλλαι, *lapilli*, legendum eſt, quod verbum *Heſychius* ſuo loco explicavit. Elegantiſſima igitur fontis limpidi deſcriptio erit.

Sequitur illa claſſis obſervationum, quae coniecturas de emendandis Heſychii ſingulis locis continent, quas quilibet facile intelliget copioſiſſimas eſſe, ipſa autem res utiliſſimas et maxime neceſſarias demonſtrat. Ac profecto in pleriſque conatus ita bene ceſſit, *Kuſtero* praeſertim, *Hemſterhuſio* et *Alberto*, ut ſaepe nihil dubitationis reſtet, plerumque via ſaltem monſtrata ſit: pauciſſima enim intacta manſerunt, in quibus quilibet attentionem atque diligentiam exercere poterit. Probanda videtur *Alberti* coniectura, καλονέοντες in κλονέοντας mutandum, et ad Il. ξ, 14. referendum eſſe, ubi ὀρινόμενοι et κλονέοντες ὄπισθεν opponuntur: ita enim,

cum aliquis τας pro τες poſuiſſet, ne error haereret, illud α in alienum locum fortaſſe migravit. Κατακωμᾷ, quod *Heſychius* καταγελᾷ interpretatus eſt, etiam *Pollux* 6, 200. habet, etſi ibi medium legitur, et varia lectio καταμυκᾶσθαι notata eſt. Tum apud *Euripidem Phoen.* 355. κατεκώμασεν notionem *illudendi* habet, ut *Heſychius* ἐπεκώμασεν ſuo loco explicavit. Ita ergo *Abreſchius* quidem ſuccurrit *Heſychio*; ſed cum κωμᾷν non plane idem, quod κωμάζειν, videatur, non male cenſuit *Albertus*, et hic, et in var. lectt. *Pollucis* καταμωκᾷ ſcribi poſſe. De verbo καταλῦσαι, quatenus eſſe dicitur ἀπολαῦσαι et εὐωχηθῆναι, optime poſt *Salmaſium* iudicavit *Biel*, metonymiam videri, ideoque, cum in diverſorio cibus quaeratur, verbum hoc ab aliquo de edendo bibendoque dici potuiſſe. Reliquam gloſſae partem, ἢ τὸν ἀρξάμενον οὐχὶ δέκα, *Albertus* e *Photii* Lex. MS. ita putat conſtitui poſſe: ἢ τὸν ἀπαγξάμενον καθελεῖν, ut adeo καθε et δέκα confuſa ſint, ac tum etiam λεῖν et οὐχὶ permutata. Ipſa vero correctio iis, quae *Suidas* in καταλῦσαι monuit, admodum congrua eſt. Dubius ille locus καταναῖ, κατὰ νοῦν, ſecundum *Hemſterhuſium* ita expediri poterit, ſi κατὰ νᾶν, i. e. νοῦν, ſcribatur. *Albertus* inſuper ſuſpicatur, νᾶ pro νοῦν veteres dixiſſe, a νοῦς, νόος, νόα, nam νόα dorice in νῶ, et hoc in νᾶ tranſire potuiſſe. Καταβολὴ p. 200, cum ſignificat τὸ ἐπιβάλλον, mutandum eſt in κατηβολή, et ad *Nicandri Alex.* v. 194. referendum, quod vel ordo literarum indicat. Adparet etiam, καταβολὴ et κατηβολὴ ab *Heſychio* confuſa eſſe, quoniam et hic poſuit nonnullas explicationes, quas cum verbo καταβολὴ iam coniunxerat. Sed praeclara eſt *Alberti* coniectura in κύματι κωφῷ priore loco, cui *Heſychius* adiecit ἤχῳ, quod recte in ἀνήχῳ mutatur, quo nihil facilius et verius eſt. Verbum ἄνηχος, quod Lexica non habent, *Aretaei* loco (p. 40, 32) defenditur, nec minus auctoritate *Suidae* et *Photiani* Lex. MS. nam et hic κωφὸν et ἄνηχον iunguntur. Pro κωδία priore loco idem malit propter ordinem literarum κώδεια, et paulo poſt κωδία, nam verbum utroque modo ſcribitur. Praeterea

terea cum κωδία ſic explicetur, κεφαλὴ χωρὶς σώματος, delet verba χωρὶς σώματος, per errorem e ſequenti gloſſa huc relata. Felicisſima eſt *Hemſterhuſii* correctio in Κόρακος πέτρα. Quae enim nunc leguntur, ὁ Κόραξ παῖς ἦν Ἀρεθούσης διὸ θάνεν, aperte vitioſa ſunt. Itaque *Hemſterhuſius* ex *Euſtathio* ad *Odyſſ.* ν. p. 1746. integrum verſum, qui exciderat, in hunc modum reſtituit: ὅτι (pro ὁ) Κόραξ, παῖς ὢν (pro ἦν) Ἀρεθούσης διώ[κων λαγωὸν κατὰ κρημνοῦ ἠνέχθη καὶ ἀπέ]θανεν. Non minus feliciter *Kuſterus* ad ληπτέος animadvertit, ante hoc verbum excidiſſe οὐ τῇ ἑτέρᾳ, nam οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτέον, *non una manu capiendum*, proverbium Graecorum fuit, quo rem difficilem ſignificarunt. Integrum legitur apud *Platonem* in *Sophiſt.* p. 226. ed. *Steph.* Atque ſic Heſychiana explicatio, ἐπὶ τῶν μὴ εὐαλώτων ἐλέγετο, locum habebit. Probavit coniecturam *Albertus.* Verbum ληρώδεις non patitur adiectam interpretationem: σανίδες, ἐν αἷς οἱ νόμοι γράφονται. Quare Κύρβεις reſcribi vult *Albertus,* et gloſſam alienum in locum in literam Λ irrepſiſſe ſuſpicatur. Certe *Suidas* et *Zenob.* Cent. 4, 77. κύρβεις iisdem fere verbis deſcribunt, ipſeque adeo *Heſychius* in Κύρβις. Quod ſi cui diſplicet, ληρώδεις ſtabit ſine explicatione, et verba σανίδες — γράφονται, undecumque huc venerint, ad κύρβεις referentur. Perobſcurus locus eſt: Πλήξαντα καὶ πληγέντα· εἰκόνα ξυλίνην, ὁ Δαίδαλος χαριστήριον τῆς Ἰκάρου ταφῆς. Hic iam *Heinſius* ex *Apollodoro* 2, 6. docuerat, Herculem, ligneam ſui ipſius imaginem, a Daedalo fabricatam, lapide percusſiſſe: ſed locum Heſychianum paulo duriore medicina ſanaverat. Verum *Hemſterhuſius* omnia clarisſime demonſtravit. Auctore enim *Euſtathio* ad Il. λ. p. 882. lapis ille, ab Hercule in imaginem coniectus, reſiliens ipſum percuſſerat, ideoque Hercules erat πλήξας καὶ πληγείς. Hinc locum ita conſtituit: Πλήξαντα καὶ πληγέντα· εἰκόνα ξυλίνην, ἣν ὁ Δαίδαλος χαρ. τ. Ἰκ. τ. ἀνέθηκε, vel ἐποίησε. Ceterum Hercules neſcius percuſſerat imaginem, cum ſibi latronem occurrere opinaretur: Daedalus vero ideo fabricatus erat, quia Hercules Icarum, eie-



Digitized by Google

ctum ad litus, humatione dignatus erat: inde χαριστήριον. Non poteſt πολύφερνος poſt πολύδωρος per ipſum literarum ordinem ſtare. Itaque placuit *Alberto*, hoc πολύφερνος cum adiuncto verbo πολύεδνος, referre ad ſuperiorem gloſſam πολύδωρος, eique triplicem explicationem addere, πολλὰ λαβοῦσα δῶρα, πολύφερνος, πολύεδνος. Quae ſi quis coniungere omnia nolit, ſaltem, ut literarum ſeries conſtet, mutato ordine ſcribetur, πολύεδνος, πολύφερνος. Nobis quidem prior ratio, ut facilior, ita verior videtur. De gloſſa προτιάπτω, προπέμπω, ita dubitarunt *Voſſius* et *Stephanus*, ut ille corrigeret προσπέμπω, hic προϊάπτω. Monuit *Hemſterhuſius*, προσπέμπειν eſſe verum: referri enim ad προτιάπτω Il. ω, 110, quod alii ex ἰάπτειν, alii ex ἅπτειν derivarint. Itaque, ſi rem recte tenemus, haec gloſſa tantum ad quorundam Grammaticorum de illo loco opinionem accommodata eſt. Πρόκαυτα, quod iuxta *Heſychium* eſt προειρημένα, προηκασμένα, alii latinum verbum *praecauta* eſſe putarunt, alii in πρόκακα vel πρὸ καὶ αὐτὰ mutarunt: ſed eſt ex πρόκλυτα ortum, et *Hom.* Il. υ, 204. illuſtrat, πρόκλυτ' ἀκούοντες ἔπεα, quae obſervatio *Heinſio* atque *Kuſtero* debetur.

Interdum lectio vulgata, coniecturis aliorum labefactata, hac editione denuo ſtabilita eſt. Placuerat plerisque, σμῆμα in σμῆγμα mutare, ubi *Heſychius* ῥύμμα eſſe dicit σμῆμα. Sed σμῆμα tuetur *Albertus*, quoniam a σμάω recte derivari poteſt, et *Thomas Mag.* σμῆμα Atticum dicit, σμῆγμα commune. Similiter in Ῥάριον, παιδίον, velut conſenſerant interpretes, πεδίον reſtituendum eſſe, quoniam, auctore *Pauſania* (1, 38.) conſtabat, campum, qui primus conſitus ſit, *Rharium* fuiſſe. Quia vero et *Etym. M.* cum *Suida* ῥάρος per βρέφος explicarunt, et *Ruhnkenius* in MS. *Porphyrii* περὶ προσῳδίας idem reperit, defendit *Albertus* illud παιδίον.

Occurrunt

Occurrunt etiam loca bene multa, ad criſin Homericam admodum utilia. Πϱοφεϱέστεϱοι, h. e. κϱείττονες, ὑπεϱέχοντες etc. a *Ienſio* ad *Od.* φ, 134. refertur, ut adeo haec lectio *Heſychii* aetati aequalis ſit, etiamſi veteres editiones, ex alia recenſione, πολὺ φέϱτεϱοι habent. Ut *Heſychius*, ita et *Ariſtophanis Scholiaſtes* ad *Acharn.* v. 17. ῥυμματα per σμήγματα illuſtrat, addito *Homeri* loco Il. ξ, 171, ῥύμματα πάντα κάθηϱεν. Et hodie tamen λύματα π. καθ. legitur. Σμύχοιτο ab *Heſychio* ſic explicatur, ut, eodem *Ienſio* iudice, in locum, qui Il. χ, 411. occurrit, conveniat: nam ibi ſignificat ἀφανίζοιτο, κατακαίοιτο. Sic ergo *Heſychius* illum locum legit, etiamſi alii, ut Rom. editio, σμήχοιτο habent. Idem iudicarat *Erneſtius*, σμύχοιτο verum eſſe. Ducta videtur gloſſa ἴϱεσσιν ἐοικότες ex Il. λ, 27, ubi nunc ἴϱισσιν legitur. Sed cum Scholia ad Il. γ, 121. etiam ἴϱεσσιν habeant, haec *Alberto* varia lectio videtur, ſervata ab *Heſychio:* cui *Apollonii* Lex. MS. adſentitur. Ceterum ut *Heſychius* coloris, non figurae; ita *Apollonius* figurae, non coloris ſimilitudinem intelligit, quem *Albertus* ſequi mavult, propter illa, quae etiam *Heſychius* adiecit: ὅλοι εἰσὶ συνεστϱαμμένοι, quod ad iridos colores nullo pacto referri poteſt. Ipſe adeo *Homeri* locus, δϱάκοντες ὀϱωϱέχατο πϱοτὶ δειϱήν, poſtulare hoc videtur; quamquam colorum diverſitatem non penitus alienam eſſe concedimus. De Κάμιϱος in notis admonetur, apud *Homerum* Il. β 656. ſcribi Κάμειϱος. Sed MS. Lipſ. cum prioribus editionibus, etiam Κάμιϱος habent.

Iam colligemus quaedam loca, quae interpretes vel non attigerunt, vel non ita tractarunt, ut non alia quoque ratio habere locum videatur. Qui ſint, aut unde ſint πϱοκεχηνότες, quaeri poteſt. Ac Heſychiana quidem explicatio, πϱός τὰ κάτω βλέποντες, ſuadere videtur, ut de canibus intelligatur, qui praedam ore verſus terram hiante cupidius perſequuntur: aut e ſcriptore eccleſiaſtico venire in *Heſych.* gloſſarium potuit, ut homo, terrena appetens, deſcribatur,

quod et *Plato* de rep I. 9, p. 460. ſuo modo dixerat: *βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες, καὶ κεκυφότες εἰς γῆν καὶ εἰς τραπέζας* Haec quidem melius videntur Heſychianae interpretationi congruere, quam quod *Pricaeus* Apuleianum illud confert: *in proſpectu attonitus.* Πρόληψις, πρόγνωσις, nonne philoſopho antiquo tribuendum, et de *ante capta opinione* intelligendum, de qua *Cic. N. D.* 1, 16. egit? Dubitari poteſt, cur συμμεμαρτυρημένη exponatur συνειλημμένη. Videtur autem intelligi συνειλημμένη τῇ μαρτυρίᾳ, *una comprehenſa formula teſtimonii*, quemadmodum συλλαμβάνεσθαι et συμπεριλαμβάνεσθαι τῇ διαθήκῃ dicuntur, *una comprehenſi foedere.* Quae σφυρήματα ſint, dubium reliquit *H. Stephanus*: poſſe enim vel ligamenta intelligi, e quibus mallei ſuſpendantur, vel faſcias, quibus malleoli pedum vinciantur, quia σφυροδέται ab *Heſychio* ita adiectum videtur, ut eſſet ſynonymum σφυρημάτων, quae explicavit per τὰ σιδήρια. Sed quia verbum eſſe dicit ſcriptorum de re equeſtri, ſuſpicetur aliquis, ferramenta intelligi, ac nominatim ſoleas ferreas equorum. Non poteſt genuinum eſſe ὑποφωνεῖν in his: Συζυγεῖν, τὰ ὑποζύγια ὑποφωνεῖν ἐν τῷ ἕλκειν, videturque in συμφωνεῖν mutandum: dicitur enim de iumentis, aequali niſu trahentibus, ut de contrario ἑτεροζυγεῖν, quod vere eſt μὴ συμφωνεῖν ἐν τῷ ἕλκειν. Si iuxta *Heſychium* Χρυσοῤῥαγὲς eſt Χρυσοβαφὲς, non tam videtur ad ῥῆγος, i. e. ῥάκος ſeu περίζωμα, referendum, etſi idem *Heſychius* ῥῆγεα eſſe dicit παλλία βαπτὰ, quam ad verbum ῥάζω, *perfundo.* Ibidem Χρυσοῤῥαγὲς ἔρνος explicatur ἀπεῤῥηγμένον ἀπὸ τοῦ δένδρου, eſt autem frons, ex arbore auricomante decerpta, qualis illa Virgiliana, *Aen.* 6, 136. et 204, aut ex ea ſaltem arbore, quae fert aurea mala. Ναύειν explicatur per ἱκετεύειν, παρὰ τὸ ἐπὶ τὴν ἑστίαν καταφεύγειν τοὺς ἱκέτας· e quo tamen nondum apparet, cur ναύειν ſit ἱκετεύειν. Ceteri quidem Grammatici, qui in notis ad h. l. comparantur, hanc rationem reddunt, ἐπεὶ ἐν τοῖς ναοῖς ἦσαν, ἢ παρὰ τὴν ἑστίαν, παρὰ τὸ ἱναῦσαι; ſed ne haec quidem ſatisfaciunt. An ναύειν eſt pro νάειν, ſeu νάϝειν, cum digammate aeolico,

h. e.

h. e. *habitare?* nam ſupplices ſedent (morantur) in ara, et infra ubi eſt ναύω, vix dubitamus, quin cum *Voſſio* legendum ſit ἰάω, ordine literarum poſtulante; niſi et ibi ſcriptura vera fuit ναιω. De πλώσσειν, φθείρεσθαι, notavit *Albertus.* infra occurrere ποίσει, φθερεῖ, et πύσει, σήψει. Sed ea ad locum hunc illuſtrandum valere non videntur. An ergo per errorem πλώσσειν e verbo βλώσκειν ortum? Id enim *Heſychius* eſſe dixit ἕρπειν. Iam *Taylorus* ad *Lycurg.* in Leocr. §. 11. e Grammaticis graecis docuit, φθείρεσθαι interdum eſſe *lente procedere, ſerpere,* quibus ſimilia quaedam *Budaeus* in *Comm. L. gr.* p. 1384. collegit. Sic foret βλώσκειν idem quod φθείρεσθαι ſ. ἕρπειν. Verbum πτύσσει duplicem explicationem habet, primum κραδαίνει, ut ἐπτύσσοντο, ἐκραδαίνοντο, ex Il. ν, 134, deinde τὰ δόρατα διπλοῖ, quod obſcurius videtur. Ac nobis in mentem venit, τὰ ἐνδύμχτα διπλοῖ reponere, quocum πτύσσειν et πτύσσεσθαι bene conveniret. Sed defendi vulgata et explicari ita poteſt, ut *haſtam duplicare* interpretemur, tanto cum impetu vibrare et infigere hoſtili ſcuto, ut *curvetur,* i. e. duplicetur; unde Scholia *Homeri* ad Il. ν, 134. per ἐκάμπτετο κραδαινόμενα explicant. Latinos etiam rem, quae curvetur, *duplicatam* appellare, docuit *Gronovius Obſerv.* 4, 19. Heſychianum κολυρᾶν interpretes non attigerunt: videtur tamen pro κολοιᾶν per errorem poſitum, quod eſt θορυβεῖν, ut ab *Heſychio* explicatur, et in notiſſimo de Therſite loco Il. β, 212. occurrit. Ῥάπται pag. 1102. debet eſſe, ῥάκται. — In ὑποκέυθεα, ὑποκοίλεα debet eſſe ὑπόκοιλα, ut opinamur. Ψαίνυον in Gloſſario eſt ἀχρεῖον, pro quo forte ψαίνυθον legendum erat, ut paulo ante ψαινύθιον, quod et ipſum eſt μάταιον, εὐτελὲς, φλύαρον. In ψευδοῤῥαβδοθίαι, quos *Heſychius* ψευδοραψῳδοὺς explicat, ter erratum videtur: nam ψευδοραβδῳδοὶ demum gloſſae adiectae ſimile erit? ψυχροκομψώματα videtur nobis vel cum ψυχροκομψεύματα, vel cum ψυχροκομπώματα permutandum: utrovis enim modo Heſychiana explicatio ψυχροφαντάσματα ſtabit. Sed huius generis plura notavimus, quae commemorare omnia non poſſumus.

Non

Non potuimus praeterire, quae *Hemſterhuſius* ſuo more de verbo ἰλλώπτειν diſputavit, ut omnem ſimul eius vim explicaret. Primum in magna ſcribendi varietate ἰλλώπτειν praefert, quamquam etiam ἰλλωπεῖν et ἰλλωπίζειν ferri poſſunt: cetera vero vel librariorum errori tribuenda ſunt, ut ἰλλώττειν apud *Clem. Alex. Paed.* 3, p. 294, vel in ἰλλώπτειν mutanda, ut ἰλλωπτεύειν in Lex. MS. *Photii.* Sed ἰλλὸς, *Polluce* auctore, eſt ſtrabo, unde ἰλλώπτειν, *oculis eſſe ita diſtortis, ut palpebrae conniveant*, tum *palpebris adductis oculos intorquere, circa ſomni initia ſenſim occludere palpebras*, denique *laſcivis oculis adnictare*, et *oculorum nictu illudere*. Quae omnia exemplis exquiſitisſimis illuſtrata ſunt, variis variorum locis ſimul emendatis. Digna omnino eſt tota obſervatio ingenio et doctrina *Hemſterhuſii.*

Reſtat, ut de *Auctario Emendationum Ruhnkeniano* dicamus, in quo de utroque tomo *Heſychii* multa, etſi paucis, praeclare admonentur, ut omnibus, qui *Heſychium* tractent, iam neceſſe ſit ubique ad illud confugere: plura enim inſunt, quam ab Auctario aliquis exſpectet. Ergo ea, quae in ipſo opere omiſſa erant, hic adduntur, coniecturae *Pierſoni, Heringae, Valkenarii, Weſſelingii, Iacobi* et *Herrmanni Tollii, Hemſterhuſii*, praeſertim ipſius *Ruhnkenii*, proponuntur, quaedam explicantur latius, et conſtituuntur diligentius. Iam etſi pleraeque coniecturae ita veriſimiles ſunt, ut multis ſe probaturae videantur: ſaepe tamen exſpectandum videtur, donec quis locum, unde gloſſae ſingulae fluxerunt, reperiat, ſine quo difficilius eſt aliquid pro certo habere. Nos ea tantum excerpſimus, quae *Hemſterhuſii* et *Ruhnkenii* ſunt, et in hoc Auctario primum edita, cum reliqua in libris cuiusque reperiri poſſint. Corruptus eſt locus, Ἀβέλητοι, ἐντεύξεις: ſed adiutus Lex. Sangerm. *Ruhnkenius* vidit, ἀβολητὺς, ἔντευξις legendum eſſe, nam ibi plane ita legitur. Ἄδδαυον, ſi vulgatae lectioni credimus, apud Lacones eſt ξηρὸν. Sed hoc ita demum verum videtur *Hemſterhuſio*, ſi

ἄδδαλον

ἄδδαλον ponatur, quod, remota dialecto, eſt ἄζαλον ſeu ἀζαλέον, *ficcum*. *Kuſtero* diſplicuerat ἀδημεῖν, malueratque ἀδημονεῖν. Verum illud tuetur *Ruhnkenius*, quoniam ab ἀδήμων ἀδημονεῖν, et ab ἄδημος ἀδημεῖν derivatum videatur. Meurſiana ſententia de Ἀθμονεὺς denuo confertur cum longiore *Palmerii* refutatione, tum utriusque conatus irritos eſſe e *Lex. Sangerm.* demonſtratur, unde locum apparet ſic legendum eſſe: Ἀθμονεύς, Ἀθμονία δῆμός ἐςι φυλῆς τῆς Κεκροπίδος, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Ἀθμονεύς. In αἰήσυλον, ἄνεμον, quilibet erratum eſſe agnoſcit: inde etiam *Ruhnkenius* ἀήσυλον, ἄνομον legi vult. Ac nos quidem ipſi ἄνομον dudum notaveramus, quod ex altera explicatione, κακοποιόν, et ex interpretatione in αἴσυλα et ἀήσυλα facile intelligi poteſt: ſed in in priore verbo liberaliores erimus, ſi quis αἰήσυλον, fortaſſe e poeta, ſeruet. Mutilus viſus erat locus *Alberto*, Ἀκέμενοι, οἰώμενοι, μεταφορικῶς ἀπὸ τȣ̃ θεραπεύειν, nec iniuria: nam in *Lex. Sangerm.* ita legitur: Ἀκεόμενοι, ἐπισκευάζοντες, μετ. ἀ. τ. θερ. Sed in illo Lexico excidit οἰώμενοι, ſive potius ἰώμενοι, ut adeo alter locus alteri multum proſit. Ἀναπεπλονημένοι ſine interpretatione relinquendum eſt: tum alia eſt gloſſa, Ἀναπεπλωκότες, τὰς διανοίας ἀνατετραμμένοι, quae totidem verbis in *Lex. rhetor.* occurrit. Locus autem, quem *Heſychius* interpretatur, eſt *Demoſthenis* de falſ. leg. p. 327, Δέδοικα, μὴ νῦν ἀναπεπλωκότες ἦτε, quod *Ulpianus* explicat, νυςάζοντες, ȣ̓ νήφοντες. Mutari debet ἄςιγνας, αὔγας, in ἄςλιγγας, αὐγάς, quoniam ἄςλιγγες e dialecto idem eſt, quod ὄςλιγγες, quo verbo *Apollon. Rhod.* 1, 1296. uſus eſt, reperiturque et inter fragmenta *Callimachi*. Itaque reliqua pars Heſychiani loci, ἢ ἄςριγας, variam lectionem indicare videtur, praeſertim cum ſcriptura verbi varia eſſe ſoleat. Βαρυθυμήσαντες et explicatio ὀλιγωρήσαντες bene conſtabunt, ſi βραθυμήσαντες legatur, hoc eſt, ῥαθυμήσαντες, ut infra βράδιον, ῥάδιον, Αἰολεῖς. Sanari poterit locus in Βήρηκες e *Lex. MS.* ubi ſic legitur: μάζαι ὀρθαὶ, οἱ δὲ ἁπλῶς μάζας, ἐπάνω κέραττα ἐχούσας. Certiſſimum hoc iis erit, qui *Heſychium* in βάρακες



Digitized by Google

et βάρβαξ audierint: nam μάχαιραι pro μάζαι in hoc loco, de quo agitur, ferri nulla ratione poteſt. Mira eſt gloſſa, Βρέττανα φοβερά, ἀκρὶς μικρὰ ὑπὸ Κρητῶν, verum eadem, ut e *rhet. Lexico Ruhnkenius* didicit, mire corrupta. Primum ergo ſeparatim legendum, Βρέττανα, φοβερά, ceteris omnibus deletis. Iam altera ab hac eſt gloſſa Βρέκος, quod ſi in βρεῦκος mutetur, feret illam explicationem, ἀκρὶς μικρὰ ὑπὸ Κρητῶν. Atque ita omnia haec in Lex. illo leguntur, niſi quod βραῦκος ſcribitur, quod a βρεῦκος (hoc ſeries literarum in *Heſych.* Gloſſario poſtulat) tantum ſcriptura differt. Ceterum βρέττανα intactum reliquit; tantum addidit: *forte quis coniiciat* Βριγεδανὰ *aeolice, pro* ῥιγαδανά. Profecto ingenioſe. Gloſſa Heſychiana, Γοργύρα, ὑπόνομος, δι' οὗ ὕδατα ὑπεξῄει, aliquot verba adiecta habet in Lex. rhetorico: καθόλου δ' ἔλεγον οὕτως τὰς δυσεξιτήτους κατασκευάς, καὶ μὴ ἐπευθείας, ὁ δὲ Ἄλκμαν διὰ τοῦ ε Γέργυρα ἔφη. Poſt δελάφυξας malit *Ruhnkenius* διεῤῥόφησας pro διεφόρησας, ut in Scholiis ad *Ariſtoph. Nub.* 52, λαφύσσω, τὸ ῥοφῶ. Sed quoniam διεφόρησας rem ſatis exprimit, ut conſequens ſignificetur, ut in altera explicatione, ἀνήλωσας, *dilapidaſti bona*, nobis quidem tenendum videtur. Ἐπιβουλεύων, non ſua ſerie poſt ἐπεὶ (T. I, p. 1320.) poſitum, ut ſimile ſit interpretationi, λοιδορῶν, ἐφυβρίζων, mutandum eſt in ἐπιλωβεύων, eodemque modo ab ἐπίβουλος ſeparanda gloſſa, ἐπηρεάζων, λοίδορος, et ad ἐπεσβόλος referenda, aut ad ἐπήβολος, quod in *Lex. rhetor.* diſerte ſic explicatur, addita hac ratione: πρὸς τὰ ἔπη ἐπιβάλλειν, ὡς βέλη, quae quidem ratio nobis quaeſita nimis et arguta videtur: mallemus enim eum conviciatorem intelligere, qui certe pungit, cuius convicia certe dolent, quaſi εὔστοχον λοιδορὸν, ut *Longinus* c. 34, κέντρον μετὰ παιδιᾶς εὐστόχου, de dicteriis mordacioribus. Ἱερὰ πάρθενος non eſt Δημήτηρ, ſed Ἄρτεμις, quae nomina et alibi confuſa ſunt. Ἰλιγγίφθογγοι voluerat *Albertus* cum μελίφθογγοι permutari; ſed *Ruhnkenius* duas alias correctiones propoſuit, vel λιγύφθογγοι, quod nobis perplacet, vel *ἰυγγίφθογγοι*, quod ipſi magis blanditur. Κακόβας, ut eſſe poſſit

ἐπὶ

ἐπὶ χαχῶ ἤβῶν, erit cum Hemſterhuſio in χαχίβας mutandum, hoc eſt, χαχάβας pro χαχήβης, ut πρωθάβας eſt πρωθήβης. X autem in κ cum Doribus mutatur, qui ſaepe adſpirationem eximunt. Οἰαῖάν, χομήῖην, *Albertus* edidit: id *Ruhnkenius* poſt *Stephanum* ſic corrigit, οἰάταν, κωμήῖην, ſimiliterque in οἰητᾶν et ὤας reſtitui vult κῶμαι pro κόμαι. Nam οἴας eſſe *pagos*, ex *Apoll. Rh.* 2, 139. diſci poteſt; *comas* ſignificare, nullo exemplo conſtat.

Finiemus hanc totam de Heſychiano opere narrationem indicanda praeſtantisſimae diſputationis ſumma, quam Cel. *Rühnkenius* eidem Auctario de Dionyſiis inſeruit. Ergo Dionyſia in *Lex. rhetor.* ſic deſcribuntur: Ἑορῖὴ Ἀθήνησι Διονύσε. ἤγετο δὲ ῖὰ μὲν κατ᾽ ἀγρὲς μηνὸς Ποσειδεῶνος· τὰ δὲ Ληναῖα (ſic Heſychianum κλαῖα dudum correxerant Viri docti) Γαμηλιῶνος (*Heſ.* μηνὸς Ληναιῶνος), τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Unus *Heſychius* diſerte diſtinguit triplicia Dionyſia. Sed *Ariſtophanis* Scholiaſtes ad *Acharn.* v. 201. qui priora duo genera pro uno habet, errat, et cum eo *Scaliger* atque *Caſaubonus:* male enim intellexerant poetae loca, ex altera parte v. 202. et 251, ex altera v. 503. et 1153, ubi feſti dies iidem deſcribi videntur. Sed Dicaeopolis, qui in fabula inducitur, avolat in pagum ad Διονύσια κατ᾽ ἀγρὲς, reverſus autem Athenas celebrat Lenaea. Non patitur ergo temporis locorumque diverſitas, eosdem dies feſtos intelligere. Quod autem in *Lex. MS.* Lenaea ad Gamelionem referuntur, id ſic vitabitur, ſi Γαμηλιῶνος in Μηνὸς Ληναίε mutetur: certe verbum vitioſum eſt, cum *Thucydides* 2, 15. diem Lenaeorum adeo nominet, qui fuit duodecimus Anteſtherionis ſeu Lenaeonis. Praeterea Anteſtheria, quorum partes ſunt Πιθοίγια, Χόες, Χύτραι, non differunt a Lenaeis. Nam Acharnenſes editi ſunt Lenaeis, v. 503. 1153. ſed editi ſunt feſto die Χόων, v. 1075. 1209. Sunt ergo Χόες et Ληναῖα idem. Quod igitur Alciphro 2, 3, p. 230. ea diſtinguit, id ſic intelligi poteſt, ut unum illorum dierum κατ᾽ ἐξοχὴν Lenaea

 adpel-

Digitized by Google

adpellatum ſtatuamus. Ceterum, quoties Διονύσια ſimpliciter dicuntur, intelligenda ſunt urbana Dionyſia.

## *SOLUTIO PROBLEMATIS AD METHODUM Tangentium inverſam pertinentis: auctore I. H. LAMBERT.*

§. 1.

Tab. II. Problema, quod hic ſolvere conſtitui, illud ipſum eſt, de quo R. P. *Vincentius Riccatus*, in primo Tomo Opuſculorum pag. 95, ita praefatur.

„Propoſitum olim fuerat, in familiari ſermone, a viro „in rebus analyticis ſatis verſato, Problema, pertinens ad tan„gentium inverſam methodum, quod a ſe tentatum ſaepius „aiebat, ſolutum autem eſſe ingenue negabat. Problema „vero erat huiusmodi. Datis duobus punctis *D*, *G*, quo„rum alterum ſit in recta *G C*, invenire curvam *D B M E* „transeuntem per punctum *D*, cuius proprietas ſit, ut du„cta tangente qualibet *M T*, pars curvae *D B M* aequet re„ctam *G T*. (Intelligitur vero, rectam *D G* curvam tangere in puncto *D*).

§. 2.


Idem hoc Problema et mihi iam pluribus ab hinc annis in mentem venerat, inſtar luſus ingenii. En qua ratione:

„Canis in *D* leporem, ſecundum murum rectilineum „*G C* procurrentem, ita proſequitur, ut quemvis paſſum ver„ſus leporem dirigat: quaeritur aequatio ad curvam *D B* „*M E*, quam canis curſu ſuo emetitur, poſita velocitate tum „leporis, tum canis, conſtante, ſive aequalis ſit ſive inaequalis.

Facile patet, utrumque Problema unum idemque eſſe. Hoc quoque dandum eſt illi Anonymo, qui R. *Riccato* ſolvendum

Digitized by Google

TAB. II. ad Nov. Act. Erud.
A. 1769. Menſ. Auguſti p. 356.




Digitized by Google

Digitized by Google

vendum Probl. propoſuerat, ſolutionem difficillimam eſſe, ſi quidem immediate relatio inter abſciſſas et ordinatas quaeratur. Ponas enim, tangentem $BA$, eſſet ad rectam $MC$ normalem, et eſſe

$$AP = x$$
$$PM = y$$
$$BM = v$$

ducta tangente $MT$, ipſique infinite vicina $mt$, erit per conditionem problematis

$$Mm = Tt$$

vel ſi inaequalis ſit celeritas, erit $Mm$ ad $Tt$ in data ratione. Eſt vero

$$Mm = dv$$
$$-TP = \frac{ydx}{dy}$$

Unde cum debeat eſſe

$$MB = TA$$

erit

$$v = x - \frac{ydx}{dy}$$

unde

$$vdy = xdy - ydx = dy\int\surd(dx^2 + dy^2)$$

Haec ergo aequatio eſſet integranda. *Rev. Riccatus* aliam ingreſſus eſt viam, at vero prolixiſſimam. Quare breviorem hic indicare haud abs re eſſe duxi. En ergo qua ratione rem adgreſſus ſum.

§. 3.

Poſui angulum $MTP = w$, ſicque habui

$$Mm = dy.\,\text{coſec}\,w$$
$$tT = y.\,d\cot w$$

Yy 3 Unde

Unde, ſi in genere fiat

$$n.\, Mm = t\, T$$

erit

$$n\, dy.\, \text{coſec}\, w = y\, d \cot w$$

unde ſtatim habetur

$$\frac{n\, dy}{y} = \frac{d \cot w}{\text{coſec}\, w} = \frac{dw}{\text{ſin}\, w}$$

et integrando

$$n.\, \log y = -\log \cot \tfrac{1}{2} w + \text{conſt.}$$

Conſtante non opus eſt, ſi fiat $AB = 1$. Unde erit

$$y^n = \text{tang}\, \tfrac{1}{2} w$$

§. 4.

Quoniam ergo

$$-dy : dx = \text{tang}\, w = \frac{2\, t \tfrac{1}{2} w}{1 - t \tfrac{1}{2} w^2}$$

erit

$$-dy : dx = \frac{2\, y^n}{1 - y^{2n}}$$

ſive

$$dx = -\frac{dy}{2\, y^n} + \frac{y^n\, dy}{2}$$

unde

$$2\, x = \frac{1}{(n-1)\, y^{n-1}} + \frac{1}{n+1} \cdot y^{n+1} + \text{Conſt.}$$

Conſtans ita eſt determinanda, ut ſit $x = o$, cum $y = 1$ quare

$$2\, x = \frac{1}{(n-1)\, y^{n-1}} + \frac{1}{n+1} \cdot y^{n+1}\quad \frac{1}{n-1}\quad \frac{1}{n+1}$$

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

Aequatio haec nullum praebet valorem pro caſu $n = 1$, ubi velocitas utraque eſt aequalis. Quoniam vero hoc caſu

$$2\,dx = -\frac{dy}{y} + y\,dy$$

erit addita conſtante

$$2\,x = -\log y + \tfrac{1}{2}\,y^2 - \tfrac{1}{2}$$

et

$$y = \text{tang}\ \tfrac{1}{2}\,w$$

unde hoc caſu ſemper eſt

$$TB + TM = 1 = AB$$

Quare diſtantia, ad quam lepus canem poſt ſe relinquit, ſemper maior eſt $\frac{1}{2}$ *AB*.

## *ACTA PACIS OLIVENSIS INEDITA TOM. II. in quo Diaria, Suecicum, Danicum, Curonicum, e Tabulariis ac Bibliothecis nunc primum prolata continentur: recenſuit, illuſtravit, obſervationes adiecit, IOANNES GOTTLOB BOEHMIUS, Hiſtoriogr. Sax. Hiſt. P. P. O. Lipſ.*

Vratislaviae, apud Guilielmum Theophil. Kornium, MDCCLVI. pagg. 648. in 4.

Gratisſima profecto omnibus hiſtoriae gnaris eſſe debet Actorum pacis Olivenſis editio, cum ob pacis ipſius celebritatem, atque inſignem Actorum illius praeſtantiam utilitatemque, tum ob plurima quae Acta iſta ab illuſtris *Boehmii* ingenio, elegantia, doctrina, ſtudio, acceperunt ornamenta. Prius horum Actorum Volumen in his Actis A. 1763. menſ. Mai. iam indicavimus, recenſuimus, laudavimus.

Digitized by Google

vimus. Commendandum nunc reſtat Volumen alterum, eiusque bona recenſenda.

Ac priore quidem loco exhibitum eſt Diarium Suecicum, cuius exemplum doctisſimus Editor, liberalitate ADOLPHI FRIDERICI, Succiae regis, e Tabulario regio recenſendum evulgandumque permiſſum ſibi fuiſſe, in eleganti prooemio ad illuſtrisſimum Bernsdorfium, praedicat. Qua re magnum beneficium praeſtitum eſſe cum omnibus omnino hiſtoriae ſtudioſis, tum vero etiam hiſtoriae ipſi, ad incorrupta rerum monumenta exigendae, illuſtr. Editor recte arbitratur. Laudatum itaque, quod in manus Boehmii venit exêmplum, hoc eſt Protocolli Suecici partes poſtremas duas, quae a congreſſione Legatorum, habita Olivae d. 23. Martii, usque ad pacem confirmatam, atque adeo longius quam Commentaria reliquorum procedunt, hoc totum exemplum typis exſcribendum curavit. Ut autem Vir doctisſimus extremam illam partem, quae de ratihabitione eſt, contra quam olim conſtituerat, nunc ſimul ederet, cauſa non una commotum ſe eſſe fatetur. Illud enim pacis confirmandae atque expediendae negotium, quum a Paſtorio ceterisque ſcriptoribus praetermiſſum, in his vero Legatorum Suecicorum Actis diurnis tam diligenter expoſitum ſit: huius ſibi editionis conſilium tum rei ipſius gravitatem, tum ſcriptoris induſtriam, merito inieciſſe, in laudato prooemio refert. Ad narrationis vero fidem atque integritatem quod attinet, iuſtis eam Cl. Editor laudibus ornat, neque rei geſtae obſcuritate dubiam, neque ſcriptoris ingenio fluxam dicit. Docet enim, veritatis ſcientiam et ſtudium in Diarii huius ſcriptore, Godofredo Schroeero, cumulate fuiſſe, eumque, quum Legationi Suecicae ab epiſtolis eſſet, quotidie, ut quaeque res inter Legatos geſta erat, in commentarios retuliſſe, ita quidem, ut nulla arte, nullo orationis fuco uteretur. Quare verendum ſibi exiſtimat Cl. Editor, ne ii, qui non tam rerum veritatem, quam verborum ſuavitatem

Digitized by Google

tatem ſpectare ſolent, egregia haec fragmenta, eleganti ſermone ſe non commendantia, intacta relinquant. Nos, quibus rerum praeſtantia veritasque cordi eſt, Diarium hoc magni aeſtimamus, gratoque iam adverſus Editorem illius animo perveſtigamus. Quid enim? cur non lubentisſime id cognoſcamus, quum praeter utilitatem illius iam indicatam, alius inſuper fructus ex obſervationibus praeclaris, quibus illud ab *Ill. Boehmio* ornatum eſt, in lectores redundare queat. Aut enim vir doctisſimus, quae obſcuritate quadam laborant, hic loci explicat, aut Schroeeri relationes ulterius exponit, aut aliorum narrationes cum Schroeerianis confert, aut alio modo lectorem Diarii iuvat atque delectat. Sic v. c. ut adnotatt. nonnullarum ſpecimina demus, docte admodum diſſerit de Venedis, Vandalis, Slavis pag. 42. de voce Verda pag. 43. quam recte dici haud ambigit, ex vocabulo Germanico *Werd*, *Werder*, h. e. inſula in flumine nata; de cauſa, ob quam Pacificatio Sueco-Danica an. 1570. inconcluſa dicatur, nempe ideo, quod neque illa de famoſis libellis, neque aliis quibusdam partibus ſuis prorſus expedita fuerit, pag. 124; de errore Io. Bapt. Burgii aliorumque, qui tradiderunt, Guſtavum Adolphum voluiſſe Ferdinandum imperio deiicere, idque ſibi vindicare, pag. 196. de titulo Iuliaci, Cliviae, et Montium, pag. 212; de Confoederationis vocabulo pag. 360; de Seeſtedio, qui ſub Chriſtiano IV. Daniae Rege, Pro-Rex adminiſtraverat Norwegiam, pag. 410; de Scabino Gedanenſi, Michaele Boehmio, p. 438. Et ſunt multae aliae, quas Cl. Editor Diario Suecico adſperſit, obſervationes, lectu omnino dignisſimae.

Alterum, quod hoc Volumine continetur, monumentum, ita inſcriptum eſt: Chriſtophori Parsbergii, legati Danici, Diarium Pacificationis Olivenſis, e Tabulario regio Hafnienſi nunc primum editum. Scriptum eſt hoc Diarium ſermone Danico, latino autem h. l. exhibitum, in quem Cl. Editoris auſpiciis, a Ludovico Pontoppidano, Erici filio, con-



Digitized by Google

verſum eſt. Multa quoque inſigni huic documento, *Illuſtris Boehmii* ſtudio, acceſſerunt ornamenta. Nam quum inveſtigaret Pacificationis Olivenſis monimenta, contigit ut Parsbergii epiſtolas, ſuper legatione ſua perſcriptas, cum ipſo communicaret Langebecius, Profeſſor Hafnienſis. Has ille cum Diario Danico, in quo ad ipſas ſaepius provocatur, diligenter contulit, iisque ad res varias illuſtrandas ſcite uſus eſt. Ex publicis vero Actis, quorum Illuſtrisſimi Bernsdorfii benignitate copia ipſi facta fuit, delegit, praeter alia lectu digniſſima, Slippenbachii, Legati Suecici, libellum, iam tum clam habitum, neque poſtea in lucem unquam emiſſum. Atque haec omnia eo lubentius legimus, quo clariorem hiſtoriae Pacis Olivenſis lucem affundunt, quove doctioribus ab Editore obſervationibus illuſtrata ſunt.

Tertium locum occupat Melchioris Felkerſamii, Cancellarii Curonici, Diarium Dantiſcanum, quod Cl. Editor e Theotiſco elegantisſime in latinum ſermonem transtulit. In quo transferendo id maxime operam dandam putavit, ut ſolutiorem narrationem compeſceret, ne crebrior earundem rerum repetitio vel obtunderet lectorem, vel prorſus averteret. Tanto autem maiore in pretio habendum hoc Diarium Vir acutisſimi iudicii exiſtimat, quanto maioris momenti in conventu Olivenſi Curoniae res, omninoque Livoniae fuerint. Et potuit hoc Diarium eo accuratius edere, quum bina ad ipſum perveniſſent exempla, quorum alterum ab Illuſtriſſ. Korfio, Ruſſorum Auguſtae ad Daniae regem legato, alterum, aliquot locis plenius illud quidem, ſed mancum in extremis; ab Illuſtri Bülovio, Electoris Saxoniae Comite nuper Conſiſtoriano, ipſi conceſſum fuit. Placent quoque elegantes obſervatiunculae a *Boehmio* additae.

Ultimum denique, quod egregium huic Volumini decus conciliat, ſcriptum, eſt Cl. Editoris Obſervationum liber ſingularis continuatus. Dederat nempe vir doctisſimus Volumine

lumine I. priorem huius Obſervationum libri partem, XIII. Obſervationes continentem. Reliqua eiusdem Obſervationum libri pars Volumine II. exhibetur, ac decem diſſertationibus abſolvitur, de quibus ſingulis paullo diligentius videbimus. Dignas enim eſſe putamus, quae accuratius cognoſcantur, quum rebus in Olivenſi conventu diſceptatis inſignem lucem affundant, omninoque multa hiſtoriae capita egregie illuſtrent.

Obſervatio XIV. quae Vol. II. prima eſt, continet *Praetermiſſa de antiquo Imperij Rom. Germanici iure in Livoniam.* Diſputatum quidem ſuper hac re iam ab aliis eſt, in his praecipue ab *Io. Henr. Boeclero:* nemo tamen exiſtimet, hanc *Boehmii* noſtri ea de re diſſertationem ſupervacaneam eſſe. Enimvero diſſertatione hac diligenter lecta, multa in ea eſſe intelleximus, quae *Boecleri* ſuper eodem argumento diſputationem vel ſuppleant, vel illuſtrent, vel etiam emendent. Et primum diligenter A. disquirit, quibus modis partum ſit olim Germaniae ius in Livoniam. Hanc enim quaeſtionem ne *Boeclerus* quidem, aut *Conringius*, ſatis copioſe tractarunt. Exiſtimat vero vir doctisſimus, ius illud a ſpontanea deditione Alberti, Livonorum tertii Praeſulis, repetendum eſſe, atque hanc ſententiam firmis ornat argumentis. Hinc Livoniam, novo Germaniae vinculo iunctam, novum inde dignitatis honorisque decus adeptam fuiſſe oſtendit. Inde de natura nexus, qui a Philippi, regis Romanorum, temporibus, inter Germaniam Livoniamque intercesſit, docte exponit. Egregie porro diſcutit vulgatam de amiſſo Imperii in Livoniam iure ſententiam, eamque, quamvis multis, iisque magnis auctoribus comprobatam, extra teli ictum non eſſe demonſtrat. Nos quidem ingenue fatemur, totam hanc diſputationem nos maxima cum animi voluptate legiſſe.

Sed pergendum eſt ad Obſervationem XV. quae de *Contentione Sueciae ac Poloniae ſuper Livonia ante Pacifica-*

 *tionem*

Digitized by Google

*tionem Olivenſem* exponit. In hac vero diſputatione ita verſatus eſt *Illuſtris Boehmius*, ut omnia, quae compluribus tractatibus varie diſceptata ſunt, intra ſcriptionis huius cancellos contraheret, et pro inſtituti ratione, hoc eſt, docte, accurate, eleganter ediſſereret, adeo ut lites iſtae Sueciae ac Poloniae, ſuper Livonia ante Pacificationem Olivenſem agitatae, uno quaſi obtutu conſpici ac cognoſci poſſint.

Commendanda quoque eſt hiſtoriae ſtudioſis diſputatio XVI. *de Contentione Sueciae ac Poloniae ſuper Livonia in Pacificatione Olivenſi.* Praecipue in ea notandi ſunt *Gradus*, hoc eſt, modi componendae cauſae Livonicae, quos Cl. Auctor e codice MS. Zaluſciano protulit, a *Mich. Abr. Trotzio* e Polonico latine factos. De his gradibus luculenter expoſuit Auctor, ſimulque eorum *Reſtrictionem* addidit. Nam quum duodeviginti *Gradibus* componendis tempus nimis longum deſtinandum eſſet, formula compoſita eſt, qua iſti *Gradus* coercerentur, atque ad minorem numerum redigerentur.

Obſervatio XVII. inſcripta eſt: *Contentio de Sacris Livoniae in Conventu Stumsdorfiano.* Ad Livoniae res penitius cognoſcendas plurimum, monente *Boehmio*, refert excutere id, quod in Stumsdorfiano conventu Suecos inter et Polonos actum fuit. Quare gratum eſt viri praeſtantisſimi ſtudium, quod ad deſcribendam contentionem, in iſto conventu de ſacris Livoniae ortam, contulit. Et primum quidem in huius contentionis occaſionem inquirit, quam Polonos, iisquè adſentientes Gallos dediſſe, oſtendit. Hos enim contendiſſe tradit, Romana ſacra per Livoniam ſalva eſſe praeſtanda. Deinde, quomodo Sueci ea in re ſe geſſerint, disquirit, eosque neque prece, neque rationibus, neque exemplis adduci potuiſſe, ut Polonis adſtipularentur, docet. At rem denuo tentatam, eoque tandem perductam eſſe dicit, ut Romanae religionis privatum in Livonia exercitium Sueci concederent.

Non

Digitized by Google

Non minus digna lectu eſt Obſervatio XVIII. *de Sigismundo Gulde ſternio L. B. ab Lundholm, Caſtellano Gedanenſi.* Non poterat profecto vita tanti viri accuratius eleganitusque deſcribi. Vos, quibus grata eſt magnorum virorum memoria, legite, quaeſumus, hanc vitam, et tum dicite quis Vir ille fuerit! Nobis certe gratisſima fuit Guldenſternii memoria, cum multas alias ob cauſas, tum quia is, in colloquio Thoruni ad ſtabiliendam confirmandamque religionum concordiam habito, partibus ſibi demandatis egregie functus eſt, et quibus praeſedit, doctrinae Lutheranae ſocios, conſilio, ſtudio, auctoritate, validisſime tuitus eſt.

Diſſertatio XIX. eſt *de S. Brigittae bonis, in Pacific. Olivenſi controverſis.* Gratum eſt, rem denſisſimis tenebris obductam, in clariori luce a *Boehmio* collocatam conſpicere. Poſteaquam vir doctisſimus S. Brigittae in Suecia ortum, pietatem, liberalitatemque, ad uſus inprimis ſacros collatam, deſcripſit, ipſam quaeſtionem hac diſputatione propoſitam aggreditur. Scilicet, iam diu in Olivenſi conventu actum erat pacis negotium, quum primum a Polonis bonorum S. Brigittae mentio iniiceretur. Nam Poloniae regum, e gente Waſia, tanta erat in S. Brigittam reverentia, ut, quem fama vulgarat geſtatum ab illa annulum, eum Sigismundus tertius ingenti pretio redimeret. Iſta vero Brigittae bona, docente *Boehmio*, haud dubie praedia quaedam fuerunt, Coenobio Wadſtenenſi olim donata. Quippe Coenobio per Sacrorum in Suecia converſionem exauctorato, ea ſibi Io. Caſimirus, qui ad Brigittam genus referebat, velut gentilitio iure debita repoſcebat. Sed poſtulationem illam, a Suecis reiectam, mox et Poloni deſeruerunt. Verum ad aliam ventum eſt, haud prorſus disſimilem, de S. Brigittae Iure Patronatus. Hoc autem Patronatus iure nihil aliud indigitatur, quam fidei tutelaeque ius ac poteſtas in domum S. Brigittae, quo nomine Brigittinum in urbe Xenodochium, (Monaſterium falſo vocant plerique recentiores,) appellatum eſt. Hanc do-

mum hoſpitalem Brigitta ad *Campum Florae*, (nunc a Farneſiorum palatio *Forum Farneſianum* vocatur,) condiderat, iſtam Romae usque ad mortem habitaculum habebat. Acceſſit inſequenti aetate his ipſis aedibus novum decus, templum illius memoriae dicatum, et una cum aedibus bis inſtauratum, ſemel ſub Leone X. iterum ſub Alexandro VIII. Huius itaque domus tutelam eodem ſibi iure, quo Brigittae bona, Io. Caſimirus rex vindicabat. Res, Olivae aliquoties a Legato Gallo propoſita, tandem ita confecta eſt, ut Sueci ſe neque regi Poloniae quidquam impedimenti obiecturos, neque Chriſtinam reginam, ſi quid tale moliretur, adiuturos promitterent. Pactionis memoriam inſeri certis de cauſis pacis tabulis noluerunt, ſolo Legati Galli teſtimonio contenti. Ex eo igitur tempore, S. Brigittae domus in patrocinio ac iure Io. Caſimiri eſſe coepit. Poſt huius obitum, illa a Clemente X. Chriſtinae reginae, Romae vitam degenti, concredita eſt. Enimvero, male actum illis temporibus cum Brigittina domo fuiſſe, ſat certum habere ſe dicit *Boehmius* ex iis, quae ad ipſum iuſſit perſcribi *Alexander Albani*, Cardinalis, penes quem nunc eſt illius patrocinium. Haec fere ſumma eorum eſt, quae V. Cl. in tanta rei obſcuritate de S. Brigittae bonis, in Pacif. Olivenſi controverſis, perſpicue docteque diſputavit.

*De vectigalibus Pomeranicis, inter Suecos atque Electorem Brandenburgicum diſceptatis.* Poſuimus hic titulum diſputationis vigeſimae. In gravioribus cauſis Olivae agitatis fuere etiam vectigalia Pomeranica. Inſtituerant nimirum Sueci, bello tricennali, nova et per Megapolin, et per Pomeraniam, vectigalia. Quo iugo ut liberarentur Pomerani, adnitebantur per Marcum Eikſtadium, ac Frid. Rungium, prudentisſimos viros, quos ad Pacific. Weſtphal. miſerant. Hi munere quidem ſuo fideliter fungebantur: at Sueci, quum praecipua conſiliorum vi atque auctoritate valerent, facile, iuvantibus praeſertim Gallis, obtinuerunt, ut vectigalia et in poſte-

poſterum retinerent. Sueci plura moliri, atque etiam vectigalia ſibi vindicare auſi, quae in Pomeraniae ulterioris, ſ. Brandenburgicae, littoribus ac portubus inſtituta eſſent. Id Elector Brandenburgicus aequo animo ferre haud poterat, quod et Imperii Ordines, et Caeſar ipſe, iſta Pacis interpretamenta reſpueret. A quo conſilio quum ne Sueci quidem abhorrerent, conditiones utrinque in medium prolatae ſunt: a Brandenburgicis variae atque diverſae, a Suecis una illa vectigalium communio; nec deſtiterunt ante Sueci, quam in illa communione Elector adquieſceret. Itaque in conventu eo, qui a Suecicis Brandenburgicisque Legatis Stettini habitus eſt regundis utriusque Pomeraniae finibus, tandem anno 1653. ſuper vectigalibus quoque inita pactio fuit. At vero Elector mox conqueri de onere ſibi praeter ius fasque impoſito, eique ut ſubduceret ſe, omnia ſedulo moliri. Cuius rei perficiendae cauſa Legatis in Olivenſi Pacificatione mandata dederat. Sed, Suecis omni modo renitentibus, fruſtra. Ceterum, quae Olivae ad alius temporis opportunitatem ſepoſita eſt cauſa vectigalium, Electori tandem an. 1679. ex voto cesſit, pace ad Fanum S. Germani ad Laeam (*S. Germain en Laye*) ſancita. Sic breviter argumentum elegantisſimae, *de vectigalibus Pomeranicis*, diſputationis adumbravimus.

Quae ſequitur diſputatio, *de Subſcriptione Pacis Olivenſis* agit. Videri quidem poterat *Boehmius*, in hoc capite explicando laborem ſupervacaneum poſuiſſe. Eſt enim res in Diario Suecico pag. 334. planisſime diligentisſimeque prodita. At qui hanc V. Cl. disquiſitionem legerit, eam nullo modo ſupervacaneam, imo vero, quae cognoſcatur, admodum dignam iudicabit. Nam quae vulgo de ſubſcriptione Olivenſis pacis perperam a multis tradita ſunt, ea hic accuratius proponuntur emendanturque. Scilicet plerique tradunt, tum, quum Olivae pax concluderetur, ſubſcriptionem quoque a Legatis peractam eſſe, tabulasque ipſas commutatas. Sed etſi, ita recte *Boehmius*, articulis omnibus, ut quisque ſcriptus erat, ſtatim

ſtatim ſubſcripſerunt Secretarii Legationum: tabulae tamen pacis illo tempore nondum in unum redactae corpus, nondum Legatorum ipſorum firmatae manibus, et, ut moris eſt, mutuo inter eos exhibitae fuerunt. Has ſubſcriptiones permiſcuerunt inter ſe viri docti, tanto facilius inducti in errorem, quanto magis inſolitum, pacem promulgare nondum concinnatis tabulis atque expeditis.

Progredimur ad diſputationem XXII. quae ſe nobis et argumenti dignitate, et rei novitate mirifice commendavit. Inſtituitur in illa *pacis Olivenſis atque Weſtphalicae collatio.* Ad hanc collationem inſtituendam impulſum ſe dicit Auctor, quod videret, pacem Weſtphalicam non modo in Actis pacis Olivenſis ſaepenumero laudari, ſed omnino huius totius praecipuum fuiſſe exemplar. Quod ut plane adpareret, primo loco res, deinde formulas inter ſe comparavit. Ad res quod attinet, in Olivenſi conventu ſemel iterumque poſtulaverant Sueci, ut paci Weſtphalicae Imperator novum robur ac firmamentum adderet. Porro, in exercitio religionis Rom. Catholicae apud Livonos ordinando, ipſi Legati Suecici profitentur ſecutos ſe eſſe non modo Stumsdorfienſium induciarum, ſed etiam pacis Weſtphalicae exemplum. Sunt et aliae res ab Auctore indicatae, ex quibus utriusque pacis ſimilitudo apparet. At haec ſimilitudo multo maxime in formulis ipſis conſpicitur. Nam primum totius orationis habitus in Olivenſi iuxta atque in Osnabrugenſi varius eſt, et male conſutus. Et ſunt plurima loca utriusque pacis inter ſe convenientia, quorum nonnulla Auctor recenſuit. Nos eorum, qui talium rerum curioſi ſunt, cauſa, ex his Articulum huc primum utriusque pacis transſcribimus.

*Art. I. Pac. Olivenſ.*

„Sit pax univerſalis ac perpetua, et vera ſinceraque amicitia, inter — — atque eiusdem — Confoederatos, inprimis — ita ut altera pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiae, clam aut palam, directe vel indirecte, inferat.

ferat — — Sed utraque pars alterius utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, et fidam invicem vicinitatem, pacem et amicitiam ſerio colat."

*Art. I. Pac. Oſnabr.*

Pax ſit Chriſtiana univerſalis, perpetua veraque et ſincera amicitia inter — — omnesque eius Foederatos — — inprimis — — Eaque ita ſincere ſerioque ſervetur et colatur, ut utraque pars alterius utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, omnique ex parte fida vicinitas, et ſecura ſtudiorum pacis atque amicitiae cultura, revireſcant ac refloreſcant.

Quanta inter utramque formulam ſimilitudo. Nam quod Art. I. pac. Oliv. de inimicitiis *clam aut palam*, *directe vel indirecte* non inferendis cavetur, id Art. II. pac. Oſnabr. iisdem quoque verbis ſancitum eſt. Sed fere omnium Pacificationum ab his formulis initium fieri conſuevit.

Quae ſequuntur *Miſcellorum* nomine inſignita ſunt, atque ultimum egregii huius Operis locum occupant. Miſcellorum iſtorum ratio eſt haec, ut in iis vel omiſſa quaedam indicentur, vel irrito ſtudio antea indagata perſpicue exponantur. Sic v. c. adduntur quaedam ad ea, quae Tom. I. Obſ. 1. pag. 205 ſſ. de Paſtorio narrata fuerant. Nempe iſti narrationi Auctor addi vult et hoc, quod Paſtorius Venceslai Leſcinii, et Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, benignitate, ſtipendio annuo auctus fuerit; item quod Auguſtum Buchnerum inter amicos habuerit; etiam hoc, quod *Idyllion*, *Hiſtoria Lamentans*, in illius obitum, a *Chriſtophoro Behrio*, viro non indocto, perſcriptum vulgatumque fuerit, Gedani 1681, in 12.



Digitized by Google

*GLOSSARIUM NOVUM AD SCRIPTORES MEdii aevi, cum latinos, tum gallicos, ſeu Supplementum ad auctiorem Gloſſarii Cangiani editionem. Subditae ſunt ordine alphabetico Voces gallicae, uſu aut ſignificatione obſoletae, quae in Gloſſario et Supplemento explicantur. Accedunt varii indices, praecipue rerum extra ordinem alphabeticum poſitarum, vel quas ibi deliteſcere non autumet lector, atque auctorum operumque emendatorum. Illis demum adiuncta eſt CANGII diſſertatio de inferioris aevi aut imperii numismatibus, quam excipiunt emendationes typographicae ad noviſſimam Gloſſarii editionem. Collegit et digeſſit, D. P. CARPENTERIUS, O. S. B. Praepoſitus S. Oneſimi Doncherienſis. Tomi quatuor, Lut. Paris.* CIↃ IↃCCLXVI. *fol.*

Optimis praeſidiis inſtructus, huic egregio operi edendo admovit *doct. Carpenterius* manus. Rex enim Galliarum peculiari mandato de anno CIↃIↃCCXXXVIII. eius ſtudiis tantopere favit atque proſpexit, ut per ſummum Supremae Curiae procuratorem, uſus ſcriptorum omnis Tabularii copia concederetur, quid quod magnam Manuſcriptorum et in Bibliotheca regia Codicum copiam ei exhibendam curavit. Mecaenates quoque ſcripta, in ſuis bibliothecis aſſervata, cum ipſo communicarunt. Quare, et propter temporis huic libro impenſi diuturnitatem, et propter otii, relicta Congregationis S. Mauri Societate, favorem, tandemque propter adminiculorum uſum, perfectum omnibusque numeris abſolutum opus conficere potuit, cuius hiſtoriam atque argumentum iam proponimus.

Cauſſis, quas operi elaborando habuit, et haec accenſenda eſt, quod nova Gloſſarii Cangiani editio Congregationis O. B. S. M. tot nacta eſſet amicos, ut et ipſe ſuam locaret operam. Operae pretium eſt, quae in praefatione narravit, breviter hic repetere. Voces igitur quasdam prioribus tribus litteris a Touſteno elaboratis, et ab Mauro Antineo auctis, ipſe addidit;

Digitized by Google

dit; litterarum vero F. H. K. M. P. S. V. W. collectionem concinnationemque, una cum praefatione, omnino in ſe ſuſcepit. Volumen autem VI. operis Cangiani, excepta tenui particula litterae T, ſolus, ſocio Touſteno a Superioribus aliorſum miſſo, confecit. Cum autem multa in Gloſſario Cangiano emendanda addendaque eſſe intelligeret, Supplementum hoc ſtudioſe elaborare ſuſcepit, quo additiones, vocula *adde*, ab augmentis recentiorum articulorum probe diſtinguuntur. Diſcrimen tamen non exiguum in eo conſpicitur, quod *Auct.* multa congeſſit alius plane tenoris, quam quae in Gloſſario Cangiano continentur, totosque adeo articulos adiecit. Magnam praeterea huic Supplemento conciliavit A. utilitatem, ratione temporum habita, quae Cangius ne attigit quidem: nam ille ad Caroli VIII. tantum progreſſus eſt aetatem, hic ad dimidiam usque Seculi XV. partem, colligendo omnes inferioris barbaraeque latinitatis voces, e vetere lingua Francogallica ortas, ſuum extendit laborem. Quo bene multa ad mores, eccleſiaſtica, civilia, regia iura, originem feudorum, artium, eruditionisque tunc temporis conditionem ſpectantia, diligenter expoſuit: qua de re voces *abaſſare*, *abatere*, *abandonnare*, *aiſientia*, aliaeque permultae voces, eſſe exemplo poterunt. Neque ſuis, vocum gallicarum obſoletarum, quarto volumine extantium, collectio, deſtituitur commodis; iſtis enim potisſimum his quam maxime conſulitur, quorum opera legendis veteribus ſcriptis monumentisque gallicis dicata, intelligendaeque veteri linguae Teutonicae, conſecrata eſſe videtur.

Iam vero quaedam de ipſius Operis conditione dicenda ſunt. Eius igitur rei cauſa ad quasdam provocamus voces, quae praeſtantiam utilitatemque libri ſatis ſuperque commendabunt. Ita vox *Abbas* magnopere additis diverſis ſignificationibus aucta eſt, praecipue iis, quae de Abbacomitibus ſcripta leguntur. Atque iſtam vocem quamplurimis exemplis diplomaticis illuſtravit; praeprimis vero locum ex diplomate Philippi Romani de A. cIↃccIV. laudavit,



Digitized by Google

vit, quo Duci Lotharingiae et Brabantiae Henrico, eiusque poſteris legitimis, Abbatia quaedam, Nivellenſis cognominata, aliaque eccleſia Tongerenſis S. Servatii dicta, in feudum conceduntur, *ut pro exaltatione operoſa voluntate deſudet, et ubique locorum imperiale commodum procuret.* Aliud diploma de A. CIϽ CCLXVII. eius coniugis Iſabellae nomine, *Abbatiſſae ſecularis eccleſiae Nivellenſis* meminit. Ne autem lectores propter bonorum eccleſiaſticorum ad Laicos translationem offendantur, monemus, illa bona fuiſſe collata et poſſeſſa ab iis, epiſcoporum potisſimum, ſuis conſanguineis dotis loco exhibentium, liberalitate; cuius rei exemplum propoſuit Epiſcopus Pampelonae, ſacrorum idcirco communione privatus. Abbates irreligioſos quoque commemoravit, ſcilicet qui Abbates laici, ſive milites fuiſſent. Novam denique Abbatiae ſuppeditavit ſignificationem, de reditibus Paroeciae Abbati ſubiectae, itidemque de Monachis ex aliqua Abbatia eo conſilio lectis, ut in alia recens condita Clericorum fungantur munere.

Vox *Abſolutionis* in Gloſſ. Cang. pro indulgentia accipitur, uti ex loco Oderici Vitalis, Scriptoris eccleſiaſtici Seculi XII. apparet. Hanc ſignificationem *Carpenterius* formula abſolutionis vetuſtiori, e Seculi XI. medio, egregie illuſtravit, quam ex Tabulario S. Victoris Maſſilienſi depromſit, innumeraque alia addidit exempla.

Vox *Abyſſus* nova prorſus ſignificatione h. l. occurrit, in veteri autem Gloſſario *abyſſus* pro inferno uſurpatur. Verum loquendi formula, uſu mediae latinitatis recepta, hanc vocem bene explicat. In contractibus, donationibus, aliisque rebus, hac formula, *de abyſſo usque ad coelum*, nihil aliud indicabatur, quam omnium rerum complexus absque ulla exceptione. Diploma regis Maioricae Petri Sec. XIII. hoc declarat, quo cuidam *alqueriae* (villae minores) conceduntur, *cum omnibus pertinentibus aut pertinere debentibus ad praedicta omnia, de abyſſo usque ad coelum.* Procul dubio ex Rom. VIII.

VIII. 38. huius formulae ſignificatio deducenda eſt, qua omnia in univerſum ſignificantur.

*Accentus*, *Accentuationis*que ſignificatio, et ſua novitate, et uſu oblectat. Falluntur ergo qui autumant, accentuare adhiberi pro accentus legitima ſcriptura, potius eſt in legendo dicendoque recta accentus collocatio, quod ex his patere verbis arbitramur: *Ignorantes diſcant plane legere, punctuare vel accentuare, ut aedificent audientes.* cf. Regulam Monaſterii Fontis Ebraldi c. 38. Duo potisſimum ex hac colligimus ſignificatione: alterum, tunc temporis in uſu fuiſſe Biblia neque punctata, neque accentuata; alterum, ex vocibus accentuare, interpungere, acuere, et gr. στίζειν, ὀξύνειν, ſimilibusque, argumenta non eſſe petenda pro punctorum accentuumque antiquitate.

Defenſores tutoresque eccleſiarum, *Advocati* olim dicti, quod multis atque praeclaris exemplis magis magisque illuſtratum eſt. Sed videmur nobis gratiam a lectoribus inire, ſi plures adhuc voces tales ab A. propoſitas hic adſcripſerimus.

*Ita Anni* vox multis lectuque dignis accesſionibus gaudet. Demonſtratur hic e monumentis Dieterici, Comitis Flandriae, interdum annos a morte Ieſu Chriſti numeratos fuiſſe, quod et ab auctore libri, *Art de verifier les dattes*, pluribus docetur. *Carpenterius* errorem in recentiore editione Gloſſarii commiſſum h. l. indicat, quo annum paſſionis *pro anno trabeationis*, (a trabe, loco crucis,) acceptum fuiſſe, auctores cenſuerunt, quod et ipſi in voce *Trabeatio* confeſſi ſunt, docendo, *annum trabeationis* eundem eſſe ac *annum incarnationis.* Fulgentius huius denominationis auctor fuiſſe perhibetur, qui Ieſum Chriſtum *trabea humanae carnis indutum* dixit. Ratio inſuper, cur Galli a primo Paſchatos die novi anni ceperint auſpicia, redditur, totaque res curatius propoſita argumentis confirmatur.

Haud pauca augmenta vocabulo *Aquae* acceſſerunt. Quid ſub formula *iudicii aquae frigidae* ſit intelligendum, ex Tabulario S. Ebrulphi indicatur, annexo toto iudicii ordine.



Digitized by Google

dine. Hic praeparatio rei, tum Miſſa celebrata, ritusque reliqui, ut rei immiſſio in aquam, atque liberatio ex ea, fuſius proponuntur.

*Archiepiſcopi* appellationem primo cuiusdam eccleſiae fuiſſe tributam epiſcopo A. obſervavit, provocando ad Dionyſium, primum, ut volunt, eccleſiae Pariſienſis epiſcopum.

Titulus *Aſcodrogitae* et *Aſcodragi* emendatur ex anecdotis obſervationibus ſacris Cotelerii, quibus docetur, horum haereticorum nomen rectius veriusque Taſcodrogitae eſſe ſcribendum.

De *Baptiſmo* Gloſſ. Cang. obſervavit, paedobaptismum, longo tempore, feriis Paſchatos Pentecoſtesque peractum fuiſſe; hoc tamen obſervato diſcrimine, ut quaedam eccleſiae, Africanae potisſimum, Siculae, et Gallicae, tempore Epiphaniae eum quoque celebraverint. *Carpenterius* hic addidit, Feſtum Ioannis et Natalitia martyrum huic dicata fuiſſe ritui. Hi tamen ritus non in univerſum obſervati ſunt. Commemoravit Auctor, ſtatis temporibus infantes divitum lacte in Hiberniae regionibus baptizatos fuiſſe.

Obſervationes haud contemnendas deprehendimus ad vocem *Bullae*. Palmam caeteris praeripit illa ex ſtatutis Synodi eccleſiae caſtrenſis de A. CIↃ CCCLVIII. P. II. c. 22. qua diſcrimen inter genuinas et ſpurias Bullas Pontificum, in gratiam Capellanorum ſimplicium, indicatur.

Haec de Gloſſarii Supplemento dicta ſufficiant. Utilitas praeclari operis ipſius potiſſimum cernitur in hiſtoria et ſcriptoribus medii aevi rite explicandis. Neque exiſtimandum eſt, hoc opus tantum in gratiam Gallorum concinnatum eſſe: profecto enim omnibus omnium gentium doctis hominibus maximam adferet utilitatem, in iis praecipue capitibus, quae ad feuda, eorumque pertinent originem, quibusque inter Teutones et Gallos nihil eſt diſcriminis. Theologi quoque, hiſtoriae eccleſiaſticae apprime gnari, hunc librum non ſine fructu volvent revolventque, liberaliorique

rerum

Digitized by Google

rerum geſtarum cognitioni larga dulciaque reperient nutrimenta.

Indices huic libro adiecti ſummo elaborati ſunt ſtudio. Primo quidem res continentur, quas ibi lector deliteſcere non autumet. Alter Scriptorum in duobus Gloſſariis occurrentium eſt, quo ſimul de libris eorumque editionibus mentio fit. Acceſſit praeterea tertius Anonymorum, manuſcriptorum, collectionum Diplomatum etc. nec non auctorum explicatorum emendatorumque, quorum copioſa recenſio de prorſus ſingulari *Carpenterii* diligentia ſatis ſuperque teſtatur.

Omiſſa in recentiori Gloſſarii Cangiani editione diſſertatio, de numiſmatibus medii aevi, quae tamen in Baſileenſi ſuo loco reſtituta legitur, his Supplementis inſerta eſt. Profitetur quidem *Carpenterius*, ut Benedictini habeant excuſationem, eo conſilio in Gloſſario praeteritam eam eſſe, ne moles libri nimium creſceret, quae quantum habeat valoris defenſio, iudicio lectorum noſtrorum relinquimus. At hoc ſilentio praeterire non poſſumus, Iohannem Bottarium, e romanae Bibliothecae cuſtodum numero, ſupra dictam diſſertationem, obſervationibus illuſtratam, Romae edendam A. CIↃ IↃ CCLV. ſigillatim curaſſe. Uſibus *Carpenterii* praecipue hic labor inſerviit, nam obſervationes Bottarii, una cum manu ſcriptis quibusdam Cangii animadverſionibus, quae adſcriptae erant diſſertationi quam poſſidebat *Carpenter*. publicae expoſuit luci.

Inter omnes conſtat, eiusmodi lib. conficiendo multum temporis, aſſiduitatis atque ſtudii non minus, fuiſſe tribuendum; quas igitur gratias docti homines omnes V. Cl. debeant, facile quisque intelligit. Forte etiam quibusdam inprimis eius ſtudium gratum acceptumque erit, qui purioris latinae linguae amici ſunt; hi enim multas hic voces explicatas invenient, quae et in optimis occurrunt auctoribus. Sed neque Catalogus errorum typographicorum, et corrigendorum, ſub finem operis

ſua

ſua utilitate deſtituitur, propterea quod hic et Gloſſarium, et Supplementa, optime emendata nobis ſiſtuntur. Certiſſime nobis igitur perſuaſum habemus, hunc elegantem librum tot amicos, quot Gloſſarium ubicunque locorum merito nactum eſt, eſſe habiturum.

## *CLAVIS POETARUM CLASSICORUM, SIVE INdex Philologico-Criticus, Pars I. in Horatium, Terentium, ac Phaedrum, P. II. in Ovidium ac Virgilium: auctore GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH.*

Halae 1768. P. I. pp. 396. P. II. pp. 650. in 8.

In iis rebus, quas aetas noſtra prae ſuperiore praecipuas habet, illud etiam numerandum eſt non poſtremo loco, quod haud paullo facilior, quam olim fuerat, iuvenibus noſtris reddita eſt, atque in dies adhuc redditur, vera ſcriptorum veterum interpretatio atque tractatio, iisque fere quotidie nova ſubſidia traduntur, quibus hos commodius ac breviore via intelligant. Ut unum tantum in praeſenti commemoremus, ſinguli fere auctores veteres nacti nunc ſunt Claves ſuas et Lexica, unicuique eorum proprie deſtinata, quibus aditus ad eos intelligendos, et cum fructu legendos, ſtudioſis bonarum artium fieri poſſet. Itaque, qui propediem *Gloſſarium Livianum*, a cl. Erneſto iun. Livio Drakenborchiano adiectum, indicabimus, iidem aliud nunc huic ſimile opus commemoramus, h. e. *Clavem poeticam*, quae, etſi in duas partes ab auctore diſtincta eſt, quarum altera complectitur Horatium, Terentium, ac Phaedrum, altera Ovidium ac Virgilium, tamen, cum eadem utriusque ratio ſit, argumentum quoque ſimile, nihil impedire videtur, quo minus eas hoc loco coniungamus, noſtramque de iis ſententiam

Digitized by Google

tiam paucis exponamus. In quo licebit nobis eo brevioribus eſſe, cum univerſum noſtrum de hoc librorum genere, eiusque utilitate iudicium, ad ipſum illum Livium Erneſtianum propediem prolaturi ſimus.

Edidit autem hanc Clavem auctor cl. rogatu et ſuaſu virorum quorundam doctorum, hoc quidem conſilio, ut ea cum praeceptores, tum alumni Orphanotrophei Halenſis, in enarrandis et legendis his poetis, quorum nomina in titulo exhibentur, commode uti poſſent. Eodem conſilio factum eſt etiam, ut ei, in citandis eorum ſingulis locis, lectiones editionum Halenſium ſequendae eſſent. Nos, qui utrumque volumen percurrimus, hoc affirmare poſſumus, etſi non de rebus ſingulis cum auctore Cl. ſemper conſentiamus, (in aliis enim nimis copioſus eſſe, de quibusdam contra prorſus tacere viſus eſt, de quibus vix debebat:) tamen permulta bona et frugifera in his libris, fatemur, occurrere, in primis ex eo genere obſervationum, quae ad diiudicandam huius vel illius loci venuſtatem, elegantiam, et ἀφέλειαν, aut his contraria, pertinent. Omnes autem Lexici huius articuli, ſive Gloſſae, viſae ſunt nobis ad quatuor genera revocari poſſe, quorum *unum* ſenſum verborum ſingulorum ac phraſium, *alterum* loca integra explicat, *tertium* vel indicanda et laudanda venuſtate, vel reprehendendis vitiis auctorum, pulchri et boni iudicium in tironibus acuit, *quartum* denique de κρίσει diſputat, h. e. in veritatem lectionis aut falſitatem inquirit. E primo genere et ultimo non nimis multae ſunt; tanto plures ex altero ac tertio, quod etiam valde probamus. Iam ſpeciminis cauſſa de ſingulis exempla videamus.

Ad *primum* genus pertinent v. c. e priori parte: DIVIDERE, quod apud Horatium (Od. I. 15, 15. *Grata foeminis imbelli cithara carmina dividere*) exponit ita: „Per „vices et alternis canenda diſtribues foeminis,“ aliorumque


ſuper

ſuper hoc loco ſententias commemorat. Potuiſſet etiam citare locum Terentii, Andr. III. Sc. 1. *Non ſat commode diviſa temporibus ſunt tibi, Dave, haec,* ubi a partibus hiſtrionum, in fabulis agendis, quae cuique aſſignantur, ea vox deſumitur. — FABA, ubi locum illum Terentianum: *Haec faba in me cudetur,* e Donato explicat. Fuiſſe nempe *fabam* veterum longe aliud legumen, quam noſtrum huius nominis, ſolitamque fuſtibus a ſiliquis ſuis ſeparari. Itaque aliorum, ut Scholiaſtis Perſii, ſuper huius verbi ſenſu ſententias recte reiicit. — IMPOTENTIA, apud Terentium, Adelph. IV. 3, 16. paullo rariori ſignificatione docet occurrere, pro *paupertate, et inopia;* „Omnes, quibus res ſunt minus ſecundae, — propter ſuam „*impotentiam* ſe ſemper credunt negligi." — STATARIAM apud eundem, Heaut. prol. v. 36. recte cum Daceria expoſuit per fabulam eam, in qua ſunt omnia quieta, pacata, et tranquilla, cuius generis fabulae opponuntur apud veteres *motoriis*, h. e. iis, in quibus omnia eſſent turbulenta, feruida, et actuoſa, ut magnum laborem in hiſtrione ad agendum requirerent. Recte quoque ibi reiecit opinionem Calphurnii, qui illum locum ſic intellexit, quaſi *ſtatariam agere* eſſet: *per totam fabulam ſtare, et cavere ne quid turbae ſiat.*

E *ſecundo* genere Gloſſarum, quo loca integra explicari, quodque frequentius eſſe ſupra diximus, optimae viſae ſunt nobis maxime hae: AETERNVS. Ibi placuit nobis coniectura cl. auctoris, qui apud Phaedrum L. II. Epil. pro: *Servumque collocarunt* aeterna *in baſi* coniicit: aenea *in baſi;* quamquam in eam Guietus iam inciderat. Gudius quidem eam ridiculam appellat; at nos nihil in ea ridiculi videre poſſumus. — ANIMA. Hic ab caeteris interpretibus Phaedri, recte, noſtro quidem iudicio, diſſentit, qui ad unum omnes locum illum L. III. Fab. 1. „*O ſuavis anima* etc." de ſenectute poetae, comparata cum ipſius

ipſius iuventute, intellexerant, adeoque immerito iactantiae inanis eum incuſarant. Sed vir cl. intelligit potius locum de fabulis eius Aeſopiis, comparatis cum ipſo Graeco textu Aeſopi; quod profecto longe elegantius eſt, addimus, etiam Phaedro longe dignius. — CADAVEROSVS. Hic locum Terentii, Hec. III. 4, 28. ita diſtinguit cum veteribus quibusdam libris, ut verba: *Cadaveroſa facies*, non ad Pamphili; ſed ad proxime ſequentem Parmenonis orationem pertineant, unde ſane ſenſus haud paullo melior exiſtit, neque tum opus eſt contortis quorundam coniecturis, et interpretationibus. — CONTRACTVS. Auctor apud Horatium Epiſt. II. 2, 80. pro: „*Vis me contracta ſequi veſtigia vatum?* legit: *contacta*, h. e. vulgaria, trita, quibus unusquisque Poetaſter incedit. Non male, ſi quid videmus; nam et contextus favet, et ſex codices. — HOMO. Hoc loco bene obſervat, *hominem* interdum a Comicis pro Pronominibus *is*, *ille*, *hic*, uſurpari, ut apud Terentium, Eun. III. 2, 7. *Ex homine hunc natum dicas*, quem locum ſimul ita explicat, ut ſenſus ſit: „Ambo ſibi invicem ab hac „parte ſimiles ſunt, ut inepto et ruſtico dicendi principio „utantur.“ Recte etiam ibidem reprehendit coniecturam Bentleii, pro: *Ex homine*, legentis: *Abdomini*. — HVMANVS. Hic nobili illi Chremetis effato apud Terentium: *Homo ſum, nihil humani a me alienum puto*, verus ſuus ſenſus vindicatur: „Video, ſicubi aliis in caſibus ſuis et anguſtis rebus prodeſſe poſſim, aut eos aliqua in re adiuvare,“ non, ut vulgo explicant, tanquam inſit excuſatio peccatorum ac ſtultitiae humanae. — LINEA. Sub hac inter alia, ad locum Terentii, Eun. IV. 2, 12. *Certe extrema linea amare haud nihil eſt*, ab interpretibus varie tentatum, amplectitur ſententiam Weſterhovii, qui a Circo veteri petitam locutionem putat, ubi *lineae* fuerint ſedilium ordines, in quarum *extrema*, h. e. ſuprema, qui ſederint, e longinquo ſpectarint. Sed ea ſententia longe eſt antiquior Weſterhovio. Sic enim ad eum locum Donatus: „An ſic dixit, *ex-*

 „*trema*

Digitized by Google

„*trema linea*, quemadmodum dicitur, *longis linejs* quid fieri, „id eſt, e longinquo?" — PARTES. Hic locum alias obſcurum Terentii, Heaut. Prol. *Id primum dicam, deinde, quod veni, eloquar*, cum Bentleio ita interpretatur: „Primum prologum hunc habebo, deinde partes meas in ipſa „fabula peragam, propter quas peragendas huc veni." Haec interpretatio non alia magis de cauſſa nobis probatur, quam quod eſt ſimpliciſſima; caeterae enim omnes aliquid habent contorti. — RVERE, apud Terentium, (Adelph. III. 2, 11. *Caeteros ruerem, agerem, raperem*,) dicit eſſe, non, ut Boſius putavit, *evertere*, (nam id ſtatim poſt indicatur per *proſternere*,) ſed idem quod *ſecum ferre*. Quae quidem interpretatio etſi non plane nobis ſatisfacit, tamen melior Boſiana videtur. — STILVM, apud eundem (Andr. Prol. 11. 12.) recte pro *elocutione ac verbis* poni dicit, et ab *ipſo argumento et oratione* fabulae diſtingui, quorum haec ad finem ſcenarum, characteres, et ſententias, illud ad materiem pertineat, in qua poeta elaboravit.

Ex eodem genere in altera parte ſunt: AETERNVS. Ibi per *carcerem aeternum ventorum* apud Ovidium, Met. IV. 662. quem tot interpretes negarunt ſe poſſe intelligere, recte, ut nobis videtur, intellexit carcerem eum, in quo omnes perpetuo venti, etſi non *omnes ſimul, tamen ſucceſſive omnes*, cohibeantur, et in quem omnibus, poſtquam ad breve tempus emiſſi ſunt, revertendum ſit. — COMPONERE apud Ovidium Met. VII. 444. poſitum ait pro *ſepelire*, in his: „Tutus ad Alcathoen, Lelegëia moenia, li„mes *Compoſito* Scirone, patet; idque rurſus pro *interficere*, „quod eleganter e loco Horatii illuſtrat, (Serm. I. 9, 28.) — CRATER. Sub hac voce Ovidio Met. VIII, 67. in pulcherrimo loco de Philemone ac Baucide, verbum elegantiſſimum: *argento* vindicat, in his: *Omnia fictilibus* ſc. vaſis afferuntur: *poſthaec caelatus eodem Siſtitur* argento *crater*, ubi Heinſius volebat *argilla;* ſed longe venuſtior eſt vulgata lectio,

Digitized by Google

lectio, ut probe cl. auctor ibi oſtendit; eſt enim quaſi ironica. — Pariter in indice Virgiliano multa loca bene explanavit, cui rei exemplo eſſe poſſunt gloſſae : ADDERE, ubi in vexato Maronis loco (Georg. I. extr. *Addunt in ſpatia* etc. ſubintelligit *vires;* CORONARE crateres ac vina, quod explicat per: *ſerto florum pocula cingere;* CVMAEVS, ubi de interpretatione Eclogae quartae quaedam attulit: et aliae, quae hoc loco commemorare propter brevitatem non eſt neceſſe.

*Tertiam* claſſem Obſ fecimus earum, quae, indicanda loci cuiusdam integri vel venuſtate, vel vitiis, ſenſum pulchri ac venuſti in tironibus acuunt, et ad talia αὐτομάτως videnda perducunt. Harum per utrumque Volumen magna multitudo eſt. Neque id mirum; cum ducantur e ſcriptoribus iis, qui ſunt in hoc genere claſſici, et ab omnibus pro norma venuſtatis recte habentur. Pertinent huc praeter multas alias, quae nos forte effugerunt, e priori parte: ABDERE SE, COMPARCERE, FORMIDOLOSVS, INVITARE, LACRIMVLA, INANITER, PROPINARE, RELIGIOSVS etc. ex poſteriori, et quidem ex indice Ovidiano: ACER, ARTIVS, AVREVS, CIRCINVS, PENDERE, PERCVTERE, RADIVS, SVB, SVBIGERE, VIRGINEVS: e Virgiliano autem, SEMITA, SENTIRE, SERPERE, quas hic non ſingulatim recenſebimus, ſed lectoribus ipſis legendas relinquemus.

*Denique etiam* in criticis aliquid auctor videtur praeſtitiſſe. Sic v. c. ſub: ARCHAICVS, ad Horatii Ep. I, 5, 1. pro *Archaicis lectis* legendum cenſet *Archiacis lectis*, bona, ut arbitramur, coniectura. Nam *Archias* fuit faber celebris, qui breves lectos fecit. Ac praeterea ſyllaba ſecunda, in *Archaicus*, etiam producitur. Sub voce:



Digitized by Google

IMPLUVIVM, apud Terentium Eun. III. 5, 40. 41. pro: *per impluuium*, legit: *per pluuiam*, conſentiente et metro, et hiſtoria. — Pariter bona nobis videtur coniectura eſſe, cum ſub voce: PERSONA, apud Horatium (Serm. I. 2, 60.) pro: „*An tibi* abunde *Perſonam ſatis eſt*, „*non illud*, *quidquid ubique eſt*, *Officit evitare?*" reponit: „*An tibi* abuti *Perſonam* ſatis eſt etc. — Apud Ovidium, „Met. VII. 618. pro vulgata lectione: " *Si te non falſa loquuntur*, *Aeginae amplexus quondam ſub Aſopidos iſſe*, coniicit legendum: „*Iſſe ſub amplexus Aeginae Aſopidos* ignem, quod et hiſtoria docet, et libri nonnulli habent. — Apud eundem, (Met. XI, 394: *Erat ardua turris Arce* locus *ſumma*, *feſſis loca grata carinis*" ) cum Baſileenſi codice recte, ut nobis videtur, legit: *Arce* patens *ſumma*, quoniam illa repetitio, *locus*, *loca*, cum otioſa, tum auribus ingrata, et Ovidio plane indigna eſt. — Met. VI. 201. ſqq. totum locum, in quo codices et editiones mire diſſentiunt, ita refingit: „Fingite demi Huic aliquid populo natorum poſſe „meorum; Non tamen ad numerum redigar ſpoliata duo„rum, Latonae *toruae*, *quae* quantum diſtat ab orba? Ite „ſacris, *propere ite* ſacris etc. — Denique apud Virgilium ſub v. GRACILIS, eorum accedit ſententiae, qui primos quatuor verſus Aeneidis: " *Ille ego qui — horrentia Martis*, ſuppoſitos Virgilio putant; in quo quidem nos facile conſentientes habet.

Sub v. IMAGO, ad locum Ovidii: (Pont. II. El. 2. v. 57.) *Num tamen excuſes erroris imagine factum*, *An nihil expediat tale movere*, *vide*, proponit coniecturam de vero Ovidii crimine, adverſus Auguſtum commiſſo. Putat enim, cum non modo aliquando *vidiſſe* quoddam Iuliae ſcelus, verum etiam ipſum cum ea, neſcientem, certe ſe neſcire ſimulantem cuia ſit, tale quid in loco inhoneſto commiſiſſe. Quae coniectura, etſi multum abeſt ut certa ſit, tamen nobis ſpernenda minime videtur.

Inter-

Digitized by Google

Interdum latiores diſputatiunculas auctor cl. inſeruit, ut in parte priori ſub v. VRBANITAS, ubi de urbanitate, inprimis Horatiana, diſſerit, et, quibus ea rebus contineatur, exponit. In parte poſteriori ſub v. VIR, indicis Virgiliani, univerſam de Aeneide ſententiam ſuam, quoad characterem Aeneae ibi expreſſum, eleganter explicat. Quas duas gloſſas tironibus legendas vehementer commendamus.

Hactenus nobis cum auctore cl. bene convenit; nunc pauca quaedam, in quibus aliter ſentiamus, certe aliter feciſſemus, ſi eius loco fuiſſemus, brevisſime indicabimus. *Primum* videtur nobis Nic. Heinſium, virum ſummum, etſi non ſemper iniuſte, tamen nimis acriter, ac nimis ſaepe carpſiſſe, v. c. ſub v. FIERI, in clave Ovidii. Et conſtat tamen, eum virum unice ſoſpitatorem huius poetae, ut multorum aliorum, fuiſſe, atque hoc magis venia dignum eſſe, ſicubi forte peccaverit, quod haud dubie in notis ſuis multa mutaſſet, ſi diutius vixiſſet. *Deinde* interdum ſine cauſſa longior fuit Vir cl. quam pro tironibus neceſſe erat. Quorſum v c. in clave Ovidiana ſub v. FORMA longa illa diſputatio, qua initium Metamorphoſeon defendit, et Scaligeri ineptas correctiones copioſe exagitat? Quorſum ſub v. FRETVM illa citatio locorum duorum bene longorum Hygini et Varronis, praeſertim in re non magni momenti? Nam etſi haec in ſe reprehendi non poſſunt; tamen, quoniam in uſum tironum ſcripſit, facile ſuperſederi iis poterat. *Denique* etiam deſideravimus quaedam vocabula, ſeu potius ſignificationes quasdam vocabulorum, quae abeſſe non debebant ab tali libello, quoniam occurrunt in locis notiſſimis. Sic ſub v. DVCERE et CARMEN fruſtra quaeſivimus uſum eorum, quo *artes magicas* exprimunt, quibus Solem, Lunam, et ſidera, de coelo deduci, hominesque, vel invitos, ex aliis locis in alios trahi poſſe, veteres crediderunt, ut apud Virgilium:

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

Pariter

Pariter ſub v. VERSVS, non annotavit eum ſenſum, quem haec vox habet apud Virgilium Aen. V. 119. ubi *triplici verſu*, dicitur de triplici remorum ac remigum ordine. Sed in eiusmodi libris non poteſt prima ſtatim editione ſumma perfectio ineſſe. Itaque ſperamus, auctorem cl. ſi forte liber repetendus aliquando fuerit, haec et ſimilia pro diligentia ſua conſueta additurum. Diligentem enim in hoc opere adornando fuiſſe, tum ipſe adſpectus, tum etiam multo magis curata lectio, quemvis docebunt. Unde eum hic merito iterum laudamus, hortamurque, ut inpoſterum quoque pergat iuventuti prodeſſe, idque non modo ſcribendo, verum etiam, et multo magis docendo, praeſertim cum nuper in Academia Iulia docendi munus publice ad eum delatum ſit, quod ei vehementer gratulamur.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Septembris Anno MDCCLXIX.*


## *COMMENTATIONES SOCIETATI REGIAE Scientiarum Goettingenſi per Annos 1763. 1764. 1765. et 1768. oblatae a IO. DAV. MICHAELIS, eius Societatis Directore.*

Bremae, 1769. 1 Alph. 2 pll. in 4.

Neminem facile reperiri arbitremur, aut in hiſtoria noſtrae aetatis litteraria tam hoſpitem, ut ignoret, aut excellentium hominum laudis tam invidum, ut neget, in Michaele vim ingenii ſummam, doctrinaeque haud vulgaris amplitudinem elucere, cum in omni fere litterarum bonarum genere, tum inprimis in ſacrarum, et quae cum his aliquam habeant coniunctionem, orientalium litterarum cognitione. Igitur has Commentationes, ob auctoris laudem, et argumenti novitatem praeſtantiamque, non minus lectorum cupiditatem allecturas eſſe ſperamus, quam quae ad Annum huius aevi ſexageſimum tertium in lucem prodierunt. Ut autem ſuperiorum novem illarum olim a nobis eſt enarratum argumentum, ita et harum ſex novarum ſummam a nobis nunc exponi deinceps, lectoribus non plane ingratum fore ſperamus. Caeterum ſi occurrant, quae vel ambigua et incerta, vel plane falſa nobis videantur, hanc veniam, ut

 libere,

Digitized by Google

libere, quod de his videatur, dicamus, facile nobis ab ipſo Auctore datum iri ſperamus. Ille enim, id quod inter omnes ſatis conſtat, hanc laudem cum caeteris ingenio doctrinaque excellentibus viris habet communem, ut nemini ſuam obtrudat opinionem, ſed aequo animo aliorum ferat diſſenſum. Agedum ad *primam* accedamus *Commentationem, in qua Iuris Leviratus Iſraelitarum contimetur quaedam explicatio* ad Deut. XXV, 5-10. Illius iuris paradoxi, quod opinionibus Iſraelitarum de immortalitate nominis ex poſteris ſperanda plane ſerviat, Moſem primum inventorem auctoremque extitiſſe, negat cel. Auctor, ſed illud a maioribus acceptum, aliqua cum mutatione, in novam recepiſſe Iſraelitarum rempublicam. Qui quamquam, quae inde, et ad fraternorum coniugiorum ſanctitatem ſecuritatemque infringendam, et ad verecundiam pudoremque viduarum vel plane tollendum, vel certe debilitandum, orirentur incommoda ac pericula, ignoraſſe haud pudantus ſit: cum tamen probe intellexerit, illam de gloria ex liberis procreandis ſperanda opinionem, ad gentis foecunditatem alendam, ſoboliſque legitimae cupiditatem incendendam, mirifice valere, nec facile ſine periculo aliquo in populo conſuetudinis priſcae tenaciſſimo mutari poſſe, legem quidem ipſam a Moſe ſapientiſſimo legislatore fuiſſe retentam, acerbitate tantum illius temperata, fracta, et imminuta. Illud leviratus ius autem diu ante Moſis aetatem non modo in gente Iacobi uſurpatum, ſed et apud Phoenices fuiſſe, Auctori clarum fieri videtur ex hiſtoria Thamarae, Gen. XXXVIII. ubi Thamaram viduam fratris, e gente Phoenicum ortam, Onanus coactus in matrimonium ducere dicitur. Mortuo autem Onano, illius iuris tralatitii vim fuiſſe tantam, ut Iuda, quamquam intellexerit matrimonium cum iſta muliere libidinoſa et intemperante eſſe longe pernicioſiſſimum, eidem Thamarae tamen tertium filium denegare aperte non ſit auſus, ſed tantum moras nectendi, coniugiumque differendi quaeſiverit cauſam. Hanc tarditatem vero cum Thamara aegre tulerit, petieritque ipſius

ſoceri

ſoceri inceſtas nuptias, Iudae ipſi hoc facinus eſſe probatum, et Thamaram ſuo uſam iure eſſe iudicatam. Igitur huius iuris conſuetudinem non ortam eſſe ex illa opinione de gloria ex ſobole procreata ſperanda, ſed ex polygamia, et magna, quae inde venerit, feminarum raritate. Nam hic mos cum etiam apud Phoenices olim, et etiamnum, auctore Haldio, apud Mongolos ſit in uſu, quibus laus genealogica non aeque ac Iſraelitis ſit cordi: aliam illius cauſam extitiſſe, diverſam ab illo gloriae immortalitatisque ſtudio. Nihil autem plus ad illam conſuetudinem contuliſſe videri polygamia. Ex qua enim cum inopia et caritas ſit nata puellarum, a finitimis ditioribusque hominibus coemtarum, pauperes ac tenues homines de ratione coepiſſe cogitare, qua vidua fratris una cum caeteris mortui bonis ad ſeſe rediret. Hinc paulatim eandem conſuetudinem a pauperibus ad ditiores ipſos, ut fit, permanaſſe, et pro lege uſurpari coepiſſe. Ex eadem polygamia quoque ortam eſſe illam apud Ebraeos Regum conſuetudinem, uxores pellicesque eius, in cuius locum ſucceſſerant, ſibi vindicandi ducendique, ut etiam in ſuſpicionem regni venerint affectati, qui prioris regis pellices amarent, coniugioque expeterent, idque exemplo Abneri et Adoniae conſtare, 2 Sam. III, 7. 8. et 1 Reg. II. 21. Quare etiam Abſalomum, ut ſeſe pro rege gereret, parentis concubinas in thalamo ſibi locaſſe. Ut igitur illius regii iuris originem, ex priſcorum regum paupertate eſſe arceſſendam, non Iſraelitarum quidem, quippe quibus ante Sauli tempora nulli fuerint, ſed finitimarum gentium, maxime Arabicarum, aliarumque, quas imitandas ſibi in iure regio propoſuerint Iſraelitae: ita ſucceſſionem quoque in fratrum defunctorum coniugia, ex eadem cauſa natam eſſe videri. Leviratus autem acerbitatem iniquitatemque a Moſe, ſapientiſſimo legislatore, cum rem plane tollere non ſit auſus, ſublatam, certe mitigatam eſſe, clarum fieri eo, quod huius iuris neceſſitate liberaverit fratrem, cui iam uxor fuerit. Deinde, quod nemo ad nuptias cum vidua fra-

tris faciendas coactus fuerit tum, cum prius coniugium fuerit foecundum. Denique, quod illam legem non niſi duabus iisque leviſſimis poenis ſanxerit Moſes, ut adeo facile lex ipſa negligi contemnique potuerit. Etenim *in os exſpuere* leviri nuptias repudiantis, cuius poteſtatem a lege habuerit vidua repudiata, h. e. uti Cl. Auctori videtur, bilem in ipſum et maledicta evomere; atque *nudipedem vocari*, h. e. decoctorem bonisque cedentem: non tantam vim in hominum animis habuiſſe putanda eſſe, ut quemquam a legis ipſius violatione retraxerint. Caeterum exemplo Thamarae et Ruthae intelligi, ius leviratus verecundiae viduarum et pudicitiae minus commodum fuiſſe; atque vel inde diſci poſſe, quae leges Moſaicae in illo quidem populo, in quo quibusdam de gravibus cauſis polygamia et alia conceſſa fuerint et tolerata, optimae ſint exiſtimandae, easdem non aeque noſtris moribus inſtitutisque conſentaneas eſſe putandas, aut in civitates noſtras inducendas.

Haec eſt ſumma eorum, quae a Cl. A. de hoc genere ſatis ingenioſe eleganterque ſunt expoſita. Atque ſi quis, quae rem cauſamque contineant hic ab Auctore omiſſa eſſe queratur, cogitet quaeſo conſilium A. non fuiſſe, quae ſexcenties ab aliis ſunt diſputata, ea hic repetere, praeſertim cum pleraque fere ſint eiusmodi, ut ultra meram coniecturam non aſſurgant. Procul igitur abeſt, ut illum hoc nomine reprehendamus, ut potius valde laudandum eſſe exiſtimemus. Verum in iis ipſis, quae diſputata ſunt a Cl. A. occurrunt nonnulla, quae ſi non plane tanquam vana et falſa ſunt reiicienda, certe pro certis et exploratis non admittenda eſſe videntur. Quae ut breviter ac libere indicemus, ab ipſa Cl. V. modeſtia, quae ſemper ſumma eſt habita, facile nobis veniam datum iri ſperamus, aut potius certo confidimus. Leviratum quidem diu ante Moſis tempora cognitum uſurpatumque fuiſſe, facile concedimus; nec dubitare nos de hac re ſinunt ea, quae de Onani Thamaraeque flagitiis tradidit Moſes. Idem vero apud Phoenices quoque fuiſſe in uſu, exemplo Thamarae

Phoe-

Digitized by Google

Phoeniſſae non ſatis clarum certumque fieri videtur. Inde enim tantum colligi poteſt, id in gente Iacobi uſurpatum eſſe, in quam Thamara iure matrimonii venerat, et cuius moribus inſtitutisque mulier e conſuetudine omnium antiquitatis populorum parere debebat, niſi bonis mariti defuncti excidere vellet. Quod illa vero ſocerum ad inceſtum flagitium invitavit, nihil nobis neceſſitatis imponit coniiciendi, illam e legibus patriae ſuae matrimonium poſtulaſſe leviri. Nam praeterquam quod ex iure connubii, ſi quod tum fuerit, non neceſſario ſequitur, Phoenicibus Iacobitisque caetera inſtituta fuiſſe communia; aliae quoque, eaeque haud improbabiles cauſae fingi cogitarique facile poſſunt, cur mulier leviratum petierit. Haec enim, vel ob donum continentiae, quod vocant, a natura ei non conceſſum, vel ob cupiditatem prolis habendae, in qua mulieres olim gloriam felicitatemque magnam ponebant, coelibatus impatiens, cum, quamdiu ſub levirorum erat poteſtate, aliis nubere non poſſet, rem adgreſſa eſt dolo et turpiter, quam aperte et honeſte conſequi non licebat. Nec quae Cl. A. de cauſis ſunt dicta, cur Moſes legem de leviratu ſanxerit, aut potius veterem illam conſuetudinem indulgentia quadam callida retinuerit, eiusmodi eſſe videntur, ut nihil plane difficultatis dubitationisque relinquatur. Etſi vero non negaverimus, Moſis, ſeu ut verius dicamus, Dei ipſius O. M. legislatoris prudentia et liberalitate fieri potuiſſe, quod in polygamia concedenda factum eſſe cognovimus, ut cupiditati Iſraelitarum gratiaeque indulgeret, atque ad cordis duritiem, quam Cl. A. vocat, legum quarundam accommodaret rationem: ſunt tamen nonnullae rationes, quae nos dubitare non ſinant, Deum, in ſanciendа leviratus lege, aliarum rerum, quam ſolius illius Iſraelitarum duritiei ac pertinaciae habuiſſe rationem. Primum enim cum, id quod Cl. A. ſubinde ipſe concedit, hominibus leviratus vehementer diſplicuerit, plane non videmus, qui fieri potuerit, ut Moſes invitus, invitis ipſis Iſraelitis, illam legem ferre cogeretur. Deinde, ſi illud maiorum de levi-

ratu inſtitutum non niſi ob duritiem cordis Iſraelitarum retinendum exiſtimaſſet Moſes; non intelligitur cauſa, quae illum commoverit, ut eam legem, quam ob incommodorum gravitatem ipſe improbaſſe putatur, duabus, iisque haud levibus ſancire inſtituerit poenis. Etenim notae, quae legis violatoribus ad ignominiam inurebantur, non tam leves putandae ſunt, quam Cl. A. videntur. Non enim hodie demum illi honoris gloriaeque ſtimuli orti ſunt, qui animos hominum in utramque partem non parum commovere animadvertuntur, ſed antiquiſſimis temporibus idem de hoc genere valuit, quod Cicero profeſſus eſt: *trahimur omnes laudis ſtudio, et optimus quisque maxime gloria ducitur.* Denique ſapientiſſimus legislator videtur ita ipſarum viduarum conſulere voluiſſe commodis, ne, ſi bona mariti ad affines redirent, egeſtate et cognatorum negligentia coactae, turpe quicquam in ſe committerent, corporeque lucrum facere inciperent. Inprimis vero cavere voluiſſe videtur, ne vel confuſio perturbatioque tribuum et familiarum induceretur, vel gens aliqua plane interiret; quod ne fieret, aliis legibus ſedulo cavit, veluti Num. XXXVI, 6-9. Caeterum, cur Deus ordinem familiarum apud Iudaeos ſervari voluerit, indagare huius loci non eſt. Nec ſatis certum putamus, quod Cl. A. de origine leviratus attulit, eum ex polygamia eſſe natum, cum aliae, caeque graviores, noſtra quidem ſententia, in promtu ſint cauſae: velut illa cognatorum filiarum in matrimonium ducendarum conſuetudo, Abrahami iam temporibus uſurpata, quae cum leviratu, ne familiarum oriretur perturbatio, excogitata eſſe videtur. Nec, quae de origine rationeque conſuetudinis, quam Reges Iſraelitarum ſecuti eſſe dicuntur in ducendis anteceſſoris uxoribus et concubinis, diſputata ſunt a Cl. A. ita ſunt comparata, ut nihil dubitationis plane relinquatur. Etſi enim non negaverimus, id quod exemplo Davidis clarum fieri videtur, 2 Sam. XII, 8. illum morem in Iſraelitis non novum et inauditum fuiſſe: eandem tamen conſuetudinem omnibus Iſraelitarum regibus

gibus fuiſſe communem, aut apud tenuiores gentes, velut Arabicas, tantummodo valuiſſe, atque ex paupertate originem traxiſſe, quo minus concedamus, nonnullis prohibemur rationibus. Exempla enim Davidis et Abſalomi non ſufficere ad hanc rem probandam arbitramur propterea, quod Davidis, cum ex aliena ortus eſſet familia, ſine ullo inceſtus flagitio uxores Sauli anteceſſoris duxit; de caeteris regibus vero, qui vel parentem, vel avum in regno excipiebant, apud Iſraelitas, quibus inceſtus crimen graviſſime interdictum erat legibus, idem dici poſſe non videtur. Abſalomi autem exemplum, hominis plane perditi et flagitioſi, qui parentis concubinas in thalamo locavit, huc trahendum non eſt. Hoc enim flagitium ab eo non patratum eſſe, ut ita pro rege ſe gereret, ſed ut civium animos a patre alienos redderet, adimeretque ſpem illis, fore, ut umquam cum patre in gratiam rediret, auctoritate librorum ſacrorum, 2 Sam. XVI, 23. atque Ioſephi VII, 8. ſententia, comprobatur. Non vero apud Arabicas nationes tantum, et alias tenuiores, uti Cl. A. videtur, anteceſſorum concubinas et cognatas in matrimonium ductas eſſe a regibus, ſed et apud Perſas eandem obtinuiſſe conſuetudinem, nos dubitare non ſinunt ea, quae de Pſeudoſmerde et Dario Hyſtaſp. tradidit Herodotus. Hoc vero non factum eſſe videtur propterea, quod reguli iſti non haberent unde novum ſibi coemerent gynaeceum, tanta enim mendicitas in reges Perſarum non cadit; ſed ut regalibus firmarent ſibi regnum mulieribus, adeoque non tam in alienum hominem videretur translatum, quam ad familiam anteceſſoris revertiſſe imperium. (Iuſtin. I, 10.) *Solent* enim, auctore Tacito Agric. VI. *matrimonia cum feminis, ex ſplendidis natalibus ortis, eſſe decus ac robur ad maiora nitentibus.* Feminae enim nobiliores, et priſtinae dignitati aſſuetae, ſi repudiatae aliis nupſerint, non tantum per ſe periculum movere regnantibus facile poſſunt, cum, uti Livius de Tanaquil femina ſummo loco nata monet, *haud facile iis, in quibus natae ſunt, humiliora ſinant ea, quae innupſerunt,* I, 34: ſed cognatorum

etiam

etiam opes haud leve momentum in utramque partem regnantibus eſſe ſolent, praeſertim in populis iis, quorum animi leves ad ſeditiones turbasque valde ſunt proclives. Praeterea nullius gentis vel tenuiſſimae egeſtas tanta putanda eſt, ut regi non ſint, unde uxores concubinasque ſibi comparet. Facile etiam, ſine ullo ſumtu, honeſtisſimas formoſiſſimasque quasque feminas, vel vi eripere, vel auctoritate imperare, vel precario conciliare, maieſtas regia poteſt, adeo ut nulla femina nuptias regias repudiare, aut parens affinitatem regis non optare videatur. Haec fere ſunt, quae nobis ſuper hac commentatione dicenda videbantur: venimus nunc ad

II. *de Menſibus Ebraeorum*, ubi Cl. A. conatur refellere vulgarem et receptam noſtrae aetatis quoque Iudaeorum rationem, ad quam initium anni Iudaici eccleſiaſtici incidit fere in novilunium menſis Martii noſtri; et contendit, Iudaeorum veterum Niſan non tam noſtro Martio, quam Aprili reſpondere, et hunc in modum caeteros veterum Iudaeorum menſes triginta diebus ſerius eſſe computandos, quam vulgaris ferat ratio. Quatuor omnino argumentis rem comprobare conatur Cl. A: legum Moſaicarum de celebrandis feſtis maioribus cum vulgari computatione pugna; Syrorum recentiorum conſuetudine; menſium quorundam Ebraicorum etymologia; et Ioſephi denique auctoritate. Primum enim ſatagit oſtendere, e Schawii et Beerii primis calendarii oeconomici Palaeſtinae lineis, tempus feſtorum, quae ad primum, tertium, ac ſeptimum quemque menſem quotannis celebrari iuſſerit Moſes, noſtro Martio, Maio, et Septembri, ob coeli Palaeſtinae rationem minus convenire, ſed potius, ob frugum immaturitatem, demum, e legibus Moſaicis, illa Aprili noſtro fere, Iunio, et Octobri celebrari debuiſſe. Etſi enim annis iis, cum novilunium Martii ſerius fuerit intra vigeſimum diem et finem, leges Moſaicas, de tempore illorum feſtorum celebrandorum, in Palaeſtina ipſa potuiſſe ſervari: cum tamen Moſes leges eas tuliſſe exiſtimandus ſit, quae

Digitized by Google

quae omnibus convenirent annis, leges illas tum, cum novilunium primi menſis vel in ipſas noſtri Martii Calendas, vel omnino in primos viginti menſis dies inciderit, coelo ac maturitati frugum nullo modo fuiſſe aptas. Nam primum ita manipulum primitiarum hordeacearum, qui ad d. XVI. Niſanis erat offerendus, ob maturarum ariſtarum inopiam offerri non potuiſſe; nec adeo meſſis initium fieri propterea, quod quicunque in Itinerariis meſſis Palaeſtinorum faciant mentionem, Aprili demum ac Maio ſegetes matureſcere et demeti uno conſenſu tradant: atque in his *Schawius*, qui teſtetur, anno huius Seculi vigeſimo ſecundo, cum Palaeſtinam adierit, ſub finem demum Aprilis in regionibus Palaeſtinae, iisque meridionalibus, hordeum flaveſcere coepiſſe. Deinde cum *Korte, Schmidius, Schweiggerus*, et alii, qui has terras adierunt, in eo conveniant, ut teſtentur, ante Maii finem meſſem triticeam ibi non abſolvi: fieri non potuiſſe, ut ante Penteccoſten, qua per *ſeptiduum* gratiae Deo pro collectis frugibus eſſent agendae, meſſis perficeretur. Denique nec tabernaculorum feſtum Septembri noſtro fuiſſe aptum. Hoc enim cum fructibus omnibus collectis eſſet celebrandum, et adeo etiam vindemiae finitae gratulationem deberet complecti, quippe cuius in illis quidem terris potiſſimum haberetur ratio; hinc effectum eſſe ut illud feſtum, ſi in d. XV. Sept. incidiſſet, cum ante Kalendas Octobres vindemia abſolvi non potuerit, Iſraelitas ab opere avocaret, cogeretque maturas in vitibus relinquere uvas. *Polſchnitzio* enim et *Neidſchitzio* teſtibus, uvas medio demum Septembri, in meridionali ac praecociori Palaeſtinae parte, velut circa Hieroſolyma, ad maturitatem pervenire. Hinc clarum fieri, in ſeptentrionalibus regionibus, ut in Galilaea, ante initium Octobris, vindemiam perfici non poſſe. Idem feſtum etiam ſerius, quam vulgo putetur, celebratum eſſe, comprobari Ioſephi auctoritate, qui Arch. III, 10. tradat, celebratum eſſe τρεπομένυ τῦ καιρῦ πρὸς τὴν χειμέριον ὥραν, h. e. *vergente iam ad hiemem tempore.* Caeterum, etſi annus Iudaicus, cum

Ddd lunaris

lunaris fuerit, intercalationibus habuiſſe opus; tamen, quae de menſe *Veaddar* vulgo tradantur, inter commenta fabulaſque Rabbinorum eſſe referenda. Intercalandi enim rationem, ſi qua fuerit, ad ſiderum curſus aſtronomiaeque praecepta accommodatam putandam eſſe, non vero eam, quae legibus ineptis ſuccurreret Moſis, ſenectute prudentiaque plane indignis, et a coeli regioniſque ratione diſcordibus.

Alterum ad vulgarem refellendam ſententiam argumentum petit Cl. A. a Calendario Syrorum, apud quos cum Niſan menſis reſpondeat plane noſtro Aprili, eandem etiam anni computandi rationem olim apud Iudaeos fuiſſe colligit ex eo, quod Syri, cum numquam extorres facti ſint, uti Iudaicae genti acciderit, nec eas migrationes mutationesque morum et inſtitutorum ſubierint, quas Iudaei, qui per tot Seculorum ſpatium alienas inter nationes, alieno utentes Calendario, extorres patria caruerint. Caeterum, etſi notum non eſſe, quo tempore, et quibus de cauſis mutatio illa in Calendarium Iudaicum ſit invecta: certe tamen ante Ioſephi tempora, et interpretationem librorum ſacrorum Syriacam, nondum a priſca conſuetudine receſſum eſſe, patere ex eo, quod in utroque rationis Syriacae reperiantur veſtigia. Syros igitur menſes ſic conſtituere, ut triginta diebus ſerius veniant, quam ratio ferat Iudaeorum, conatur Cl. A. probare non modo locis nonnullis Aſſemani Bibl. Orient. ſed auctoritate quoque Bayeri in Hiſt. Osrhoën. quae loca, ut tempori parcamus, hic omittimus.

Tertium argumentum ſumit ab auctoritate Ioſephi, qui Arch. II, 14. Ebraeorum Niſan interpretatur Macedonum Xanthicum, et III, 10. addit, ſolem eo menſe, cum Paſcha celebratum ſit, in Ariete eſſe conſtitutum. Id quod quidem de die 14. Apr. vere dici poſſe A. exiſtimat, ſed de die 14. Mart. nullo modo; quippe eo tempore ſolem moveri in Piſcibus, et die XXI. Martii demum Arietem intrare. Similiter III, 10. ſeptimum Iudaeorum menſem comparari cum Macedonum Hyper-

Digitized by Google

Hyperberetaeo, qui a Suida diſerte vocetur October. Quartum denique argumentum ductum eſt ab origine quorundam menſium, veluti menſis *Adar*, qui cum haud dubie nomen habeat a verbo אדיר, quod interdum arietem ſignificet, ut Ier. XXV, 34. 35. hinc intelligi, Adarem non eſſe Februarium noſtrum, quo Sol Piſces ingrediatur, ſed Martium, quo Sol in Arietem intret. Item ſeptimum menſem, quem Chaldaei *Thiſchri* appellant, vocari 1 Reg. VIII, 2, ירח האיתנים, i. e. *menſem perennium rivorum.* Nomen enim איתנים reſpondere Arabico verbo وتن, h. e. *perennis fuit aqua, ſeu rivus.* Hoc nomine autem omnium maxime dignum eſſe Octobrem propterea, quod, cum tempore meſſis, quae in Maium Iuniumque inciderit, plane nullae, Iulio autem, Auguſto, Septembri, et maxima Octobris parte, non niſi rarae in Palaeſtina fuerint pluviae, factum eſſe putat, ut torrentes, qui menſibus ſuperioribus ſiccis non exaruerint, ultimo non pluviorum menſium Octobri *perennes* recte exiſtimarentur. Sic nec menſem *Bul*, cuius nomen haud dubie a verbo בלל (*rigavit*) proficiſcatur, alium eſſe videri, niſi Novembrem, quippe quo in Palaeſtina primae pluviae incipiant, ſintque exundationes fluminum maxime timendae. In fine commentationis adiunctus eſt catalogus menſium Ebr. Chald. Arab. Aethiop. et Copticorum, haud inutilis, quem debemus b. Chr. Bened. Michaeli. Verum hic deſideramus comparationem diligentiorem menſium, velut cum Romanis, ut intelligatur, quomodo ſingulorum initia R. Calendis reſpondeant. Credibile enim non eſt, omnium initium et finem plane convenire Romanae rationi: certe ex Epiphanio, aliiſque veteris Eccleſiae doctoribus, inprimis ex iis, qui de controverſia diei Paſchalis expoſuerunt, luculentiſſime poteſt demonſtrari, menſes Iulianos ab Aegyptiis ſeu Copticis quinque circiter anteverti diebus. Atque omnino in finibus menſium iudicandis apud veteres gentes magna adhibenda eſt cautio, ne diverſitate dierum numerandorum decepti, vel noſmet ipſi erremus, vel alios erraſſe pu-

temus. Veriſſimum enim eſt, quod Plutarchus aliquo loco monet, *τὴν τῶν ἡμερῶν ἀνωμαλίαν ȣ̓ θαυμαϛέον, ὅπȣ καὶ νῦν διηκριβωμένων τῶν ἐν ἀϛρολογίᾳ μᾶλλον, ἄλλην ἄλλοι μηνὸς ἀρχὴν καὶ τελευτὴν ἄγȣσιν.*

Etſi eum credulitatem Rabinis addixiſſe dicit Cl. Auctor, qui de eius ſententia nova dubitare et patrocinium iſtius vulgaris de menſibus Ebraeorum opinionis ſuſcipere audeat: libere tamen fatemur, rationes allatas apud animum noſtrum non eam habere vim, ut, vulgari relicta, novam amplecti ſententiam nos cogant; nec tamen ſumus ii, qui ob auctoritatem fidemque Rabinorum, niſi rationes aliae graviores intercedant, ſententiam aliquam vel probandam, vel reiiciendam eſſe exiſtimemus. Argumentum certe, quod Cl. A. ſumſit ex itinerariis quorundam recentiorum, qui teſtentur, fructus nondum iis temporibus ad maturitatem perveniſſe, in quae celebratio Moſaicorum Feſtorum inciderit, valde infirmum nobis videtur; quoniam in maturitate fructuum recte iudicanda ratio et temporis et locorum et aliarum rerum diligentisſime eſt habenda. Ut enim vel caſibus quibusdam, terrae motu, inundationibus, vel vitio humano, ignavia, inſcitia inopiaque incolarum omnino regio aliqua, quae ante fuit fertiliſſima, in terram ſterilem poteſt mutari et interdum mutata eſt: ita et maturitas fructuum iisdem de cauſis poteſt variari, uti rerum oeconomicarum periti uno conſenſu, quantulum ſcimus, tradunt. Palaeſtinam vero huiusmodi ſubiiſſe mutationes vix dubitari poteſt, ſi quis, quae Moſes olim de fertilitate eius retulit, ea cum Strabonis aliorumque teſtimonio comparaverit, qui recentioribus temporibus has terras adierunt. Deinde ſi maxime hodie nonnullis Palaeſtinae locis fructus ſerius, quam ratio feſtorum antiqua poſtulat, matureſcere deprehendantur, ſine periculo tamen errandi inde colligi non poteſt, eandem rationem in caeteris quoque locis ſub eodem coelo ſitis eſſe, quae fortaſſe illi homines non adierunt. Quis enim peregrina-

grinatorum vel velit, vel poſſit, omnes alicuius regionis angulos perrepere? Etiam in his terris Saxonicis tempus meſſis, et maturitatem omnium fere fructuum, maxime variari, ſatis certo conſtat. Nam quae meſſis in agris Martisburgenſibus et Hallenſibus certo quodam tempore anni ſuſcipi ſolet, eadem in terris prope Eiſenbergam tribus aut duabus ad minimum hebdomadibus ſerius poteſt inchoari. Quodſi igitur in his regionibus, quae neque montanae ſunt, neque coelo nimis multum diverſae, in ſpatio ſex aut ſeptem ad ſummum milliarium, tantopere varietur fructuum maturitas; quid quaeſo de frugum maturitate et varietate eſt exiſtimandum in Palaeſtina, quae omnis montibus et vallibus, ſaltibus atque campis, diſtincta eſſe fertur? Quae cum ita ſint, incredibile non eſt, aliud aliis in locis Palaeſtinae meſſis initium factum eſſe, atque meſſis tempus admodum toto menſe in diverſis locis variatum, ita ut qui fructus in locis Hierichunticis et prope Aegyptum iam ſub Martii finem maturitatem aſſecuti ſint, iidem aliis in locis demum ſub finem Aprilis meti potuerint. Moſes igitur, cum ſapientiſſime multis de cauſis rationem Feſtorum, inprimis celeberrimorum ſanctisſimorumque, ad frugum maturitatem accommodare inſtituiſſet, nec ſine quodam miraculo divino meſſis omnibus in locis uno tempore fieri poſſet: certe in conſtituendo Paſchatos tempore, cum primitiae hordei erant offerendae Deo, reſpicere tempus debuit id, quo uspiam prima hordei venerit maturitas. Leges enim non tam propria, quam communia ſpectare debent. Iam vero ſi verum eſt, quod ſcriptores narrant, in Aegypto hordeum ineunte Aprili meti ſolere: abhorrere a vero minime videtur, in Palaeſtina, certe in regionibus eius meridionalibus, ubi nec coeli nec terrae conditio quicquam ab Aegypto finitima differre videtur, itidem habuiſſe locum. Leo Afer autem in Deſcript. Africae T. II, p. 670. ed. Elzev. *Aegyptii ſub Aprilis initium*, ait, *ſegetes ſuccidunt, ſucciſas confeſtim triturant: neque ſpicam ad vigeſimum Maii ſecandam relinquunt.* Itemque Am-

 broſius

broſius in Epiſt. ad Aemiliae Epiſcopos: *Maiores noſtri*, inquit, *ipſum menſem Novorum recte cuſtodierunt, quia in Aegypto hoc primo menſe nova ſecantur frumenta.* cf. Bucher. de Doct. Temp. p. 95. Quodſi Cl. A. concedamus, Niſanis initium vel in medium Aprilem, vel ſub finem eius demum incidiſſe, fieri non potuit, ut ille ab aequinoctio vernali initium ſumeret; quod tamen negari nequit. Nam praeterquam quod omnes de Paſchate ſcriptores antiqui uno conſenſu tradunt, Iudaeorum Paſcha accidiſſe circa vernum aequinoctium, etiam Philo in Vit. Moſ. III, ſub finem teſtatur, illum diem feſtum celebratum eſſe primo plenilunio a verno aequinoctio: *τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας*, inquit, *πρῶτον ἀναγράφει μῆνα Μωϋσῆς ἐν ταῖς τῶν ἐνιαυτῶν περιόδοις — — — τῷ δὴ μηνὶ τούτῳ, περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν, μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς.* Addamus locum quendam Hieronymi in Comment. Hag. II. cuius auctoritate opinio, quam noſter A. vocat inventum recentius, mirifice comprobatur. *Nonus eſt menſis*, ait, *quem nos Novembrem vel Decembrem dicimus. Niſan enim apud Ebraeos menſis eſt primus, qui appellatur menſis novorum, eo tempore quo Paſcha faciunt, id eſt, incipiente veris exordio, qui ſecundum Lunae curſum ſaepe quandam partem menſis* MARTII *poſſidet, interdum incipit in* APRILI. Quid quaeſo luculentius eſſe poteſt? Hieronymus enim, ſi ſententia Cl. A. ſtaret, dicere debebat, *qui ſaepe quandam* partem *menſis* APRILIS *poſſidet, interdum incipit in* MAIO. Multo minus nobis probantur, quae de tempore rationeque Pentecoſtes celebrandae ſunt diſputata. Neque enim hic dies feſtus meſſe triticea peracta, qui error etiam a Fullero in Miſc. III, 11. commiſſus eſt; neque per ſpatium ſeptem dierum eſt celebratus. Moſes enim Exod. XXXIV, 22. diſerte iubet hunc feſtum diem celebrari בכורי קציר חטים, h. e. *ſub initium meſſis triticeae.* Non modum vero, ſed tempus feſti celebrandi hic ſignificari, intelligitur non modo ex eo, quod ſtatim ibidem tempus feſti tabernaculorum commemoratur, תקופת שנה, *vertente*

*anno*;

*anno*, gr. μεσᾶντες τᾶ ἐνιαυτᾶ, ſed quod etiam Num. XIII, 21. בכורי ענבים (*primitiae uvarum*) exprimunt notationem temporis, cum uvae coeperunt matureſcere. Ad noſtram ſententiam comprobandam accedit Graeci interpretis Ionathaniſque auctoritas, quae, cum uterque et antiquisſimis vixerit temporibus, et inſtitutorum ſuae gentis haud ignarus fuiſſe videatur, ſane magnum in hoc genere momentum habere exiſtimanda eſt. Ille enim verba קציר חטים בכורי interpretatus eſt ἀρχὴν θερισμᾶ πυρᾶ; hic autem בכמן בכורי חצר חנשין, h. e. *tempore primitiarum meſſis triticeae*.

Deinde etiam analogia quadam, noſtra confirmatur ſententia. Ut enim primitiae hordaceae in Paſchate meſſe ineunte offerebantur, ita primitiae triticeae in Pentecoſte meſſe ineunte oblatae putandae ſunt. Quibus argumentis autem Cl. A. inductus credat, Pentecoſtem per ſeptiduum eſſe celebratam, plane non videmus, cum communi omnium conſenſu, quantum nos quidem ſcimus, tradatur, celebrationem Pentecoſtes ab initio non niſi unius fuiſſe diei, poſta vero ſuperſtitione quadam, Iudaico ingenio digna, alterum additum eſſe diem. Certe Ioſephus Arch. III, 10. ubi ſeptem dies Paſchatos, totidemque Scenopegiae diſerte commemorat, de Pentecoſte tamquam uno die loquitur; itemque Lev. XXIII, 21. et Num. XXVIII, 26. celebratio unius diei tantum commemoratur. Quae cum ita ſint, facile intelligitur, argumentum ipſum, quod inde ad refellendam opinionem vulgarem de menſibus ſumtum eſt, plane nullam habere vim. Nec Scenopegia, quae a. d. XV. menſis Septembris erat agenda, quidquam valere videtur ad receptum menſium Iudaicorum ordinem immutandum. Nam cum ſeptimus Iudaeorum menſis partim Septembri noſtro, partim Octobri fere reſpondeat: dubium non eſt, quin uvae, cum apud nos in regionibus frigidioribus initio Octobris iam matureſcere incipiant, in Palaeſtina medio Septembri ad maturitatem perveniant. Praeterea nec ſatis certum eſſe videtur, quod

Digitized by Google

quod Cl. A. diſputat, hunc diem feſtum non, niſi poſt vindemiam omnem collectam et peractam, fuiſſe celebratum. Nam ut Paſcha et Petecoſten videmus initium meſſium feciſſe, ita nec eſt cur hunc diem feſtum ad finem vindemiae ablegemus. Huc accedit Plutarchi auctoritas, qui Sympoſ. IV, qu. 5. in ipſam vindemiam illius ſolennis diei celebrationem incidiſſe commemorat: *ἀκμάζοντι τρυγητῷ*, inquit, *τραπέζας προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς κ. τ. λ.* Igitur ſi in ipſa vindemia ille dies eſt celebratus, non videmus quid obſtet, quo minus vetus illa menſium deſcriptio retineatur; praeſertim cum menſes Iudaeorum non admodum cum Romanorum Calendis incipiant, ſed Iudaeorum September verbi gratia circa aequinoctium auctumnale accidat, *κατὰ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν*, teſte Philone adv. Flaccum, qui idem, ſive quisquis auctor eſt libelli *περὶ ἑβδομάδος*, ait, *τελευταία δ' ἐστὶν ἑορτὴ προσαγορευομένη σκηναὶ, καιρὸν ἔχουσαι τὸν μετοπωρινῆς ἰσημερίας.* At enim repugnat Ioſephi auctoritas, qui Arch. III, 10. tradit, illum diem celebratum eſſe *τρεπομένου τὸ λοιπὸν τοῦ καιροῦ πρὸς τὴν χειμέριον ὥραν.* Certe ſi haec verba ſumerentur *ἀκριβείᾳ* mathematica, Ioſephus aliquid dixiſſet, quod et auctoritati Philonis plane repugnaret, et ſententiam Cl. A. nihil adiuvaret magnopere. Nam ita Scenopegia in Decembrem deberet incidere, quam tamen ipſe Cl. A. in Octobri ponit. Verum enim vero haec verba profecto ſunt accipienda, ſic, ut vel *χειμέριον ὥραν* intelligamus quidem de hieme, ſed particulae *πρὸς* latiorem tribuamus vim, ut non aliquot dies, ſed aliquot menſes ante brumam intelligantur; vel, quod vero ſimilius videtur, ut *χειμέριον ὥραν* opponatur calori et ſerenitati aeſtatis, dicaturque de tempeſtate pluvioſa et frigidiore, quae inde ab aequinoctio auctumnali fieri ſolet, non admodum diverſa ab hiemis verae conditione. Verbum *χειμῶνος* etiam de pluvia procellaque dici, inter omnes ſatis conſtat.

Videbimus nunc de loco Ioſephi alio, Arch. III, 10, 5. ubi Paſcha die XV. Niſanis celebratum eſſe dicitur *ἐν κριῷ τοῦ*

*ἡλίου*

Digitized by Google

ἡλίȣ καθεστιῶτος. Etſi autem illo loco rem potiſſimum conſici putat Cl. A. nihil tamen hinc efficitur, niſi ut celebratio Paſchatos inter aequinoctium vernum, et inter diem XX. Aprilis incidat, quo ſpatio Sol ſignum Arietis percurrit. Id quod tamen non modo ſententiam Cl. A. nihil adiuvat, ſed ei repugnat maxime. Cum enim Ebr. Niſan ſerius Calendis Martiis plerumque incipiat; ſequitur, ut dies decimus quartus incidat in tempus quo Sol ingreſſus ſit Arietem. Quodſi vero Cl. A. ſententia probetur, tum profecto celebratio Paſchatos cadit intra tempus quo Sol movetur in Tauro, id quod Ioſepho repugnat. Plura de hac re ſi quis velit cognoſcere, adeat Bucher. Doctrin. Temp. p. 94. ſeqq.

Neque Ioſephus nobis repugnare putandus eſt, ſi Ebraeorum menſes cum Macedonicis comparat. Nam ſi maxime Xanthicus Macedonum plane reſpondeat Aprili Romanorum, de quo valde dubitamus: certe tamen, cum Niſan Ebraeorum ſerius Martiis Calendis incipiat, et plerumque celebratio Paſchatos in Aprilem cadat, recte Niſan cum Xanthico aut Aprili poteſt comparari. Hinc idem Ioſephus Bell. Iud. VI, 5, 3, ſcribit, eo anno, cum Hieroſolyma ſit expugnata, Paſcha eſſe celebratum *octavo die Xanthici.* Quantopere igitur hoc repugnet ei, qui menſem Paſchalem vel ab ipſis Calendis Aprilis, vel etiam a novilunio eiusdem menſis arceſſat, (Cel. A. enim in hoc termino conſtituendo valde eſt inconſtans,) nemo non facile intelligit. Nam Paſcha ſemper die XIV. Niſanis eſt celebratum. Neque eſt quod vereamur, ſententiam noſtram everti, ſi Ioſephus Niſanem comparet cum Pharmuthi Aegyptiorum. Nam veriſſime, ſalva ratione vulgari, id a Ioſepho fieri potuiſſe, clarum fit ex Epiſtola Ambroſii LXXXIII, ad Epiſcopos Aemil. *primus*, inquit, *menſis anni Aegyptiorum eſt Pharmuthi, qui incipit VI. Kal. Apr. et finitur VII. Kal. Maii. Ergo ſecundum Aegyptios primo menſe celebraturi ſumus Dominicam Paſchae, h. e. VII. Kal. Maii, qui eſt XXX. Pharmuthi*

 *menſis.*

*menſis. Nec abſurdum arbitror, ut inde obſervandi Menſis trahamus exemplum, ubi primum Paſcha celebratum eſt. Unde et maiores noſtri in tractatu Concilii Nicaeni eum diem enneadecaëteride, ſi quis diligenter intendat, ſtatuendum putarunt; et ipſum Menſem Novorum recte cuſtodierunt: quia in Aegypto hoc primo menſe nova ſecantur frumenta. Hic autem menſis et primus eſt ſecundum Aegyptiorum proventus, et primus ſecundum legem; et octavus eſt ſecundum conſuetudinem noſtram. Indictio enim Septembri menſe incipit. Octavo igitur menſe Kalendae Apr. ſunt. Incipit autem menſis non ſecundum vulgarem uſum, ſed ſecundum conſuetudinem peritorum, ab Aequinoctio, qui dies eſt XII. Kal. Apr. et finitur XI. Kal. Maii etc.*

De Syrorum Calendario, quo inprimis nititur Cl. A. nos non negamus, exempla ex Aſſemanni Bibl. allata probare, Syrorum menſes cum Ebraicis non convenire. Verum negamus, hanc Syrorum Edeſſenorum rationem caeteris Syris fuiſſe communem, et olim eandem fuiſſe, aut Ebraicum Calendarium ſubiiſſe mutationem. Etſi enim gens Iudaica, inde a fundatione reip. usque ad noſtram aetatem, variis obnoxia fuit mutationibus: cum tamen eadem inprimis a migratione Babylonica ſemper rituum a maioribus traditorum fuerit tenaciſſima, credibile minime eſt, rationem ſuorum menſium ab illa eſſe accommodatam ad Syrorum Calendarium quos et ob ſacrorum diverſitatem, et ob vexationes illatas tanto proſequebatur odio, ut ſuos cives ipſos, qui graecas litteras diſcebant, orationemque formabant ad Graecorum elegantiam, ἑλληνισμῷ argueret, et a patriis inſtitutis defeciſſe accuſaret. Quod ſane multo minoris putandum eſt momenti, quam Calendarium ipſum ita mutare, ut reſpondeat menſibus gentis a ſacris Iudaicis alienae. Nam ſacra ipſa ſemper habuerunt magnam cum ratione temporum coniunctionem. Verum ipſum Edeſſenorum Calendarium ſubiiſſe mutationem, et a caeterorum Syrorum conſuetudine fuiſſe diverſum, luculenter oſtendit idem Bayer. Hiſt.

Oſhr.

Digitized by Google

Oſhr. quem ipſe Cl. A. de chronologia Syriaca inſigniter meritum eſſe fatetur. Hic igitur p. 19. *Edeſſeni*, ait, *initium anni faciunt, una cum Antiochenis et Caeſarienſibus, ab Kal. Octob. Uſi ſunt igitur epocha Seleucidea — — Sine dubio poſtquam colonia Romana eſt facta Edeſſa, annos coeperunt ad rationem numerare Romanorum. At ſuperioribus temporibus a Sept. annus eorum inchoavit, more Syrorum reliquorum. Nullo teſtimonio de Edeſſenis proprie hoc comperi, niſi ſi cui hoc ſufficiet, quod dicam.* Ammian. Marcell. XIV, 9. *ſcribit:* Batnae municipium, ubi annua ſolemnitate prope Septembris initium menſis, ad nundinas magna convenit multitudo. *Nundinas puto ante celebratas ipſo anni exordio, poſt autem, ubi anni exordium aliud conſtitutum eſt, tamen eodem tempore fixas haeſiſſe. A Batnis concludo quoque de Edeſſa.*

Ultimum argumentum, de origine vocis quorundam menſium Ebr. non magni videtur eſſe momenti. Ut enim omnino etymologia eſt et habetur lubrica et fallax veri falſique inveniendi via, et raro inde boni aliquid ſucci poteſt exprimi: ita rationem tempusque menſium Ebraeorum inde definire, plane alienum arbitramur. Cum enim nomina menſium, quod inter omnes conſtat, ſint originis Chaldaicae, improbabile non eſt, Chaldaeorum menſes ab initio paulo aliud habuiſſe primordium, quod fortaſſe etymologiae reſponderet, quam Ebraeorum menſes. Ut enim apud alios populos alia fuit temporis deſcriptio: ita etiam in eodem populo, alio tempore alia anni menſiumque ratio fuit. Ceterum, cum ipſe Cl. A. huic argumento non multum tribuere videatur, plura de eo dicere ſupervacaneum eſt. Hoc unum addere liceat, originem vocis, quam Cl. A. menſi *Adar* tribuit, repugnare auctoritati Ioſephi, qui tradit, in menſe Niſan Solem moveri in Ariete. Quodſi igitur Sol in Niſane ſub illo ſigno currit, quomodo quaeſo nomen Adar ab Ariete dictum eſſe potuit? Accedimus nunc ad commentationem huius partis tertiam, quae exponit



Digitized by Google

*De Syria Sobaea, quam Davides ſub iugum miſit, Neſibi, ac circumiecto tractu.* Regnum Syriae Sobaeae inprimis Davidis temporibus fuiſſe potentiſſimum, intelligitur ex graviſſimis bellis, quae aliquamdiu cum Davide geſſerunt Sobaei, atque e magnitudine cladis, quam ſunt perpeſſi. Hinc intelligi Cl. A. putat, quam vana ſit opinio Graecorum, et recentiorum quorundam, de Aſſyriorum illa tempeſtate imperii amplitudine. Quodſi enim tum potentia Aſſyriorum tanta fuerit, quanta vulgo putetur, aequo animo laturos fuiſſe non videri, ut Davides, quocum tamen numquam bellum gesſiſſe dicantur, finitimos aut ipſorum cives et ſocios debellaret. Etſi autem Pſ. LXXXIII, 9. Aſſyrius hoſtibus ſe adiunxiſſe feratur, factusque eſſe brachium filiorum Loti, h. e. auxiliarius Ammonitarum et Moabitarum: cum tamen neque in libris Sam. neque Paral. mentio ulla fiat belli Aſſyriorum cum Davide, vero ſimile eſſe, illorum conatum ultra hoſtilem animum, conſilia, foedera, aut certe auxilia miſſa, non aſſurgere. Si maxime olim Semiramim ſub ſua habuiſſe poteſtate concedatur Aſiam; certe tamen ab vero non abhorrere, poſtea Aſſyriorum opes aliquo caſu fractas, et intra arctos fines trans Tigrim coactas eſſe. Quibus ex anguſtiis, Hiskiae demum temporibus fere, virtutem fortunamque Aſſyriorum erupiſſe, Arbelis expugnatis, ſubactaque Meſopotamia, Syria, et regione Samaritana.

De ſitu autem Sobae, quam Davides ſub ſuam poteſtatem redegiſſe dicitur, inprimis duae tenendae ſunt ſententiae, Bocharti et Ioſephi. Eorum enim ſententiam, qui vel Antiochiam vel Beroeam intelligunt, cum plane argumentis veri ſpeciem habentibus ſit deſtituta, audiendam eſſe Cl. A. negat. Bochartus vero, Cellarius, et alii, Sobam collocant in regionibus cis Euphratem, non procul loco, quo poſtea condita ſit Palmyra. Primum quod Davides 2 Sam. VIII, 3. dicatur profectus eſſe להשיב ידו, *ut ad Euphratem usque imperii ſui propagaret fines;* deinde quod Adraazarus, Sobae rex,

rex, ad impetum belli Davidici reprimendum auxilia coegerit et arceſſiverit e Syria transeuphratenſi, h. e. ex Meſopotamia proxima, 2 Sam. X, 16; tum quod praeter Davidem etiam Saulus et Salomo leguntur bello adorti eſſe Sobaeos, 1 Sam. XIV, 47. 2 Chron. VIII, 3. Damaſcenis, qui fuerint cis Euphratem, ſuccurrentibus 2 Sam. VIII, 5. Hinc Razon e Soba fugerit Damaſcum. Denique quod Thadmara, h. e. Palmyra, et aliae urbes, quas in deſerto aedificaſſe tradatur Salomo, 1 Reg. IX, 17. 18. dicantur ſitae fuiſſe in Hamath Soba, 2 Par. VIII, 3. 4. His addit Cellarius, Davidem nusquam dici Euphratem tranſiiſſe. Atque ſane hoc argumentum haud leve eſſe nobis videtur. Cum enim ſaepe Davides Iordanem traieciſſe commemoretur; profecto ſi unquam Euphratem, fluvium longe maioris momenti, ſuperaſſet, id non tacuiſſe videntur Scriptores ſacri. Nec contemnendum argumentum pro ſitu Sobae ciseuphratenſi, colligi poteſt ex loco 1 Sam. XIV, 47. ubi rex Sobae una cum Philiſtinis aliisque cis Euphratem populis commemoratur. Nec vero Sauli potentia tanta eo tempore fuiſſe videtur, ut, pacatis omnibus cis Euphratem, arma tulerit ultra fluvium.

Altera eſt Ioſephi ſententia, qui Arch. VII, 5, 1. Adrazerum, quem Scriptores ſacri Sobae regem faciunt, tradit, *Sophenem* tenuiſſe. Hinc Cl. A. colligit, Ioſephum collocaſſe Sobam in Armenia ſeptentrionali; quoniam, Ptolemaeo aliisque Geographis auctoribus, Sophene trans Euphratem ſitam fuerit.

Cl. A. quamquam in eo cum Ioſepho convenit, ut trans Euphratem ſitam putet Sobam: negat tamen Sophenem et Sobam eandem eſſe. Cum enim Sophene ſita fuerit in ultima Armenia, ultra illud altiſſimum montium Armeniae iugum, ex quo Euphrates, Tigris, et Araxes oriatur, adeoque ultra gradum quadrageſimum latitudinis, Sobam eſſe non poſſe, quippe quae pars fuerit Aramaeae ſeu Syriae. Praeterea Sophenem tam longe a Davidis regno remotam

 eſſe,

eſſe, ut bellum de imperio Euphratis oriri potuiſſe vix videatur. Denique, cum neque Adrazerus in ſacris litteris unquam vocetur rex Armeniae, quod nomen alias ſacris ſcriptoribus admodum ſit frequens; neque in hiſtoria Armeniae ullus occurrat rex, qui vel nomen Adrazeri habeat, vel bellum cum Davide geſſerit: dubium non eſſe quin Ioſephus, rerum geographicarum ignarus, ſimilitudine vocis, aut alia cauſa deceptus, a vero aberraverit. Verum enim vero, non magis probari poſſe ſententiam eorum, qui inter Palaeſtinam et Euphratem mediam putent Sobam, quippe quae potius ſit quaerenda trans Euphratem in finibus Meſopotamiae. Primum quod bellum de tranſitu Euphratis occupando, muniendoque caſtellis praeſidiisque, vix oriri potuiſſe videatur in populis eandem fluminis oram incolentibus; deinde quod in ditione Hadadezeri Sobaeorum regis, reliqui Meſopotamiae reges fuiſſe dicantur, 2 Sam. X, 16. 19; tum, quod cum praeter Palmyrenas ſolitudines cis Euphratem in vicinia Palaeſtinae, nihil Sobaeorum regi, longe opulentiſſimo, quod teneret, eſſet relictum; illas ſteriles et incultas arenas ad tantum populum alendum ſuffeciſſe non videri. Etſi vero poſtea Zenobiae temporibus opes Palmyrenorum permagnae fuerint: illas tamen non tam terrae fertilitate creviſſe, quam permutandis Indiae Europaeque mercibus. Nec ex loco 2 Par. VIII, 3. 4. ubi Salomo in Hamatha Sobaeae Palmyram condidiſſe dicatur, effici, ut Palmyra in Sobaea fuerit ſita. Cum enim ante bellum Davidicum reges Hamathae ac Sobae gravia inter ſe geſſerint bella, facile intelligi, Hamatham Sobaeae non eſſe ipſam Sobaeam, ſed partem regni Hamathenſis, a Sobaeis ſub ſuam poteſtatem redactam. Denique eſſe certiſſimum, Sobam eſſe illam mediae fere Meſopotamiae urbem celeberrimam, quae Syris appelletur modo *Neſibin*, modo *Sobar*, modo *Suuba*. h. e. Ebr. צובה. Id etiam ſatis luculenter intelligi ex indice geographico urbium Neſtorianarum, quem Aſſemannus Tomo ultimo Bibl. Orient. p. 667. inſeruerit. Qua de cauſa etiam interpretem

Arabem

Arabem 2 Sam. VIII, 3. 5. 12. Ebr. Sobam reddidiſſe per Neſibin, item in Paralipomenis et Arabem et Syrum luculentiſſime expreſſiſſe Neſibin.

Etſi haec a Cl. A. non ſine ingenii acumine, et ſpecie veri diſputata eſſe, libenter fatemur: gravitate tamen argumentorum, quibus Bochartus aliique viri clariſſimi ſunt uſi, impediti, ad ſententiam eius novam accedere non poſſumus. Nobis vero non neceſſario effici videtur, ut, qui de tranſitu et munitione alicuius fluvii contendant, iidem ripas incolant oppoſitas. Facile enim fingi poteſt, exemplorumque ſimilitudine comprobari, duas gentes eandem oram incolentes, tranſitum, ſeu pylas quasdam occupare poſſe eo conſilio, ut aditus ſibi pateat ad quaedam emporia, unde merces apportentur ſibi tuto. Iam vero Davidem, primum Iudaicorum Principum, operam dediſſe mercaturis, non tantum ex copia divitiarum fit probabile, quas Salomoni reliquit, ſed etiam traditionibus hiſtoricorum, ut Eupolemi apud Euſeb. Praep. Ev. I, 9. et 1 Chron XXIX, 4. Deinde ſi maxime concedamus, reges, qui 2 Sam. X, 16. 19. commemorantur, fuiſſe in Meſopotamia et Adrazero paruiſſe: non tamen hinc ſatis certo colligi poteſt, Sobam ipſam in Meſopotamia ſitam fuiſſe. Fieri enim potuit, ut rex Sobae, Euphrate ſuperato, regulos quosdam Meſopotamiae ſub ſuam redigeret poteſtatem, quos nunc e locis transeuphratenſibus ad ſocietatem belli ad ſe convenire iuſſerit. Verum enim vero, nec ſatis certum eſt, verbis ארם אשר מעבר הנהר ſignificari Meſopotamiam. Etiamſi הנהר intelligatur de Euphrate: cum tamen מעבר de utraque ripa accipi poſſit, id quod multis S. S. locis oſtenderemus, niſi temporis locique eſſet habenda ratio, intelligitur, ex uſu loquendi poſſe eſſe vel Syriam ciseuphratenſem, vel transeuphratenſem, quae Meſopotamia Graecis dicitur. At ne hoc quidem ſatis conſtat, per הנהר hic eſſe intelligendum Euphratem, cum et alius amnis eſſe poſſit, quorum plures in Syria ciseuphratenſi

tenſi eſſe dicuntur. Certe Theodotio et interpres Alexandrinus hic nobis materiam dubitandi relinquunt, qui הנהר reddunt per ποταμὸν Χαλαμὰ ſeu Χαλαμὰκ. Fueritne vero hic Abno an Chryſogorus ſeu Pharpar, non iudicaverimus. Denique, cum ipſe Cl. A. negare non poſſit, Bettaeam, Berotham, et alia oppida, quae a Ioſepho et in libris Samuelis Chronicorumque Adrazero Sobaeorum regi tribuantur, cis Euphratem ſita fuiſſe: obſcurum eſſe non poteſt, vel ubi Soba ſita fuerit, ſi illam partem Sobaeae fuiſſe ſtatuas, vel certe quo in loco ſit collocanda illa ארם אשר סעבר הנהר, ſi illa tantum in ſociis et amicis Adrazeri numeraveris. Hinc quoque clarum fieri videtur, quam infirma ſit obiectio Cl. A. regnum Sobaeae, cum longe opulentiſſimum fuerit, non poſſe concludi intra Palmyrenorum ſolitudines. Non enim fines imperii Sobaeorum tam arcte circumſcribendi ſunt, quoniam illa ipſa oppida, quae paulo ante commemorata ſunt, per Syriam opulentiſſimam diſſeminata fuerunt. Itaque Adrazerus et ſuis opibus inſtructus, et ſociorum auxiliis adiutus, bellum Davidicum aliquamdiu ſuſtinuit. Quae Cl. A. de Hamatha Sobae protulit, cum ultra meram coniecturam non aſſurgant, nec ad caetera, quibus vulgaris ſententia nititur, argumenta infringenda, quicquam valeant, hic, ne Lectoris patientia abutamur, merito praetermittimus. Hoc unum addamus, pro Hamatha Sobae 1 Par. XVIII, 3. ordine mutato, legi Sobam Hamathae. De nomine Neſibin etiamſi maxime concedamus, Sobam eandem eſſe, quae poſtea dicta ſit Neſibis: eandem tamen eſſe Neſibin, quae tam celebris olim fuerit, perſuadere nobis non poſſumus. Namque Stephanus de Urbibus tradit, Neſibin ſitam eſſe ἐν τῇ Πηραίᾳ τῇ πρὸς τῷ Τίγριτι ποταμῷ. Haec igitur longius a Palaeſtinae finibus eſt remota, quam ut Davides bellum cum rege Neſibinorum gerere poſſet. Quodſi igitur Soba in libris Syrorum vocatur Neſibis, quod haud dubie de recentioribus valet temporibus, profecto alia, quam transeuphratenſis ad Tigrim ſita, Neſibis debet intelligi. Atque omnino nobis

nomen

nomen Neſibin ab initio apud Ebraeos et Syros appellativum fuiſſe videtur, uſurpatumque eſſe de caſtellis et praeſidiis locorum, in finibus regni, ad ſubitum hoſtium impetum reprimendum, (Graeci dicunt φρύγια ſeu φρουράς). Davides enim 2 Sam. VIII, 6. 14. dicitur in Syria Damaſcena, et per totam Idumaeam bello ſubactam, conſtituiſſe נציבים gr. φρουράς. Hinc factum eſſe videtur, ut plura loca in locis ciseuphratenſibus, proprio quaſi nomine appellarentur Neſibin.

Quae Cl. A. hactenus de Soba ſeu Neſibi diſputavit, in ſequenti Commentatione continuantur, in qua exponit *de Hiſtoria bellorum Davidis cum Rege Neſibeno.* Primum ex loco 2 Sam. VIII, 9. 10. et Par. XVIII, 9. 10. recte videtur Vir doct. colligere, Adadezerum regem Sobae cum rege Hamathae bellum quidem geſſiſſe, ſed quod pars regni Hamathenſis venerit ſub ditionem Sobaeorum, videtur nobis mera coniectura, quae nititur partim opinione de ſitu Sobae trans Euphratem, partim interpretatione illius Hamathae Sobae 2 Par. VIII, 3. de quibus ſupra, quid ſentiremus, diximus. In oppidis, quae Hamathenſibus fuerint erepta, numeranda putat Cl. A. *Berytum* et *Betach.* Hoc oppidum ubi ſitum fuerit, aut quo nomine alias ſit appellatum, pro modeſtia ſua ſe ignorare fatetur. Illud vero exiſtimat, idem fuiſſe, quod recentioribus vocetur *Barut* ſeu *Bairut*, in littore Syriaco maris mediterranei ſitum, et quod 1 Par. XVIII, 8. מכון, et a Ioſepho Μάχων appelletur. Primum enim Syrum interpretem, ſive lectionis alicuius auctoritate commotum, ſive recentioris nominis perſpicuitate perductum, nomen Ebraicum l. c. reddidiſſe per *Berothaeam*. Quamquam vero ſimilius videri, in textu Ebr. fuiſſe ברותי propterea quod οἱ ό illud nomen interpretati ſint ἐκλεκτὰς πόλεις. Deinde Saturnum, quem Beryti conditorem crediderit antiquitas, Ebraeis vocari כיון Amoſ. V, 25-27. Quare, neglecta punctorum Maſorethicorum ratione, no-

 men

men ומכון legendum eſſe וּמִכֵּן h. e. a *Saturnopoli.*

Euphratem cauſam fuiſſe belli Davidici cum Sobaeis, colligit ex verbis בלכתו להציב ידו בנהר פרת, 2 Sam. VIII, 3, et 1 Par. XVIII, 3. Etſi vero ipſe concedit, haec verba eſſe ambigua, nec ſatis certo dici poſſe, vel ad utrum Regem id conſilium ſit referendum, vel qui ſenſus ſit formulae *manum Euphrati iniicere*, aliis, de finibus ad Euphratem usque proferendis, aliis, de caſtellis ad Euphratem muniendis praeſidiisque ibi collocandis, interpretantibus: ſententiam tamen eorum praeferendam ſibi videri ait, qui dicant, Regem Sobae tranſitum Euphratis ſibi firmandum duxiſſe caſtellis muniendis praeſidiisque collocandis, ut ſibi tranſitus tutus eſſet, cum bellum cis Euphratem in Syria gereret, cuius partem iam magnam ſub ſua teneret poteſtate.

At hic Cl. A. aſſentiri non poſſumus. Nam aut abiicienda eſt opinio, qua nobis regnum Sobaeorum transeuphratenſe ſupra obtrudere voluit, aut certe hoc conſilium Davidi tribuendum eſt. Quis enim ſibi perſuadere poteſt, in Sobaeorum Rege tantam ſtultitiam, reique militaris imperitiam fuiſſe, ut nunc demum de tranſitu Euphratis muniendo cogitarit, multo ante Euphrate ſuperato, belloque in Syria citeriori geſto? Sed ex iis, quae ſupra diſputavimus, probabile fieri videtur, Davidem ipſum Euphrati manum inieciſſe. Nec noſtrae ſententiae obſtare putanda ſunt, quae Cl. A. profert, fines agri Iſraelitarum etiam ante Davidis tempora ad Euphratem usque pertinuiſſe. Montem enim Gilead, qui in ditione Iſraelitarum ſemper fuiſſe tradatur, Euphrati propiorem, quam Iordani fuiſſe, nec ultra XX milliaria Germanica ab Euphrate remotum; atque Saulum, victis Hagarenis ſinus Perſici accolis, aliisque Arabiae populis, (1 Par. VI, 9. 10.) ultra Gileatidem, ad Euphratem usque, fines protuliſſe imperii. Nam primum hic locus eſt alienus, et exponit tantum de inferiori Euphrate, cum tamen Davides manum inieciſſe Euphrati videtur alio loco, magis Septen-

Digitized by Google

Septentriones ſpectante. Deinde ſi maxime concedamus, inter Iordanem et Euphratem antea omnia ſub Davidis fuiſſe poteſtate: nec tamen a vero abhorret, quod Davidem ad Euphratem coepiſſe caſtella munire ſtatuamus, quae vel propugnacula finium eſſent, vel mercatoribus tutum praeberent commeandi locum, in primis in illis locis deſertis ac minus cultis.

De numero eorum, qui in primo praelio, quod Davides cum Syris commiſit, ex Hadadeſeri exercitu ceciderint, auctores Paralip. et Samuelis inter ſe ſunt diſcrepantes. Ille enim viginti millia peditum, ſeptem equitum cecidiſſe, et mille currus captos eſſe narrat. Hic vero pro ſeptem millibus numerat non niſi mille et ſeptingentos. Noſter Auctor recte lectionem Chronicorum praefert propterea, quod non modo Ioſephus auctoritatem Chronicorum ſequitur, ſed Alexandrini quoque interpretes in utroque loco cum textu Ebraico Paralipomenorum admodum conſentiunt. Deinde quod multis conſtat exemplis, libris Samuelis nullam codicis Ebraici partem mendoſiorem eſſe. Denique quod ratio 1700. equitum ad 20000 peditum in hoſte, qui inprimis equitatu valuiſſe videtur, minus commoda et veriſimilis exiſtimanda eſt. Caeterum illos רכב, quos Davides ſubnervaſſe dicatur, praeter centum, quos in uſum ſuum reſervarit, non eſſe *currus* ſeu *quadrigas*, exiſtimat Cel. A. ſed, uti Vulgato viſum ſit interpreti, *iugales curruum equos*, ſeu potius ſimpliciter *equos quoscunque*. Hinc etiam τὺς ό ſubinde Ebr. רכב vertiſſe ἵππον. Illos equos autem eſſe enervatos propterea, quod eos ſibi nullius uſus fore cognoverit Davides, cum neque equis tum ſit aratum, neque eorum uſus in bello, ante Salomonis quidem tempora, apud Iſraelitas fuerit. Adde, in regionibus Palaeſtinae montanis equorum uſum vel in arando vel in bello nullum potuiſſe eſſe. Non ita multo poſt Hadadeſerum rebellare coepiſſe, multorum populorum auxiliis adiutum. Praeter enim *Damaſcenorum Regem*, quem Ioſephus *Adadum* nominet, opem tuliſſe Sobaeis



Digitized by Google

quoque videri *Ammonitas*, *Amalecitas*, *Idumaeos*, aliosque. Id quod intelligi ex 2 Sam. VIII, 12. 1 Par. XVIII, 11. ubi hoſtes debellati recenſeantur itemque ex Pſ. LXXXIII. maxime. Non eſſe enim putandum, a Saulo omne Amalecitarum nomen deletum. Horum enim non modo verſu 7. huius Pſalmi fieri mentionem, (adde libros Sam. et Paral. l. c.) ſed in Arabica quoque hiſtoria, diu poſt natum Chriſtum, multa et luculenta eiusdem gentis reperiri veſtigia. Tum nec exiſtimandum eſſe, praeter illud, quo debellatum eſt praelio, alia non accidiſſe; imo quod pluribus praeliis et varia fortuna pugnatum ſit, clarum fieri, primum ex Nicolai Damaſceni apud Ioſephum auctoritate, qui tradit, Adadum, multis praeliis pugnatis (πολλαῖς μάχαις κριθεὶς), ad extremum ſuperatum, fortitudine et opibus, caeteris Damaſci Regibus longe excelluiſſe. Deinde ex Pſ. LX, et XLIV, qui haud dubie de hoc ipſo bello exponant, intelligi ſtatum rerum Iſraeliticarum ante illam Ioabi victoriam fuiſſe miſerrimum, et metus periculique plenum. Fuerintne Idumaei ſocii Adadeſeri, etſi diſerte Hiſtorici ſacri non tradant, niſi ſi quis pro ארם דמשק legendum putet ארם ודמשק, h. e. *Idumaei* ac *Damaſceni*, quam lectionem Syrus expreſſiſſe videatur: eventum tamen ſatis oſtendere, illos ipſos huius belli fuiſſe ſocios, cum in *Valle Salis* ab Iſraelitis ſint devicti 1 Par. XVIII, 12. Igitur etiam 2 Sam. VIII, 13. pro ארם legendum eſſe אדום. Hanc lectionem non tantum ex ſerie orationis colligi, ſed etiam auctoritate libri Chronic. et Pſ. LX. atque conſenſu τῶν ό, Arabis, Syrique comprobari. Hac ipſa lectionis varietate, et geographiae inſcitia factum eſſe, ut de ipſa *Valle Salis*, ubi pugna facta eſſe narratur, diſcrepantes orirentur interpretum ſententiae. Haud dubie autem intelligi debere vallem eam, quae mare mortuum ambiat, ſalis illam officinam naturalem, quae toti Palaeſtinae ſufficiat, propterea quod urbs quoque, quae in illo ſita ſit tractu, dicatur עיר המלח Ioſ XV, 62. Cui vero illa de Idumaeis victoria reportata ſit tribuenda, oriri aliquam difficultatem,

tatem, quia liber Samuelis eam adſcribat Davidi, Ioabo Pſalmi LX. inſcriptio, et Abiſaeo Paralipomenorum auctor. Quod ſi vero maxime honos victoriae recte Davidi tribui poſſit, cum res ſub eius auſpiciis ſit geſta: relinqui tamen dubium, cuius ſub ductu victoria ſit parta, Abiſaei, an Ioabi. Si quis religioni ſibi duxerit dicere, alterutram lectionem eſſe corruptam, aut inſcriptionem Pſalmi a recentiori manu eſſe adiectam, in qua perperam nomen Ioabi tanquam clarius poſitum ſit pro Abiſaei: dici poſſe, ductu quidem Ioabi pugnatum eſſe, ſed Abiſaeo, quod eius virtute maxime ſit parta victoria, ab auctore Paral. eam tribui. Veruntamen cum haec iuſto artificior videri poſſit interpretatio; praeferendam eſſe eorum ſententiam, qui contendunt, ab auctore titulorum, quibus Pſalmi inſcribuntur, in Ducis nomine erratum eſſe. Nam certam fidem inſcriptionibus Pſalmorum ubique non eſſe habendam. Quare haud temere in verſione Syriaca, et Arabica Maronitica titulum Pſalmi omitti.

Hactenus de *primo bello Neſibeno;* cuius exitus fuit, ut, praeter ingentia ſpolia, Damaſcene, Idumaea, urbesque Berytus et Betacha ſub ditionem redigerentur Davidis. Pleraque omnia hic ſatis ſpecioſe diſputata videntur, praeter hoc unum, quod in ſociis Hadadeſeri etiam numerantur Ammonitae, Amalecitae et Idumaei. Etenim locus 2 Sam. VIII, 12. alienus eſſe videtur, cum et Philiſtaei ibidem commemorentur, quos tamen huius belli participes fuiſſe, ipſe Cel. A. negat. Igitur cum in hoc loco non niſi fiat enumeratio ſpoliorum, ab hoſtibus reportatorum: improbabile haud eſt, Amalecitas et Ammonitas, aeque ac Philiſtaeos, ante hoc primum bellum Neſibenum victos, nunc armis abſtinuiſſe. Certe Ammonitarum Rex in hoc ipſo bello vel ſocietatem cum Davide coluiſſe, vel ſaltem quieviſſe videtur, propterea quod ipſe Davides inſignem Regis illius erga ſe benignitatem praedicat Sam. X, 2. עשה עמדי חסד, ait; quae verba, ſi hoſtis Davidis ille extiterit in hoc bello longe gra-

 viſſimo,

viſſimo, vix ullum commodum poſſunt habere ſenſum. Nec locum Pſalmi LXXXIII. ad ſocios huius belli oſtendendos quicquam valere arbitramur, cum, quod Cel. A. alibi ipſe non negat, ad bellum alterum Neſibenum, quod vocat, commode poſſit referri. Etſi vero Davides, cum exercitum victorem e Syria reduceret, Idumaeos aggreſſus proſtraviſſe legitur: e ratione tamen, qua antiquiſſimis temporibus bella adminiſtrabantur, alienum a vero non eſt ſtatuere, Idumaeos, ſine ſocietate et coniunctione cum Sobaeis, hoſtes Davidis fuiſſe. Etenim ea calliditas illis temporibus gentium non ſemper fuit, ut communi conſpiratione et coniunctione hoſtem aggrederentur communem. Id quod, niſi temporis ratio nobis eſſet habenda, non uno ex antiquitate petito exemplo illuſtraremus. Tranſeamus igitur potius ad alterum, quod Cel. A. deſcripſit bellum Neſibenum. Hic primum ex Pſ. 83, 3-9. enumerat huius belli ſocios; in quibus praeter *Idumaeos*, *Iſmaelitas*que, in quorum vicinia ſit pugnatum, numerat quoque *Moabitas*, *Hagarenos*, oram maritimam Sinus Perſici incolentes, *Gebalenos*, (quos coniicit, Byblios Phoenices fuiſſe, propterea quod ex Arabum Geographis et verſione τῶν ό Ezech. XXVIII, 9. conſtet, Byblum Phoenices olim a loci natura dictam eſſe גבל, h. e. tractum montanum) *Ammonitas*, *Amalecitas* incolas Arabiae e gente Cananitica oriundos, *Philiſtaeos*, *Tyrios*, (apud quos tum quidem non Hiramus amicus Davidis et Salomonis regnaverit, ſed aut Abibalus pater aut avus) *Aſſyrios*. Verum ipſe non multum huic ſociorum catalogo tribuere videtur, cum in ſequentibus non niſi quatuor commemorat ſocios, quorum auxilio uſi ſint Ammonitae: a. ארם בית רחוב i. e. *Aramaeam Rechobenſis tractus*. בית enim inprimis apud Geographos Syros ſignificare *ditionem* ſeu *regionem*. Hanc vero *Rechobam* non cum Bocharto collocat in Phoenices finibus prope Palaeſtinam, propterea quod Syria, inter Orontem fluvium et mare mediterraneum ſita, nunquam ab Ebraeis appellata ſit ארם: nec ad Euphratem ſitam putat; ſed

Digitized by Google

ſed eſſe *Adiabenem* ad Zabam ſeu Lycum fluvium ſitam in finibus Aſſyriorum. Adiabenes enim nomen eſſe recentius, ortum ex Syrorum ܚܕܝܒ h. e. *lupus celer*, quoniam illius fluvii celeritas ſit maxima. Hos igitur ipſos eſſe Aſſyrios, qui Pſ. 83. dicantur auxilium tuliſſe filiis Loti. b. *Hadadeſerum* Regem Neſibenum 1 Par XIX, 6. ubi in verſione Alexandrina haud dubie culpa librariorum pro Σωβὰ irrepſerit Σωβὰλ. c. *Regem Maachae.* Maacham vero, quae a Chaldaeis ſemper reddatur *Epicaerus*, ob loci naturam non differre ab Arabum *Schaubaca*. d. *Viros Tob.* Sed fatetur ſe ignorare, quinam illi fuerint, aut ubi ſedes habuerint, niſi quis huc trahere malit, quod vulgo dicant, *terram Tob* Iud. XI, 3. ita commemorari, ut in Arabia ſita et Gileatidi finitima fuiſſe videatur. Niſi vero ratio orthographica obſtet, ſe plane aſſentiri Simoni, qui exiſtimet, eandem eſſe, quae 1 Macc. V, 13. et 2 Macc. XII, 17. occurrat, et a Ptolemaeo dicatur *Thauba*.

His igitur XXXIII. millibus auxiliorum a Ioabo, et Moabitis ab Abiſaeo fuſis fugatisque, Hadadeſerum, reliquae Meſopotamiae opibus adiutum, rebellandi conſilium cepiſſe, ſed a Davide magno praelio eſſe devictum, in quo auctor Sam. tradat, cecidiſſe XL. millia *equitum*, praeter ſeptingentos currus, ſed auctor Paral. numeret ſeptem millia curruum et XL millia *peditum*. Lectionum vero Paral. haud dubie eſſe praeferendam propterea, quod non modo conſentiat Ioſepho, ſed lectio libri Samuelis etiam rei naturae repugnet. Namque cum idem Ioſephus tradat, in exercitu Syrorum non niſi dena fuiſſe equitum millia: credibile non eſſe, ab Iſraelitarum pedeſtri exercitu tantam equitum ſtragem editam eſſe. At ſibi videri utrumque librorum ſacrorum locum eſſe corruptum et legendum eſſe *quadraginta millia equitum peditumque.* Cum enim hoſtes inprimis equitatu valuerint: vix eſſe credibile, ab Auctore Paral. equites in caeſis omitti. De diverſo numero τῶν רכב, qui in utroque Hiſtorico ſacro

eſt,

eſt, qui vel *currus*, vel *equi*, vel *equites* eſſe poſſint utramque lectionem ita inter ſe conciliari poſſe, ut dicatur, in Paralipomenis רכב ſimpliciter eſſe *equos*, ſed in libro Sam. ex Arabum uſu intelligi *equorum decadas*. Septingentas enim equorum decadas admodum efficere ſeptem equorum millia. Nec tamen improbabilem Ioſephi eſſe interpretationem, qui *equites* intellexerit. Hactenus. Progrediamur nunc

*ad Commentationem XIV. de Chronologia Moſis ante Diluvium*. Ab initio ſtatim obiter perſtringit ridiculum errorem eorum, qui, ut Patriarcharum longam vitam ad noſtrum vivendi modum accommodarent, auſi ſunt comminiſci annos lunares, ſeu menſes. Cum Chronologia antediluviana multum habet difficultatis propter diverſitatem numerorum, quos librorum divinorum exempla Ebraica, Samaritana et Graeca ſequuntur, viris doctis aliis textum Ebraicum, aliis alium praeferentibus: noſter Cel. Auctor quidem non negat, in textum Ebr. interdum vel incuria vel inſcitia librariorum errores eſſe inductos, ſed tamen in univerſum illum caeteris praeferendum eſſe iudicat, propterea quod 1) nunquam ſine teſte incedat, ſed vel Graeco vel Samaritano conveniat: 2) quod lectiones Graecae ac Samaritanae, cum e ſyſtemate ineptarum hypotheſium ortae eſſe videantur, merito debeant ſuſpectae videri. Ut enim Graeci interpretes neminem Patriarcharum ſumant ſobolem procreare potuiſſe ante centeſimum et quinquageſimum aetatis annum: ita Samaritanus videatur ſtatuiſſe, neminem poſt centeſimum quinquageſimum annum patrem fieri potuiſſe. Utriusque errorem, (ſi illis fuerit) recte refutavit Cel. A. 3) quod Graecus Pentateuchi interpres, alias laude boni interpretis digniſſimus, ad Aegyptiorum hiſtoriam Moſem accommodet et corrigat; 4) quod praeter verſiones Chaldaicam, Hieroſolymitanam, Pſeudoionathanis et Arabicas, etiam *Onkeloſus*, *Syrus*, *Symmachus*, atque *Hieronymus*, cum textu Ebraico conſentiant, atque ipſi *codices Samaritani* ſeculi quarti mirifice

Digitized by Google

mirifice comprobent numeros Ebraicos, teſte Hieronymo in Quaeſt. ad Gen. V, 25; 5) quod *Ioſephus*, ubi non a librariis ſit corruptus, et ad chronologiam LXX. interpretum reformatus, proxime cum rationibus conveniat Ebraicis. Hunc enim Arch. VIII, 3, 1. cum narret, templum Salomonis aedificari coeptum 3102. ab orbe condito, et anno 1440 poſt diluvium, luculenter diluvium ipſum ponere in anno mundi 1662. quae ratio non multum ab ſit ab Ebraica; 6) quod *verſio Aethiopica*, cum alias Graecos κατὰ πόδα ſequatur, diverſam tamen a Graeca chronologiam habeat; 7) quod ratio conſilii appareat, quare ab Ebr. textu ſit receſſum; veluti Samaritanus de 800 annis, quos poſt filium natum vixit Iaredus, demit quinque, ne ex chronologia Samaritana vitam ultra diluvium protracturus eſſet Iaredus. Deinde diſſenſum Graecorum in annis Methuſalae, non caſus eſſe, ſed conſilii et correctoris. Quodſi enim Methuſala 802. annos, uti Graeci habent, poſt Lamechum natum vixerit, ſequi, ut ille *quatuordecim* aut *viginti* annos ultra diluvium vixerit. Sin vero numeros Ebraeos ſequaris, eius diem ſupremum in ipſum diluvii annum incidere. Igitur Graecum interpretem videri numeros mutaſſe, ut vel chronologiam Moſis refingeret ad ſomnia Aegyptiorum, vel, qui et Ioſephi fuerit error, totum humanum genus inundatione aquarum deletum eſſe negaret. Certe textum Graecum hic eſſe corruptum, intelligi primum ex verſione Aethiopica, quae cum ex Graecis ſit facta, tamen plane hic cum Ebraicis conſentiat numeris. Deinde quod textus Samaritanus, qui nunc quidem cum Graecis in ſexagenario numero conſentiat, Hieronymi aetate admodum cum textu Ebraico, qualis nunc ſit, convenerit. Nec tamen eſſe exiſtimandum, omnes hic varietates conſilio eſſe factas, ſed nonnullas etiam librariorum culpa et incuria irrepſiſſe; velut in codicibus Samaritanis, in aetate Iaredi omiſſum eſſe numerum centenarium, lapſu librariorum, propterea quod ipſa hic inter ſe Ebraica exempla diſcrepent.



Digitized by Google

Quaecunque a Cel. A. de Chronologia antediluviana ſunt diſputata, ita nobis probantur, ut nefas certe eſſe exiſtimemus, quicquam ab eo hic diſſentire. Tranſeamus igitur ad

*Commentationem XV. de Chronologia Moſis a Diluvio ad Abrahamum*, in qua primum de *Cainane* exponit, quem in textu Ebraico non commemoratum Graeca verſio addit; deinde de *numeris annorum* ipſis. Ad ſtabiliendam de Cainane lectionem Graecam, non quidem aliquid valere exiſtimandae ſunt verſiones quaedam antiquae, ut latina vetus ante Hieronymum, Coptica, et Aethiopica, cum eas ex Graeco Pentateucho expreſſas eſſe ſatis conſtet. Verum ſunt alii teſtes longe graviores, qui auctoritatem Graecae verſionis hic comprobare videantur. Primum Lucas III, 35. 36. ubi omnibus in codicibus, praeter unum Cantabrigienſem, nomen reperitur Cainanis. Deinde omnia chronica, quibus in ſcribenda hiſtoria uſus eſt Moſes Chorenenſis, habuerunt id nomen. Verum pro Ebraico textu, ac contra τὰς ό, pugnant omnes verſiones antiquae, quae quidem non ex ſolis factae ſunt Graecis Bibliis: ut *textus Samaritanus*, *Vulgata Hieronymi*, *verſio Samaritana*, *tres Chaldaicae*, *duae Arabicae*, *Syriaca*, *Perſica*, *Armenica*, ipſa *Aethiopica*, e Graecis Bibliis facta; praeter verſiones etiam *Philo*, *Ioſephus*, et *Beroſus*. Philo enim, qui de *Poſteritate Caini* T. 1. pag. 259. ed. Mangei, non numerat Cainanem, vel textum Ebraicum hic praetulit Graeco, vel varietas lectionis eo tempore in Graecis libris fuit. Atque Ioſephus, cum Arch. I, 6, 5. decimum a Noa faciat Abrahamum, manifeſte excluſit Cainanem. De Beroſo autem apud Ioſephum Arch. I, 7, 2, rem dubiam eſſe fatetur Cel. A. cum ſatis certo dici non poſſit, Semum in his, qui poſt diluvium vixerunt, numeraveritne Beroſus, an omiſerit. Nec adeo magni hic aeſtimandam eſſe Graecae verſionis pugnam adverſus textum Ebraicum. Interpretem enim, quae de Cainane habeat, non videri ex Ebr. exemplo vertiſſe. Primum quod iidem numeri in annis Salechi occurrant,

qui

Digitized by Google

qui in Cainanis patris. Deinde, quod in Cap. X, 22. manifeſta appareat interpolatoris manus, qui nimis diligens abſurde Cainanem adiecerit. Cum enim ſoli hic memorentur Semi filii, quos inter medios nullus Cainani locus eſſe poſſet, codices tamen aliquos poſt Ἀῤῥὰμ addere καὶ Καϊνᾶν, fratrem patris Cainanem facientes. Quamquam aliquis dicat, Moſem, cum ſtemma Abrahami in duas decades diſtribuere voluerit, de induſtria omiſiſſe Cainanem, ut Matthaeum nonnullos reges in genealogia Chriſti: id tamen a Moſe, chronologiam genealogiis intexente, plane alienum iudicandum eſſe. Verum nomen Cainanis in verſionem Graecam irrepſiſſe videri ex eo, quod ſive interpres, ſive Scholiaſtes aliquis, Salechum cognominaverit Cainanem, nomine apud exteros celebri, et Chaldaeis pro Deo culto. Forte id ortum eſſe ex eo, quod Salechi primi ſimulacrum ſit cultum, ab Arabico *Kan,* h. e. *ferrum cudere;* hinc קינן h. e. *ſimulacrum ex metallo cuſum.* Nec probandam eſſe *Iakſonii,* graecae verſionis et Cainanis defenſoris acerrimi opinionem, qui putet, a librariis Iudaeis nomen Cainanis omiſſum, odio ac deteſtatione Canaanis, a Noacho maledicti. Nam primum nomina קינן et כנען multum inter ſe differre; deinde quod antediluvianum Cainanem odio non omiſerint; denique quod et Samaritani nomen Cainanis non habeant, quod ſane odio ac deteſtatione omittere non potuerint. De numeris annorum, quos quisque ante et poſt ſobolem ſuſceptam vivendo explevit, novus oritur diſſenſus. Alios enim numeros habet Pentateuchus Ebraicus, Samaritanus alios; nec graeci codices inter ſe conveniunt. Nam aliter numerat annos codex Vaticanus, aliter Alexandrinus, editionesque, quae alterutrum ſequuntur. Graecam vero lectionem, cum nec teſtibus aliis comprobetur, nec ipſorum codd. Graecorum conſenſu ſtabiliatur, plane reiiciendam damnandamque eſſe A. Cel. exiſtimat. Samaritanae chronologiae cauſam quidem eſſe meliorem, quippe quae duos habeat teſtes, alterum Anonymum, gente Syrum, alterum Stephanum, Actor. VII, 4.



Digitized by Google

veruntamen Ebraicam, et numero, et auctoritate teſtium multum praeſtare. Hanc enim conſenſu antiquarum verſionum, ut Chaldaicae, Arabicae, Syriacae, et Vulgatae comprobari; nec Ioſephum hic diſſentire ab Ebraica ratione.

*TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBRI, qui ſuperſunt, omnes, ex recenſione Arn. Drakenborchii, cum indice rerum locupletiſſimo. Acceſſit, praeter varietatem lectionis Gronovianae et Creverianae, Gloſſarium Livianum, curante A. N. ERNESTI. Tomi III.* 8vo. mai.

Lipſiae, apud Reichium.

Si quis unquam Látinus auctor expertus eſt multas curas virorum doctiſſimorum, et medicas manus, is certe Livius fuit, rerum Romanarum ſcriptor unus omnium optimus atque diligentiſſimus, ſed idem etiam digniſſimus, in quem, quidquid unquam ſcientiae grammaticae atque hiſtoricae pro ſe quisque eruditorum collegiſſet, omni ſtudio atque induſtria conferre conaretur. Nam, ut nunc nihil dicamus de immortalium eius *Hiſtoriarum* pretio paene inaeſtimabili; nihil de fide in narrando maxima, quam in dubium vocavere adhuc pauciſſimi, labefactavit nemo; nihil denique de delectu rerum, et iudicio de perſonis et factis acerrimo et rectiſſimo, ſola illa, quam in opere hoc ſuo abunde demonſtravit, eloquentia, et latine ſcribendi facultas, delectus et compoſitio verborum, genus ſcribendi univerſum, et omnino lactea illa ubertas, quae propria ei eſt prae ceteris omnibus, videntur ei merito *Parentis linguae et hiſtoriae Romanae* titulum peperiſſe, quo a nonnullis inſignitus eſt. Neque nos hoc in iudicio conturbet Martialis ille, cui eſt

*CRISPUS Romana primus in hiſtoria.* (L. XIV. Ep. 191.)

non Titus Livius. Praeterquam enim quod poetarum iudicia ad vivum non ſemper reſecanda ſunt, et, inſtituta diligenti inter *C. Criſpum Salluſtium*, ac Titum Livium, comparatione,

Digitized by Google

ratione, facile erroris convinci Martialis poſſet. Ne opus quidem eſt tali perfugio ad vindicandum Livio principatum Romanae hiſtoriae, ſed verba tantum poetae recte intelligenda, qui videtur per *primum*, non principem innuere, ſed eum potius, qui *tempore* primus bonorum inter Romanos Hiſtoricorum fuerit. Et conſtat, ante Salluſtium vix ullum probabilem rerum Romanarum ſcriptorem, Fabios quidem, Siſennas, Quadrigarios, Catones, ſat multos extitiſſe; ipſum autem Salluſtium, Livio, triginta ad minimum annis antiquiorem fuiſſe. Immo ipſi Martiali paullo ante Ep. 190. eſt.

Livius *ingens*,
*Quem mea non totum bibliotheca capit.*

Hunc igitur ſcriptorem, quamquam, ut diximus, multi viri doctiſſimi, partim data opera, partim obiter, emendare, interpretari, atque illuſtrare paſſim conati ſunt, prae ceteris tamen tres eminent, qui in eo labore felicius reliquis verſati videntur fuiſſe, *Ioh. Frid. Gronovius*, *Crevierius*, et *Arn. Drakenborchius*. Quorum ſingula in Livium merita enarrare cum nec neceſſe, nec huius loci ſit, ſufficiat hoc dixiſſe, quod etiam ante nos alii dixerunt, Crevierii et Drakenborchii laudem magis a critica textus Liviani emendatione, quam ab interpretatione grammatica et philologica, Gronovii contra ab utraque veniſſe. Sed nondum tamen omnia, quae ad illuſtrandum Livium pertinent, exhauſta ab illis triumviris fuiſſe, apparuit editione eius nova, cuius curam Reichius noſter, bibliopola, vir honeſtiſſimus, nec ullis ſumtibus parcens, qui ad incrementa et honorem bonarum litterarum impenduntur cl. *Erneſtio*, Eloquentiae Prof. Extraord. mandavit, et quam cum maxime in manibus habemus In qua quid praeſtitum a viro doctiſſimo ſit, iam breviter, pro iſtituti ratione, indicandum putamus, ut appareat lectoribus, quam dignum ſe ille vir demonſtraverit affinitate ac diſciplina Patrui, *Io. Aug. Erneſti*, videantque omnes, nemini rectius, quam huic, univerſum Livianae editionis adornandae negotium a librario concreditum fuiſſe.



Digitized by Google

Ac primum quidem textum Livianum repetendum curavit potiſſimum ex editione Drakenborchiana, non tam quod haec noviſſima eſſet, et ſplendidiſſima omnium, quam quod habet multas lectiones novas et bonas, a viro doctisſimo magna induſtria collectas. Ne autem ſic aliquid ad perfectionem textus Liviani videretur deeſſe, lectoresque detrimenti quid caperent, adiunxit varietatem lectionis a Gronovio et Crevierio collectam, eamque per totum opus ſubiecit textui auctoris, in Epitomis, quia ibi non adeo neceſſaria videbatur, ad calcem reiecit. Poſt hanc ſequitur enumeratio editionum Livii praecipuarum, inde a prima, apud Schweynheimium et Pannarzium, Romae, 1470, (ut putant; eſt enim incertus annus,) cura Io. An. Epiſcopi Alerienſis, evulgata; quem Syllabum editor cl. usque ad a. 1752. continuavit. Tum ſubiectus eſt *Index rerum hiſtoricus* in Livium, qui petitus pariter eſt ex editione Drakenborchiana, reſectis tantum his, quae ad Supplementa Livii Freinshemiana pertinebant, quae in hac editione omiſſa ſunt.

Hactenus nihil praecipui; hactenus fortaſſe quilibet alius editor, qui quidem ſatis diligentiae et aſſiduitatis, in colligendo, ſcribendo, et notando habuiſſet. Sed ea laus non ſufficere videbatur viro doctiſſimo, ad tuendum boni editoris nomen, niſi aliquid de ſuo addidiſſet, quo ſuperiores editiones omnes caruerant. Id vero eſt GLOSSARIVM LIVIANVM, in fine totius operis additum, quale iam ſaepe ab eruditis optatum, a Maittairio quoque et Crevierio promiſſum, a neutro autem perfectum, certe non editum fuerat. Non vero eſt quod hac de iactura reipublicae litterariae valde ſimus ſolliciti; quam cl. *Erneſti* ita reſarſit, ut iam pro nulla profecto habenda ſit. Et quoniam hoc Gloſſarium maxima atque optima pars eſt operae, Tito Livio ab ipſo praeſtitae, age, iam paullo accuratius de eo videamus, idque ſic, ut *primum* in univerſum, quale eiusmodi Gloſſarium Livianum, noſtra quidem ſententia, eſſe oporteat, dicamus; deinde vero, quomodo illi noſtrae ſpei ſatisfecerit cl. *Erneſti*, ea occaſione indicemus.

Ac

Ac primum quidem univerſa illa ratio, Scriptores veteres per *Indices*, *Claves*, et *Gloſſaria*, unicuique proprie deſtinata, explicandi, quin utiliſſima et compendioſiſſima ſit, alterique illi, quae idem per notas, ſingulis locis ſubiectas, conatur, longe praeferenda, rem ipſam accurate conſiderantibus dubium eſſe non poteſt, etiam exemplis Geſneri et S. V. Erneſti, dudum demonſtratum. Nam praeterquam quod haec ſaepenumero unam eandemque rem cogit bis, ter, ac ſaepius, diverſis locis monere, qua moleſtia in illa ratione ſuperſederi poteſt: illa etiam hoc habet praecipui commodi, ut uno quaſi obtutu totum auctorem veluti perſpicere poſſint, qui ſibi plenam quandam de eius caractere, genere dicendi, forma orationis, et maxime his, quae a communi ratione diverſa, ac ſibi propria habet, (*idiotismos* vulgo appellant,) notionem animo fingere cupiunt. Nam bis vel ter perluſtrato eiusmodi Gloſſario, hebes omnino ſit, qui talem formam animo concipere ſibi ipſe non poſſit. Quod vero ſpeciatim ad Livium attinet, is, quamquam eſt ſcriptor aureae aetatis Latinae linguae, tamen profecto multa habet propria, et a communi illius aetatis uſu valde recedentia, quae quis non facile imitetur. Imo prope plura eius generis ſunt, quam quisquam, vel obiter perluſtrato, vel etiam continua lectione, ſed ſemel tantum, cognito Livio, putet. Nam ibi intentus rebus ipſis, et cupidus cognoſcendorum eventuum animus, fortaſſe ad minutias dictionis non attendit; ſed cum hae in unum locum collectae exhibentur, et oculos et animum magis feriunt. Cui quidem rei cognoſcendae nihil aptius fuerit, novo, quod iam indicamus, cl. Erneſtii Gloſſario Liviano, in quo, ut iam caeteras eius virtutes, brevitatem, diligentiam, et ἀκρίβειαν praetermittamus, (quae omnino exſpectandae erant ab tali viro,) maxime admirati ſumus inſignem viri, partim modeſtiam, partim prudentiam. Qui, cum potuiſſet, non adeo magno labore conſcribere, in tantae molis auctorem, obſervationum quotidianarum volumen ſpiſſiſſimum, (qui fere nunc mos eſt ſcriptorum famae cupientium conſulere,) maluit, omiſſis iis, quae Livio cum Cicerone

ac

ac caeteris communia ſunt, brevem libellum componere ex his, quae ille ſolus habet prae reliquis, adeoque Livium potius nobis exhibere ut *Livium*, quam ut *aureae aetatis ſcriptorem.* Unde etiam lubens abſtinuit ab latioribus diſputatiunculis, κρίσει longiori, et explicatione locorum difficiliorum, niſi ubi id vel neceſſitas poſtulabat, vel tota res paucisſimis verbis expediri poterat. Quare grato animo agnoſcimus, etiam ab aliis omnibus agnitum iri ſperamus, indefeſſam eius curam, laborem, atque induſtriam, quam huic rei impendit; atque ut, quid in hoc Gloſſario a lectoribus maxime quaerendum ſit, luculentius appareat, per partes, atque adeo claſſes quasdam, eundum nobis eſſe exiſtimamus.

Omnia, quae Livius habet propria, et ab uſu caeterorum aureae aetatis ſcriptorum ſeiuncta, commode ad tria omnino genera, arbitramur, referri poſſe: quorum unum eſt in verbis ſingulis, alterum in coniunctis, h. e. in conſtructione, tertium denique in tropica dictione, quae apud Livium, ut ſcriptorem eloquentem, profecto frequentisſima eſt. Primum enim utitur ille verbis, vel plane inuſitatis, apud aureae aetatis ſcriptores, vel, ſi uſitata ſint longe aliter quam caeteri iis utitur. Ad claſſem priorem v. c. pertinent e Subſtantivis: *enuptio gentis*, h. e. quum aliqua foemina nubit viro ex alia gente ſeu familia, *paratus*, (*ús*) pro *apparatu*, *poſtulatus*, pro *poſtulatione*, *rebellium*, (neutro genere,) pro *rebellione*, *ſervitudo* pro *ſervitute*, *ſpretio* pro *contemtu*, *redemtura*, pro *redemtione*, *ſuperiacere fidem*, pro *ſuperare*, *evertere fidem* *ſuſpiritus*, pro *ſuſpirio* etc. Ex Adiectivis vero, in quibus inprimis peculiare quid Livius amat, hunc in cenſum veniunt: *Aliquisquam*, pro *aliquis*, *incenſus* pro *non cenſus*, *indicens* pro *non dicens*, ſeu *tacens*, *iuvenalis* pro *iuvenilis*, *paullulus*, pro *paucus* vel *brevis*, *perdifficillimus*, pro *difficillimus*, *permarinus* pro *marinus*, *pernicialis* pro *pernicioſus* etc. Verba denique, Livio propria, haec fere ſunt: *Revincere* pro *convincere*, *veſtigare* pro *inquirere*, *indagare*; atque omnino compoſita a *per*, ut *percurare*, pro *penitus curare*, *perlitare*, pro *litare*, *perlucere* pro *dilucere* *perpacare* pro *pacare*, *perpopulari* pro *populari*, *perportare* pro *portare*, *perſecare* pro *reſecare*,

Digitized by Google

*care*, *perſignare* pro *conſignare*, *perſtare* pro *ſtare* vel *conſtantem eſſe*, *perſultare* pro *diſcurrere*, *praedandi cauſſa*, *pervagari* pro *vagari*, *pervincere* pro *vincere* vel *perſuadere*, *perurere* pro *urere* ſeu *exurere*, ac ſi qua forte alia eiusmodi occurrant. Quae omnia cl. *Erneſti* ſuis locis diligenter et accurate notavit.

Sed longe maior numerus eſt eorum, apud Livium, quae in ſe uſitata illa quidem ſunt, ſed alio ſenſu, quam vulgo ſolent, ab eo uſurpantur. Eius generis ſunt v. c. e nominibus Subſtantivis: *Aetas*, de paucis annis, *agmen*, quod alias ſemper de proficiſcente exercitu dicitur, de militibus pugnantibus, *arma*, pro armatis, et bello ipſo (v. c. L. XLII, c. 8. de quo loco vide elegantem coniecturam cl. *Erneſtii*, ſub v. *arma*) *bellum*, pro loco in quo bellum geritur, (v. hanc vocem in ipſo Gloſſario, quae exemplum eſſe poteſt Gloſſae, diligenter et accurate explicatae,) *inſolentia*, quae vox alias ſemper *ſuperbiam* denotat, pro *novitate*, *laniena*, quae vulgo *caedem* ſignificat, pro *taberna laniorum* (Fleiſchbank,) *res* pro *pugna* et *praelio*, *ſupplicium* pro *precibus ſupplicum*, et alia. In Adiectivis aeque ſingularis eſt Livius. Sic *aliquis* dixit, pro *alius quis*, *alius* contra pro *alter*, aut *reliquus*, *connixus* de uno, pro *nixus*, *interior* (cuſtodia) pro *arctior*, ſeu *diligentior*; *ille*, pro *hic* (de propiori orationis membro.) Maxima vero pars novitatis eſt in eo, quod Adiectiva, quae *ſubiective* ſeu *active* ſignificant, *obiective*, ſeu paſſive uſurpat, ut in his: *ſcelera divina atque humana*, h. e. non quae dii et homines committunt, ſed quae *in deos et homines* perpetrantur; *admiratio humana*, h. e. non de *eo*, *qui* admiratur, ſed de *eo*, *quem ille* admiratur; *inſolitus alicuius rei*, h. e. *inſuetus*; *iniuria muliebris*, non quam mulieres *inferunt*, ſed quae mulieribus *infertur*. Pari modo Verba multa alio ſenſu, quam vulgo uſurpantur, imo interdum contrario, occurrunt, v. c. *adipiſci*, pro aſſequi quem perſequare, *appetere* (loca) pro *occupare*, *adiicere*, item de tempore, pro *accedere*, *appropinquare*, ut: *nox*, *ver appetit*; *deducere* pro *adducere* aut, *in ſuperiorem locum ducere*; *exigere* pro *agere inter ſe*, *colloqui*; *quieſcere* pro *intactum ſini*, *non violari*. In primis varius ac ſingularis eſt Livius in uſu verborum *accipere*, *dare*, *eſſe*, *tenere*, quorum multiplices apud eum ſignificatus non eſt huius

Hhh loci

loci notare; qui collectos uno loco voluerint habere, facile ab doctiſſimo *Erneſto* petent. Denique etiam Particulas orationis proprio quodam modo Livius ſolet adhibere. Huc pertinent: *Adaequē* pro *pariter*, *apparate* pro *ſplendide*, *inexplorato* pro *re nondum explorata*, *prope modo* pro *propemodum*, *dein*, praecedente *primum*, *poſtremo* pro *ſecundo*, *modo* et *nuper*, de longiori tempore, *violenter dicere*, pro ſic dicere, ut res ad violentiam ſpectet. In primis particulas *ad*, *in*, *ex*, *et*, adeo varie adhibet, ut paene certis regulis apud ipſum carere videantur. Ita in verbis *ſingulis*: iam de *coniunctis*, h. e. de conſtructione et ſyntaxi pauca quaedam videamus, unde apparebit, etiam hic Livium ſua quadam via incedere. Sic v. c. dicit: *abſonum fidei* pro *re incredibili*, *habere in animum* pro *habere in animo*, *habere in cuſtodiam* pro *habere in cuſtodia*, *iubere alicui* pro *iubere aliquem*, *nocere noxam* pro *peccare*, *iure iurare*, et *iuſiurandum patrare*, pro *iurare*, *rigare aquam* pro *rigare aqua*, *itaque ergo*, pro ſolo *itaque*, *maxime*, adiuncto alio ſuperlativo, *deinde poſtea*, *poſtea deinceps*, *inde deinceps*, *deinceps inde*, pro horum alterutro etc.

Sequitur ut *tropicae* quoque Livii *rationis* ſpecimina quaedam commemoremus, in qua colligenda et annotanda inprimis diligens cl. *Erneſti* videtur fuiſſe. Neque id iniuria: eſt enim Livius in iis maxime artifex, poteſtque ab hac parte ſtudioſos bene dicendi et ſcribendi inprimis adiuvare. Eo pertinent, quatenus Livio propria ſunt, e plurimis haec: *Accendere ſpem, certamen*; *aſſurgere* (de collibus); *annona laxatur*; *bellum, conſilia coquere*, h. e. clam agitare, parare; *moderatum eſſe odio, idque deinde effundere*; *ſervi coniurationis eiecti*, (vel potius, ut cl. Editor ibi cum Puteano mavult legere *exſecti*); *laborem, certamen exſudare*; *plebem foenore trucidare*, (Germani dicunt: bis aufs Blut ausſaugen;) *alicuius ſpem inflare*; *oculos liberare* ſc. ab alicuius mali memoria, h. e. avertere, ut ne videre posſint; *otio marceſcere*; *mergi ſecundis rebus*; *meram libertatem haurire*, h. e. intemperanter et impotenter ea abuti, (plebs apud nos dicit: mit Löffeln freſſen;) *minui praelio, vulnere*, h. e. animum deſpondere, timidum fieri; *timor, religio animis offunditur*, h. e. obiicitur; *cura animum remordet*; *ſegnis mors*, h. e. lenta; *annus ſollicitus prodigiis*, h. e.

triſtis,

Digitized by Google

triſtis; *leges ſunt ſurda res*, h. e. dura et inexorabilis; *indoles tacet*, h. e. quieſcit, ſeſe non exſerit etc.

Interdum etiam Livius eam prodit, quam gratam negligentiam vocant, v. c. in Genitivis diverſis acervandis, ut: *rerum geſtarum principis terrarum populi; cauſſa expiandae violationis eius templi;* Romanis ſicut *aliarum rerum, arcis Tarentinae, praeſidiique* cura eſſe etc. Sic in Adverbiis cumulandis, v. c. *nunquam alias ante publice privatimque, ſi quando unquam ante alias*, etc. Neque hae minutiae doctisſimi Editoris diligentiam effugerunt, ſed curate ab eo notatae ſunt. Atque cum conſtet, Livii aetate iam inclinare coepiſſe linguam Latinam, nec pauca in argenteae aetatis ſcriptoribus, apud *Tacitum* maxime, reperiri, quorum non obſcura veſtigia ſint apud Livium: etiam huc laborem ſuum direxit, ut, ſi qua talia reperiſſet, in Gloſſario notaret. Sic fecit in vocabulis, *belli turbator*, *bona vendere*, *deridiculum*, *dignatio*, *magis*, et pluribus aliis, quae curioſi lectores ipſi evoluent.

In tanta rerum notabilium multitudine, operisque ipſius vaſtitate, quid mirum eſt, ſi eius oculos, ad videnda talia valde alias exercitatos, quaedam pauca effugerunt? quorum nonnulla, quae nos in transcurſu animadvertimus, et ab noſtra Livii lectione, memineramus, hoc loco, bona viri doctiſſimi cum venia, veluti ſupplementi cauſſa, indicabimus, maxime cum ſciamus, eum ipſum augere ſubinde hoc ſuum Gloſſarium novis acceſſionibus, quae primas eius curas forte elapſae ſint: AB, pro *ex*, aut Genitivo partitivo, L. XLII. c. 60. *Cecidere* ab *Romanis*, h. e. ex *Romanis*, ſeu *Romanorum*. CLARIGATIO, pro denunciatione clara voce facta, L. VIII, c. 14. ALIQVEM CAPTVM NON EXTRA VINCVLA HABERE, h. e. non dimittere e vinculis, ibid. ALIAE GLORIAE, ſecundo caſu, pro *alius gloriae*, L. II, c. 40. PER AEQVA, PER INIQVA, Germ. Es koſte was es immer wolle, L. II. c. 32. *Concordiam* per aequa, per iniqua, *civitati conciliandam eſſe*. PLACAMINA IRAE, pro *placatio*, L. VII. c. 2. et 3. PARRICIDIVM FILII, pro *caedes filii*, L. VIII. c. 11. NEQVE NEGO, NEQVE INFICIAS EO, L. VI. c. 40. SE omiſſum, L. VI. c. 17. *refracturosque car-*

 *cerem*

*terem minabantur*, pro *ſe refracturos*. TEMPLVM, pro *quolibet loco ſolenni*, L. VIII. c. 14. *Roſtraque id* templum *appellatum*.

Ex his omnibus intellectum iri arbitramur, quanto beneficio remp. litterariam ſibi obſtrinxerit cl. *Erneſti*, quod conficiendum hoc Gloſſarium ſuſcepit, et quod tanta cum laude eo labore perfunctus eſt. Itaque commendamus hanc Livii editionem omnibus verae latinitatis et eloquentiae ſtudioſis, multumque eos hac in re adiutum iri confidimus, ſi aliquoties uno tenore Gloſſarium Livianum percurrant, ut formam quandam veram dictionis Livianae animo ſuo imprimant, quae alioqui nonniſi multum legendo relegendoque ipſo auctore imprimitur, cuius rei nec tempus, nec cupiditas omnibus ſuppetit. Atque ea ipſa de cauſſa vellemus, placuiſſet librario, Gloſſarium hoc etiam ſeorſim ab Livio vendere, ut hi quoque eo uti poſſent, qui iam aliis exemplis editionum Livii inſtructi ſunt. Sed quis librariis leges poſuerit? — Quidquid ſit, cl. *Erneſti* maxima laude dignus eſt, noſque eum totius litterati orbis nomine, ut pergat in adiuvandis bonis litteris, ac propediem nobis alium ſcriptorem veterem, ſive Graecum, ſive Latinum, (utrumque enim poteſt,) eodem modo, quo Livium, exhibeat, vehementer etiam atque etiam rogamus.

## *IO. AUGUSTI ERNESTI ARCHAEOLOGIA literaria.*

Lipſiae, impenſis Caſp. Fritſchii, CIƆ IƆCCLXVIII. p. 127. in 8.

Cum a natura homines ita ſint comparati, ut non minus antiquitatis, quam novitatis ſtudio teneantur, et animus multarum rerum capax anguſtos cognitionis terminos indignetur, libenterque eos proferre ſoleat: non profecto mirum videri debet, ſi eorum libri, qui ſe duces ad antiquitatis ſtudium et ampliorem doctrinam profitentur, uno quaſi ore, et conſtanti laude comprobentur. Sed, ut communis antiquitatis amor et ſtudium ad diverſos tamen fines tendit, cum alii doctrinam, alii ſuavitatem, alii oſtentationis vanitatem habeant propoſitam: ita profeſſis harum rerum diſciplinam maxime convenit, hoc

ſtudium dirigere et gubernare, ne ſine conſilio aut vagetur latius, aut in rebus inutilibus et vanis temere et ſine gloria deliteſcat. Plane enim hebetem et obtuſum eſſe in operibus artium antiquis, aut cum artificibus de principatu et praemio contendere, aut cum hominibus mollioribus et vanis in eiusmodi rerum admiratione nimis ſibi placere, aeque eſt indignum et alienum a liberalis hominis et docti ingenio et conſilio. Huic errori diligenter cavit auctor huius libelli. Iuvenum enim ſenſum et amorem elegantiae et pulcritudinis voluit accendere et acuere, fontes elegantioris doctrinae aperuit, omnium monumentorum veterum, praeſertim literatorum, doctrinam breviter complexus eſt, librorum meliorum, qui de his rebus exponunt, notitiam tradidit, et omnem orationem et operam ad utilitatem ſtudioſorum liberalis doctrinae accommodavit. Non artificum, pictorum, caelatorum, architectorum, aliorumque fines, niſi ubi maxime opus fuit, eſt ingreſſus; ſed intra ſuos ſe continuit. Simul iuvenes retinet ne parte antiquitatis literata, difficiliori et quaſi aſperiori relicta, deſertisque doctorum ſcholis, ad faciliorem partem, amoeniora loca, et artificum officinas, allecti oculorum voluptate declinent, et a doctis reprehendantur, ab artificibus irrideantur. Ortus autem hic libellus maxime ex lectione hiſtoriae naturae Plinii quam ante annos quatuor et viginti V. cel. eo conſilio legerat, ut ea praeſertim notaret, quae ad cognoſcenda opera antiqua pertinerent. Poſtea legendis libris aliis eiusdem generis auxit, literarum ſtudioſis aliquoties in ſcholis explicavit, per ruſticationis otium recognovit, tandemque typis exprimendum permiſit. Ita ergo non ſolum negotia magnorum virorum ſolent eſſe clara et illuſtria: ſed nec eorum otium obſcurum aut inutile eſſe poteſt. Appellavit Archaeologiam literariam. Non enim artificibus, ſed literarum ſtudioſis ſcripſit, et praeter ingenioſae pulcritudinis artes, etiam aliarum rerum, ſcripturarum antiquarum, librorum, titulorum, numorum, mentionem fecit, et operum antiquorum reliquias ſpectat, et ad eruditionis copiam, et ad ingenii elegantiam. Iam, cum in omnibus operibus ſpectetur materia et forma, totus hic libellus eſt deſcriptus in partes duas, quarum altera

de antiquorum operum materia, de literis antiquis, de marmoribus, gemmis, metallis, et ſimilibus exponit; altera de operibus ipſis, ut codicibus, titulis, ſtatuis etc. Sed praeſtat utriusque partis capita omnia breviter recenſere. In parte igitur prima, exponit Auctor de ſcriptura antiqua, ſymbolica, et hieroglyphica, inventione literarum, earumque generibus, ſcribendi modis diverſis, in quibus rebus veteres ſcripſerint, quibusque inſtrumentis uſi ſint (Cap. I.): de marmoribus (C. II.) de gemmis et aliis lapidibus nobilioribus (C. III.) de metallis (C. IV.) et de varia materia operum antiquorum. (C. V.) In parte ſecunda de libris ſcriptis (C. I.), de titulis, tabulis legum, decretorum, et ſimilibus, vulgo inſcriptionibus (C. II.) de diplomatibus (C. III.) de re numaria (C. IV.) de toreutice (C. V.) de plaſtice (C. VI.) de pictura (C. VII.) et de architectura (C. VIII.) exponit. Ut autem tractandi ratio melius appareat, et quilibet facilius formam aliquam totius libelli concipere poſſit, partis primae caput ſecundum, de marmoribus, et ſecundae partis caput tertium de diplomatibus, diligentius indicabimus. Marmorum igitur virtutes memorat duritiem et pulcritudinem. (Part. I. C. II. §. 1.) Pulcritudo eſt vel a coloris puritate et ſplendore, ut candidi in Hymettio Pentelico, Pario, aliisque, nigri in Laconico, viridis in Caryſtio etc. vel a maculis: in quibus color, figura, ſitus ſpectatur. Antiquior tamen et latior ſimplicis coloris, quam maculoſi uſus et honos (§. 2.). Ante Homeri tempora nullus marmoris uſus fuit. Antiquiſſimus videtur fuiſſe in columnis, ſtatuis, cruſtis, opere vermiculato ſeu muſivo, et vaſis (§. 3.). Pulcritudinem adiuvat ars marmorariorum bene ſecando et poliendo. Seculo Claudiani acceſſit etiam pictura, quae addidit maculas, et teſſerulas marmoris variis coloribus tinxit, ut aptiores fierent operi muſivo, et ad exprimendos rerum colores. Sub Nerone, per cruſtas inſertas marmori maculas addiderunt (§. 4.). Memoratur etiam marmorum ferruminatio et circumlitio (§. 5.). Genera marmorum diſcernuntur vel natalibus, vel coloribus. Romae gratiſſima fuere graeca, ſed inclaruere etiam alia, Aſiatica et

Afri-

Digitized by Google

Africana (§. 6.). In marmorum generibus enarrandis diligentiſſimus veterum eſt Plinius: quaedam tamen tantum nominavit, diſcernendi notas non tradidit. Omiſit etiam nonnulla, ab aliis memorata, quae Caryophilus adnumerat, qui inprimis conſulendus. Nam Agricola rem modo leviter attigit, et tamen Mercatus aliique eum compilaverunt. Multa genera marmorum plane obſcura, a veteribus raro aut ſemel tantum commemorata (§. 7.). Clariora maxime ſecundum colores enarrat auctor haec: nigri vel ferrei coloris ſunt Aethiopicum, qui et Baſaltes appellatur, Luculleum Aegypti, idem Obſidianum Aethiopiae, Thebaicum Aegypti, Laconicum alterum ſ. Taenarium, Lydium alterum. Candida ſunt Alabandicum, Coraliticum Phrygiae, et Synnadicum ſ. Phrygium, quod tamen purpureis orbiculis diſtinguitur, Parium ſ. Lychnicum etc. De diplomatibus (Part. II. Cap. III.) ita diſſeritur, ut primum quo ſenſu h. l. accipiatur vocabulum diplomatis, explicetur (§. 1.). Tum traditur notitia librorum, qui de hac re expoſuerunt (§. 2.). Quomodo olim ſint tractata diplomata, quam utilis fuerit in hac re opera Leonis Allatii et Herm. Conringii (§. 3.). Ut artis formam haec tractatio induerit per Dan. Papebrochium (§. 4.), cui ſucceſſit Io. Mabillonius (§. 5.), quem Scipio Maffeus non aequavit. Poſt hos duorum Monachorum Benedictinorum opus memoratur, et diiudicatur (§. 7.). Rem Diplomaticam Germaniae tractavit Chronici Gotwicenſis auctor; ad uſum ſtudioſorum accommodavit Io. Heumannus: tironibus commendatur Chriſt. Henr. Ekhardi introductio in rem Diplom. praecipue Germaniae (§. 7.). Hiſtoriam rei Diplomaticae perſecutus eſt iBaringius in Clave Dipl. et Cl. Gattererus (§. 8.). Uſus Diplomatum demonſtratur a Leibnitio, et auctoribus novi operis Diplomatici, (§. 9.). Ad hanc ſibi utilitatem comparandam opus eſt, ut primum recte legantur, deinde, ſecundo ut recte intelligantur, tertio genuina a ſpuriis diſcernantur (§. 10.). Praeſidia recte legen-

legendi (§. 11.) recte intelligendi (§. 12.) genuina a ſpuriis diiudicandi (§. 13.) indicantur, et, quid in hac re praecepta praeſtare poſſint, docetur (§. 14-17.). Plura non eſt opus perſequi. Eandem enim auctor rationem ſequitur in reliquis capitibus, et verſatur iam libellus in plerorumque manibus. Ceterum, ex toto hoc libello auctoris varia et copioſa doctrina, rerum multarum uſus et intelligentia, iudicandi acumen, tractandique ſolertia agnoſcitur. Conſilio item Ven. auctoris libellus eſt accommodatiſſimus. Cum enim nihil niſi maxime neceſſaria breviter ſit perſecutus, ſibi interpretando plura addendi occaſionem fecit, et iuvenibus plura cognoſcendi amorem et deſiderium iniecit.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Octobris Anno* MDCCLXIX.


---

*ANTONII GOVEANI OPERA IURIDICA, PHIlologica, Philoſophica: ex Bibliotheca Viri Nobilis,* GERARDI MEERMAN, *edidit, vitamque Auctoris praemiſit,* IACOBUS VAN VAASSEN, *Iuriſconſultus.*

Roterodami, apud Henricum Beman, MDCCLXVI. pagg. 833. fol.

Inter maxima merita de maſcula et elegantiore iuris ſcientia, quibus *Meermannus*, Vir illuſtris, Belgii reique publicae litterariae decus, immortalem ſibi comparavit gloriam, non ultimum haberi debet illud, quod in edendis et curandis libris praeſtantiſſimis, qui aut latuerant ante, aut raritate ſua comparatu evaſerant difficillimi, poſitum eſt, quod neminem fugit, qui literas humaniores amat. Quantum debeant *Meermanno* iuris civilis ſtudioſi, ob excellentium divitiarum *Theſaurum*, orbi literario liberaliter oblatum, quis eſt qui ignoret? Ut eruditisſimis *Maianſiani* ingenii foetibus frui nobis liceret, quis, quaeſo, alius effecit, quam *Meermannus*? Iam vero novum, quo vir ſummus orbem literarium donavit munus, hic nuntiamus, nimirum ampliſſimam *Goveani*, acutisſimi ICti, et egregii Polyhiſtoris, ope-

rum collectionem. Etſi enim ipſa recenſionis et praefationis cura clarisſimo viro, *Iacobo van Vaaſſen*, fuit commiſſa, plurima tamen huius editionis laus absque dubitatione debetur *Meermanno* V. Cel. qui et collegit doctiſſ. atque rarisſima *Goveani* ſcripta, et edenda tradidit viro laudato. Prodierant iam ante aliquoties eiusmodi collectiones, quae in vulgus notae ſunt; ſed quantum haec nova numero, elegantia, et accurata lectione reliquis praeſtet, primo ſtatim intuitu adparet: quamuis ne hic quidem omnia omnino a *Goveano* relicta reperias, ut poſtea, ipſo doctisſimo editore fatente, indicabimus. Ipſa *Goveani* doctrina, et cum iuris civilis, tum bonarum artium peritia, non noſtro indiget praeconio. De philoſophiae vero laude, quae in illum cadebat, nihil addimus. Eſt enim ea ex illius, quo vivebat, ſeculi moribus aeſtimanda. Duo tantum ſunt, quae lectores a nobis expectent: brevis de vita eius narratio, ex elegantiſſima et multis bonis referta editoris praefatione decerpta, dein operum, quae hic denuo publici iuris facta ſunt, index.

*Antonius Goveanus*, natione Luſitanus, anno CIↃ IↃV. illuſtri loco natus eſt, cuius familia nunc Comitum dignitate ſplendens, adhuc in Italia floret. Marti licet ab avo dicatus, ut militarem gentis ſuae gloriam propagaret, maluit tamen Minervae ſequi caſtra. Ac initio quidem ſolis literis graecis atque latinis, iuncto Ariſtotelicae ſapientiae pro illorum temporum ratione ſtudio, ſe tradidit, in quibus poſtea valde excelluit, ut erudiſſimae eius in veteribus auctoribus edendis ac corrigendis curae ſatis demonſtrant. Nec prius, quam anno aetatis triceſimo quarto, de iurisprudentia cogitavit. Circa hoc autem tempus, monente Ferretto, et accedente Ranconetti, celebris viri, conſuetudine, Lugdunum petiit, ubi ex Ferretto per tres annos Themidis arcana percepit. Quem dein praeceptorem ſuum vel ideo longe poſt ſe reliquit, quod elegantioribus litteris, quas apprime callebat, in exornanda iurisprudentia multum iuvaretur.

tur. Inde Lutetiam anno CIↃ IↃXLII. reverſus, ipſe ſcholas, non iuridicas quidem, ſed bonarum literarum aperire coepit, hisque Ariſtotelicas iunxit lectiones, a barbara tamen docendi ratione diverſas, qua Ariſtotelis aſſeclae tum utebantur, quorum tamen mox egit acerrimum contra Petrum Ramum defenſorem. Cum enim Ramus in hunc philoſophorum patrem, eidemque addictos, inprimis in collegas ſuos, multa acerba et diceret et ſcriberet, Profeſſores Pariſienſes id aegre ferentes, non ſolum effecere ut Rami de philoſophia librorum uſus atque commercium prohiberetur, ſed praeterea nonnullos ex ſuis, in his Goveanum, ut calamum adverſus Ramum ſtringerent, incitarunt. Quod bellum Goveano tam feliciter ceſſit, ut tandem, ne turbae diutius Academiam vexarent, regio decreto cum Ramo publica diſputatione coram arbitris congredi iuſſus, poſt acerrimam bisque repetitam pugnam victor iudicaretur. Hac laude non contentus, abiit anno XLIV. Toloſam, ubi egregiis ſuae iuris ſcientiae ſpeciminibus editis, mox Anteceſſoris munus promeruit. Inde quatuor annis poſt Cadurcum evocatus eſt, ut ius civile profiteretur. Sed nec hic diu commoratus, poſt varia fata primum Valentiae, deinde Gratianopoli, inſigni cum applauſu ius docuit. Haec tamen poſtrema urbs ei inprimis fatalis fuit. Inſurgebant enim malevoli quidam ac invidioſi homines contra famam viri integerrimi, Athei notam illi infligere cupientes. Quae criminatio, quamvis tantum abeſſet ut fortunae eius noceret, ut potius a rege Henrico II. dignitate Conſil. honorarii in Senatu Gratianopolitano ornaretur: tamen circa annum LXII. cum inteſtinae turbae Galliam lacerare inciperent, ipſe vero adverſariorum inſidiis circumdatum ſe ſentiret, relicta hac literarum univerſitate in Sabaudiam ſecedere ſatius duxit. Liberaliter eum excepit Dux Sabaudiae, Emanuel Philibertus, ad cuius aures fama Viri pervenerat. Non ſolum enim anno LXIII. in Academia Monteregalenſi recens inſtituta primus Anteceſſor Iuris, addita ſimul Aſſeſſoris in Senatu ſe-

cretiori dignitate, nominatus, verum etiam ſequente anno ſplendidum magiſtri libellorum munus in aula Ducis in ſe ſuſcipere iuſſus eſt, quo ille ſumma fide, at per breve tempus fungi potuit. Obiit enim anno LXV, cum ſexaginta annos vixiſſet. E quinque filiis, e duplici matrimonio ipſi natis, unum poſt ſe reliquit ſuperſtitem, Manfredum, quem Duci Carolo Emanueli a conſiliis intimis fuiſſe conſtat.

Egregia illius ſcripta, quae in pulcerrima hac editione reperiuntur, haec ſunt: I) *Ad Leg. III. D. de iurisdict. omn. iudic.* p. 1. II) *De iurisdictione libri II. adverſus Eguinarium Baronem*, p. 7. Nimirum, Eguinarius Baro impugnaverat modo laudatum commentarium ad L. 3. D. de iurisd. omn. iudic. cuius argumenta his duobus de iurisdictione libris confutare ſtuduit Goveanus. Iterum quidem *Henryſonus* diſcipulus Baronis calamum contra Vir. cl. ſtrinxit, ſed ita, ut magis iniuriis eum proſcinderet, quam rationibus vinceret. III) *Liber de iure accreſcendi*, pag. 53. IV) *Idem liber repetitae praelectionis*, pag. 65. Haec commentatio inter ſcripta, quae de hoc argumento umquam edita ſunt, haud infinum occupat locum. V) *Ad Legem Gallus XXIX de liberis et poſtumis hered. inſtit. v. exhered.* p. 73. Etiam hic primariis interpretibus accenſendus eſt Goveanus. Deinceps in Animadverſionum opere, cuius mox mentio fiet, hanc materiam nova diligentia tractavit. VI) *Commentarius ad Tit. de vulgari et pupillari ſubſtitutione*, pag. 83. VII) *Idem Comment. repetitae praelectionis*, pag. 91. VIII) *Liber primus Variarum Lectionum iuris civilis*, pag. 167. IX) *Liber ſecundus Var. iur. civ. Lect.* pag. 205. Ingenioſis inprimis, ac utplurimum felicibus legum ſibi contrariarum conciliationibus, uterque liber refertus eſt. Non tamen ubivis Goveanus criticae temeritatis notam effugit, ingenio interdum nimis indulgens. X) *Commentarius ad titulum Pandectarum ad Legem Falcidiam* pag. 223. Inter eos, qui ſingula huius tituli capita explicarunt, facile princeps eſt. XI) *Liber Animad-*

Digitized by Google

*Animadverſionum*, p. 325. Continet hic breves, at elegantes variarum e Pandectis legum expoſitiones. XII) *Commentarius in M. T. Ciceronis Orationem in Vatinium*, pag. 341. XIII) *In M. T. Ciceronis duos priores libros Epiſtolarum ad Atticum Commentarius*, pag. 377. XIV) *In M. T. Ciceronis Topica Commentarius*, pag. 455. XV) *In M. T. Ciceronis Dialogos de Legibus Annotationes*, pag. 495. XVI) *Terentii Comoediae, ex caſtigatione et cum praefatione Goveani*, pag. 519. Ob doctas curas iſtas, Ciceroni atque Terentio impenſas, Goveani nomen inter philologos adhuc celebratur. XVII) *Epigrammatum libri duo*, pag. 679. XVIII) *Epigrammata repetitae editionis*, et *quatuor Epiſtolae ad Catharinam*, pag. 692. In his epiſtolis ſcribendi genus Ovidii imitari voluiſſe poeta videtur. XIX) *Carmina inedita ex Bibliotheca Vaticana*, quae nunc primum publici iuris facta ſunt, pag. 707. XX) *P. Rami dialecticae Inſtitutiones*, pag. 721. XXI) *Eiusdem Animadverſiones Ariſtotelicae*, pag. 749. XXII) *Goveani pro Ariſtotele adverſus P. Rami calumnias Reſponſio*, pag. 785. Poſtrema tria haec, quamvis noſtrae aetati parum ſint accommodata, inſerviunt tamen hiſtoriae literariae, cum de fatis philoſophiae Ariſtotelicae exponitur. Rami libellos adiecit clariſſimus editor, ut Goveani reſponſio inde lucem caperet.

Haec ſunt egregia Goveani ſcripta, quae iunctis *Meermanni* atque *van Vaaſſen* curis debemus. Neque tamen, ut iam monuimus, omnia hic extant, quae ille reliquit. Deſunt nonnulla, ad philologiam atque philoſophiam ſpectantia, ut *Porphyrii quinque vocum Iſagoge* ab ipſo edita, *Enarratio in Ciceronis Orationes pro Ligario et pro lege Manilia*, libellus *de concluſionibus*, et alia. Tanta etenim horum libellorum eſt raritas, ut illuſtris *Meermannus*, omni licet adhibita opera, in bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, regia Pariſienſi, variisque Angliae bibliothecis publicis, fruſtra adhuc quaeſiverit. At ſi quando potiundi detur copia, appendicis



Digitized by Google

loco accedent Ceterum, ut eruditiſſimus, atque de orbe literario immortaliter meritus *Meermannus*, edendis praeſtantiſſimis doctisſimorum virorum monumentis pergat, iurisprudentiae atque bonarum literarum cauſa omnino optabile eſt,

## *KONGS - SKUGG - SIO*
## *Utlögd a Daunsku og Latinu.*

**Det Kongelige Speil med Danſk og Latinſk Overſaettelſe, ſamt nogle Anmaerkninger, Regiſter, og Forberedelſer.** *Speculum Regale. Cum interpretatione Danica et Latina, variis Lectionibus, Notis etc. Udgivet af HALFDAN EINERSEN, Phil. Mag. et Rect. Schol. Cathedr. Holenſ.*

Soroe, 1768. Trykt hos Ionas Lindgren, det Ritterlige Akademies Bogtrykker, p. 804. quatern.

Habet profecto orbis eruditus, cur de hoc, quem indicamus, libro, vehementer gaudeat. Quod ut eo clarius pateat, de indole eius argumentoque accuratius exponere apud animum nunc onſtituimus. Nos certe multa in eo reperimus, in quibus deſcribendis operam noſtram non inutiliter conſumtam iri arbitramur. Principio, egregie placuit *Ioannis Finnaei* diſſertatio, libro huic praemiſſa, in qua de hiſtoria argumentoque Speculi Regalis admodum diligenter exponitur. Scripta illa eſt latine, et ſermone quidem ſatis probabili.

Quae Cl. *Finnaeus* primo loco de appellatione libri prolixe diſputat, ea in ſummam contracta haec fere ſunt. Speculum Regale eſt liber ſcriptus ab Amico quodam regio primi ordinis in Norwegia, in uſum filii ſui. In prologo

Digitized by Google

logo libri auctor promittit, ſe de quatuor vitae generibus, Mercatorum ſcilicet, Aulicorum, Cleri, et Ruricolarum, expoſiturum eſſe, totumque librum quatuor partibus abſolvere velle. Sed duae tantum priores partes ſuperſunt, reliquae, ſi unquam conſcriptae, intercidere.

Prima pars tradit mores, prudentiam, atque officia Mercatorum. Quibus deſcriptis, de Aſtronomia, utpote, quum roſa nautica nondum inventa eſſet, admodum neceſſaria, de ventis et tempeſtatibus, ſtylo, gentium orientalium more, admodum ſublimi, diſſeritur. Et quum ſint, quibus hoc dicendi genus, utpote Allegoriis, Proſopopoeia, et Metaphoris valde repletum, non arrideat, non male profecto Cl. Finnaeus auctorem, Homeri, Virgilii, Ovidii, et Miltoni exemplis defendit. Iam porro Speculi Regalis ſcriptor, Hiberniae, Islandiae, Grönlandiaeque mirabilia deſcribit, ubi tamen bona malis, vera falſis, utilia nugis miſcet. Neque vero hanc ob cauſam Cl. Finnaeus vituperat auctorem, ſed potius fictionis ſpontaneae macula recte liberat, quum auctores ſimilia referentes inveniantur. Hinc etiam contra Ieſuitam *Arganum* contendit, parum lucis antiquitatibus Hibernicis e Dania ſperandum eſſe.

Altera Speculi Regalis pars iterum bipartita eſt, agens de Aulicis, et Rege. Et prior quidem huius partis Sectio agit de cauſa defectuum regiminis et aulae, de dignitatibus aulicis, de rationibus et via ad illas capeſſendas, de aulicis purpuratis eorumque moribus, de ſalutatione regis quotidiana, et ceremoniis tam intra, quam extra palatium peragendis, de armis palaeſtricis et bellicis, et denique de ſcientia politiore, virtute, et decoro. Poſterior Sectio eſt de rege, de eius prae caeteris eminentia et poteſtate abſoluta, de officiis eius matutinis, cura ſcilicet et meditatione, de temperanda iuſtitia cum clementia, ac precibus publice celebrandis; de officiis regis diurnis, ſcilicet de iure ſubditis dicendo, ſa-

pientia-

pientiaque addiſcenda. Differitur quoque de clementia et iuſtitia concilianda. Sub finem denique huius Sectionis limites inter brachium ſic dictum ſaeculare et ſpirituale determinantur.

Pergendum nunc eſt ad titulum libri, quem indicare Cl. *Finnaeus* arbitratur, auctorem ſui ſaeculi ſcripta legiſſe non minus, quam Gregorii Magni et Iſidori Hiſpalenſis, quos claris verbis allegat. Saeculo duodecimo, et duobus proxime ſequentibus, in tantam conſuetudinem titulum iſtum abiiſſe *Finnaeus* narrat, ut plus quam ſeptuaginta libri illo inſignirentur.

Sed quid de aetate Speculi Regalis ſentiendum eſt? Certum exploratumque Cl. Finnaeo videtur, ſcriptum illud eſſe poſt annum 1140. quum Emanuelis, Imperatoris Graecorum, mentio ibi facta ſit. Nec, monente porro Finnaeo, ſaeculo decimo tertio recentius eſſe poteſt, niſi interpolatio aſſumatur; ſed potius, ex coniectura haud improbabili, ad proximum ante annum 1164. decennium referendum eſt. Neque vero certi aliquid de Auctore libri proferri poteſt, ac temere omnino ſpecialia, ut vocant, auctorem illius ſpectantia quaeruntur. Non tamen contemnendam putamus Cl. Viri coniecturam, cui probabile videtur, Eindridium Ungam auctorem fuiſſe, ſi in Halogia habitaſſet, aut filium habuiſſet unicum. In qua coniectura valde eum adiuvit hic Torfaei locus: „Eadem aeſtate Conſtantinopoli rediit vir iuvenis, nobilitate et experientia celeberrimus, Eindridius Ungi, ſive Iuvenis, qui Graecorum Imperatori Emanueli, ſive Manueli Comneno, longo tempore ſtipendiis meruit. Hunc multa de Imperatoris magnificentia, ſplendore, militum numero, ordinibus et apparatu, imperii magnitudine, diffuſiſſimarum regionum praefectis, legibus et populorum moribus, aerarii inexhauſto theſauro, eiusque immenſis reditibus, terrarum indole, proventibus, et id genus aliis, narrantem Rex Proceresque libenter audiebant." Vid. Torfaei Hiſtor. Norweg. Tom. 3. ad annum 1149.

Doctiſſi-

Elegantiſſimam Finnaei diſſertationem excipit alia, cuius auctor eſt I. Erichſen, qui diligenter admodum de Speculo Regali diſputat. Sed valde dolendum, eſt diſſertationem hanc lingua Danica, viris doctis in Germania aliisque regionibus non adeo familiari, conſcriptam eſſe. Etenim Speculi Regalis lectionem non ſolum Daniae, ſed et Germaniae aliarumque regionum eruditis commendandam eſſe arbitramur. Quare egregie placet, verſionem libri latinam adiectam eſſe. Scilicet ſuperius cuiuscunque paginae dimidium duabus conſtat partibus, quarum altera librum, lingua qua ſcriptus eſt, originali, continet, altera vero verſionem Danicam exhibet. Inferius cuiuscunque paginae dimidium verſionem latinam ſatis perſpicuam atque elegantem habet, cui ſubiectae ſunt notae, lingua, quod iterum eorum cauſa qui eam non callent dolemus, Danica exaratae. Sunt autem hae notae duplicis generis, aliae lectionis varietatem, aliae verborum rerumque explicationem ſpectant.

Sed erunt fortaſſe inter lectores, noſtros qui Speculi Regalis rationem ſcribendi, verſionemque illius Latinam cognoſcere velint: quare initium libri deſcripſimus, quod ita ſe habet: „Cum animo pervolvebam vitae quodlibet huma„nae inſtitutum, et in rationes circumſtantiasque cuiusvis „vivendi generis inquirebam, non mediocrem comperi mul„titudinem in aviis defatigari, quae a tramite honeſtae vitae „avocabant, et in errorem vitamque diſſolutam ſeducebant; „unde quotquot ſemitis, quae maxime declives erant, inſi„ſtebant, in vallibus, quae coli non potuere, perierunt; fa„tigati enim longa viae, quam emenſi erant, moleſtia nec „ad ſuperiora collium iterum eniti potuerunt, nec compen„dia eundi, quae eos in regiam morum viam reducerent, in„venerunt. Haec turba diverſis videbatur rationibus acta „peſſum ruere, vel ignorantia, nam tramites qui ad devia „ducebant adeo triti erant, ut tutiſſimi exiſtimarentur, unde „ſtulti eos pro regia via, quoniam maximo hominum nu-

 mero

Digitized by Google

„mero terebantur, habebant; vel torpore et negligentia; „vel quod quibusdam taediofum et inſolitum videretur, aut „aliam quam plurimi viam ingredi, aut aliorum ſannas et „irriſionem, ſi ſolitarii progrederentur, pati; vel denique in- „doles minus feriata, et malitia variis cupiditatibus ſtipata. „Sed cum bonorum morum neglectum negligentiumque „damnum animadverterem, mecum revolvebam, quam „viam eligerem, quam ſolus non tererem, quamque tamen, „licet plerisque nimis arduam, ita ſequerer, ut regredi per „ardua poſſem, ſi reverti liberet. Cum autem pater meus „adhuc in vivis eſſet, mihique admodum faveret, malui „eius conſilium expetere, quam inſtitutum, illi forte invi- „ſum, praecipitanter ſequi: confeſtim igitur illum adii, me- „umque propoſitum detexi. Verum quoniam pater mihi „contigerat ſapiens et benevolus, deprehendi illum hilari ani- „mo, cum intellexiſſet me bonos mores quaeſiturum; per- „miſit igitur, ut pro lubitu ſciſcitarer de morum et artium „qualitatibus, promittens ſe mihi explicaturum, tum cuius- „cunque de qua quaererem vitae inſtituta, tum rationes cui- „libet vitae generi convenientes, addensque ſimul, mihi ſe- „met oſtenſurum tramites, a quibus caverem, erraticos; „quos ab initio ingrediuntur plerique a recta virtutum ſemi- „ta deflectentes, monſtraturumque calles, omnibus, qui re- „lictis viarum erroribus, in regiam virtutum viam reverti „volunt, pervios. Mox exorſus, de mercatorum artibus, vi- „vendi genere, et moribus, interrogavi, et ſtatim filum ora- „tionis ulterius deducens, ubi quaeſtionibus prioribus erat „ſatisfactum, altiora petebam, Regum mores principumque „et ſatellitum percontatus, ne iis quidem intactis, quae no- „bilium (clericorum) exercitia et mores concernunt, item- „que eorum qui rus habentur, aut populus audit.“

Ex his quae ex Speculo Regali commemoravimus verbis, occaſio, qua ſcriptum eſt, totumque omnino libri argumentum clare perſpici poteſt. Reſtat ut quaedam de uſu,

quem

quem Speculum Regale habere poterit, in medium proferamus. Et primum ſi quis, quae religionis ſaeculi duodecimi tempore in Septentrione conditio fuerit, cognoſcere cupiat, et quis quaeſo cognoſcere hoc recuſet? illi profecto huius libri lectio egregie ſatisfaciet. Etenim Auctor filium ſuum in variis religionis capitibus, praecipue iis, quae mores hominum ſpectant, tanta diligentia inſtruit, ut mirandum ſane ſit, homines in obſcuris iſtis ſepultisque barbariei tenebris temporibus, tam egregie de religione ſenſiſſe. Neque vero putandum eſt, Auctorem praecepta atque inſtituta ſua e ſqualidis ethnicae religionis rivulis hauſiſſe; imo vero e limpidis ſcripturarum ſacrarum fontibus Auctorem multa derivaſſe, clara verba loquuntur. Quod ut exemplo confirmetur, primum, quod pater filio praeceptum tradit, commemorabimus. Verba ita ſe habent: Sed cum ſapientiae praeceptis imbui velis, oſtendam tibi fundamentum et principium omnis ſapientiae, iuxta ſapientisſimi cuiusdam oraculum, dicentis: „*Initium ſapientiae eſt timere omnipotentem* „*Deum*. Timendus vero non eſt metu ſervili velut hoſtis, ſed „amore filiali verendus, ut eum, qui de primario praecepto „ſciſcitabatur, docuit ipſe Dei filius, eique ſequentem ſcri„pturae ſacrae locum ſuggeſſit: *Diliges Dominum Deum tu„um ex toto corde tuo, et totis viribus tuis:* hinc Deus ſuper „omnia diligendus, et omni tempore verendus, ut quoties „vitiorum nos ſubit cupido, eam propter Deum expella„mus, quamvis metus, ob hominum potentiam ſubortus, te„meritatem noſtram reprimere nequeat. Et quoniam „quaeris, quid principium ſit vel rudimentum totius ſapien„tiae, non aliud, quam mox audiſti, commendare poſſum, „utpote verum et unicum: unde qui idem didicerit et ob„ſervaverit, ſapientiae et felicitatis non expers erit. "

Iam porro non ingratum erit mores et cerimonias populorum Septentrionalium cognoſcere, et, ut Cl. Finnaei verbis utamur, documentum antiquitatis conſpicere, quod



Digitized by Google

Septentrionis laudes veras confirmet, et nimias excuſet; quod hiſtoriolis et ſententiis aculeatis interſperſum, characteres, mores, et ceremonias maiorum iucunda rerum varietate temperet; quod nos in adyta regum ante ſexcentos annos degentium introducat; quod vivendi genera a rege ad ruricolam usque depingat.

Videri quoque ex Speculo Regali poterit, quae tempore iſto Aſtronomiae ratio fuerit, quam Auctor mercatorum cauſſa, quibus tum admodum neceſſaria erat, fuſe deſcripſit. Et poterit etiam mercaturae illius temporis ratio ex libro hoc ſatis clare oſtendi, et ſi a quo alio, certe a Speculi Regalis Auctore, mercaturae bene prudenterque adminiſtrandae ratio, omninoque praecipua proborum mercatorum officia, perdiſci poſſunt. Quid multa? nullus fere hominum ordo eſt, quin hoc libro de vita ſapienter gerenda egregie inſtruatur. Quam praeclara de Regum principumque officiis praecepta traduntur? Quam copioſe de muneribus, quae a regum miniſtris adminiſtrantur, agitur? Quam iucunde denique civium officia et belli et pacis tempore peragenda exponuntur? Et ſi quis ſcire cupiat, quomodo barbaris iſtis temporibus in bello gerendo homines Septentrionales verſati fuerint, is Speculum Regale adeat. In eo enim de armis palaeſtricis et bellicis, tam in acie quam in munimentis defendendis et oppugnandis, tam terra quam mari uſitatis, agitur. Omnino autem ſciendum eſt, Auctorem in plerisque ſui Saeculi principia deſeruiſſe, et contra multa civium ſuorum inſtituta tam libere tamque ſolide ſcripſiſſe, ut monente Cl. Finnaeo, eius aetatis Monteſquieu, aut maior forte fuerit. Et ſunt pleraque illius praecepta eo minus contemnenda, quo firmiori fundamento nituntur; multa enim illorum, ut iam monuimus, ex Scriptura ſacra depromta ſunt. At immiſtae ſunt multae fabulae? recte, neque id negare audebimus. Nam quae in deſcribenda Hibernia, Islandia, et Grönlandia protulit Auctor, maximam partem

partem fabuloſa ſunt. Sed traxit Scriptor aliquid a labe Saeculi, neque ideo culpandus, ſed potius in tanta rerum iucundarum utiliumque ubertate laudandus, poſteritatique commendandus eſt. Utinam non temporis iniuria tertia et quarta libri pars ereptae nobis eſſent, in quibus haud dubie praeſtantiſſima de cleri ruricolarumque vitae genere inſtituta reperturi eſſemus.

Laudandi vero etiam ſunt viri docti, Finnaeus, Erichſenius, Einerſenius, qui vel Speculi Regalis hiſtoriam indolemque accurate deſcripſerunt, vel perſpicue eleganterque verterunt, vel denique obſervationibus eruditis ornatum illuſtratumque ediderunt.

## *PROPRIETATES QUAEDAM SECTIONUM CONICARUM.*

1.

### LEMMA.

Si curva $ANM$ fuerit Sectio conica, $AB$ eius axis, $F$ focus, vertici $A$ propior, ſit eius ſemiparameter $= b$ et excentricitas $= e$. His poſitis conſtat eſſe Tab. III.

$$FM = \frac{b}{1 - e.\,\text{coſ.}\,BFM}.$$

2.

Quodſi iam habeantur duo puncta $M$ et $N$, et chorda $MN$ producatur donec axi in puncto $T$ occurrat, tum vero angulus $MFN$ biſecetur recta $FL$, anguli vocentur uti in figura ſunt notati. Iam vocetur chorda $MN = k$ et patet fore $\mu = \lambda - \omega$; $\nu = \lambda + \omega$, hinc $\frac{1}{2}(\mu + \nu) = \lambda$ et $\frac{1}{2}(\nu - \mu) = \omega$;

 porro

porro $F\,M = \frac{k\,\text{ſin}\,\nu}{\text{ſin}\,2\,\omega}$ et $FN = \frac{k\,\text{ſin}\,\mu}{\text{ſin}\,2\,\omega}$. Deinde angulus $BFM = \mu + \theta$ et angulus $B\,FN = \nu + \theta$. Ex his per Lemma erit

$$F\,M = \frac{b}{1 - e\,\text{coſ}\,(\mu+\theta)}\ \text{et}\ FN = \frac{b}{1 - e\,\text{coſ}(\nu+\theta)}.$$

Hinc ergo fit

$$b = \frac{k\,\text{ſin}\,\nu}{\text{ſin}\,2\,\omega}\big(1 - e\,\text{coſ}(\mu+\theta)\big) = \frac{k\,\text{ſin}\,\mu}{\text{ſin}\,2\,\omega}\big(1 - e\,\text{coſ}(\nu+\theta)\big):$$

ideoque

$$\text{ſin}\,\nu - e\,\text{ſin}\,\nu.\,\text{coſ}\,(\mu+\theta) = \text{ſin}\,\mu - e\ \text{ſin}\,\mu.\text{coſ}\,(\nu+\theta)$$

unde colligitur:

$$e = \frac{\text{ſin}\,\nu - \text{ſin}\,\mu}{\text{ſin}\,\nu.\,\text{coſ}\,(\mu+\theta) - \text{ſin}\,\mu.\,\text{coſ}(\nu+\theta)}.$$

Eſt autem huius fractionis numerator $\text{ſin}\,\nu - \text{ſin}\,\mu = 2\,\text{coſ}\,\frac{\nu+\mu}{2}.\ \text{ſin}\,\frac{\nu-\mu}{2} = 2\,\text{coſ}\,\lambda.\ \text{ſin}\,\omega$. Pro denominatore vero eſt

$\text{ſin}\,\nu.\text{coſ}(\mu+\theta) = \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(\mu+\nu+\theta) + \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(\nu-\mu-\theta) = \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(2\,\lambda+\theta) + \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(2\,\omega-\theta)$ $\text{ſin}\,\mu.\text{coſ}(\nu+\theta) = \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(\mu+\nu+\theta) - \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(\nu-\mu+\theta = \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(2\,\lambda+\theta) - \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(2\,\omega+\theta)$ ideoque totus denominator $\frac{1}{2}\,(\text{ſin}\,2\,\omega - \theta) + \frac{1}{2}\,\text{ſin}\,(2\,\omega+\theta) = \text{ſin}\,2\,\omega.\,\text{coſ}\,\theta = 2\,\text{ſin}\,\omega.\,\text{coſ}\,\omega.\text{coſ}\,\theta$. Quibus valoribus ſubſtitutis fit excentricitas $e = \frac{\text{coſ}\,\lambda}{\text{coſ}\,\omega.\text{coſ}\,\theta}$.

3.

## COROLL. I.

Cum ſit in Parabola $e = 1$, erit $\text{coſ}\,\lambda = \text{coſ}\,\omega.\text{coſ}\,\theta$.

4. CO-

4.

## COROLL. II.

In genere autem ſi angulus $MFN$ fuerit minimus, ideo coſ $\omega = 1$, erit $e = \frac{\text{coſ}\,\lambda}{\text{coſ}\,\theta}$; unde in Parabola ubi $e = 1$, erit $\lambda = \theta$.

5.

Inventa hoc modo excentricitate $e$, inveſtigemus ſemiparametrum $b$; at ſubſtituto loco $e$ valore invento, prior aequatio praebet

$$b = \frac{k\,\text{ſin}\,\nu}{\text{ſin}\,2\,\omega}\left(1 - \frac{\text{coſ}\,\lambda.\text{coſ}\,(\mu+\theta)}{\text{coſ}\,\omega.\ \text{coſ}\,\theta}\right) = \frac{k\ \text{ſin}\,\nu}{\text{ſin}\,2\,\omega.\,\text{coſ}\,\omega.\ \text{coſ}\,\theta}$$

$(\text{coſ}\,\omega.\ \text{coſ}\,\theta - \text{coſ}\,\lambda.\ \text{coſ}\,(\mu+\theta))$

atqui $\text{coſ}\,\omega.\ \text{coſ}\,\theta = \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\omega+\theta) + \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\omega-\theta)$ et
$\text{coſ}\,\lambda.\ \text{coſ}\,(\mu+\theta) = \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\lambda+\mu+\theta) + \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\lambda-\mu-\theta)$
$= \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\lambda+\mu+\theta) + \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\omega-\theta)$.

Unde quantitas in vinculo reducitur ad $\frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\omega+\theta) - \frac{1}{2}\,\text{coſ}\,(\lambda+\mu+\theta) = \text{ſin}\,\frac{\lambda+\mu+\omega+2\theta}{2}.\ \text{ſin}\,\frac{-\omega+\lambda+\mu}{2} = \text{ſin}\,\mu.\,\text{ſin}\,\frac{\nu+\mu+2\theta}{2} = \text{ſin}\,\mu.\,\text{ſin}\,(\lambda+\theta)$. Hinc ſemiparameter $b = \frac{k\ \text{ſin}\,\nu.\ \text{ſin}\,\mu.\ \text{ſin}\,(\lambda+\theta)}{\text{ſin}\,2\,\omega.\ \text{coſ}\,\omega.\ \text{coſ}\,\theta}$.

6.

## COROLL. I.

Si ponatur diſtantia $FM = m$ et $FN = n$; ob $m = \frac{k\ \text{ſin}\ \nu}{\text{ſin}\ 2\ \omega}$ et $n = \frac{k\ \text{ſin}\ \mu}{\text{ſin}\ 2\ \omega}$, erit $\text{ſin}\ \nu = \frac{m\ \text{ſin}\ 2\ \omega}{k}$ et

ſin

$\sin\mu = \frac{n \sin 2\omega}{k}$. Quibus ſubſtitutis fit ſemiparameter $b = \frac{mn \sin 2\omega . \sin(\lambda+\theta)}{k \cos\omega . \cos\theta} = \frac{2mn \sin\omega . \sin(\lambda+\theta)}{k \cos\theta}$

7.

COROLL. II.

Si fuerit curva Parabola, et angulus $\omega$ infinite parvus, erit $\theta = \lambda$, hincque $b = \frac{2mn . \sin\omega . \sin 2\theta}{k \cos\theta}$; vel ob $k = \frac{m \sin 2\omega}{\sin\mu} = \frac{m \sin 2\omega}{\sin\lambda}$ (quia $\mu = \nu = \lambda$)

$b = \frac{2mn . \sin\omega . \sin 2\lambda . \sin\lambda}{m \sin 2\omega . \cos\lambda} = n \frac{\sin 2\lambda . \sin\lambda}{\cos\lambda} = 2n \sin\lambda^2$; conſequenter diſtantia $FA = n \sin\lambda^2$

8.

COROLL. III.

Ponatur recta $FL = l$, et ex triangulo $MFL$ fit $ML = \frac{l \sin\omega}{\sin\mu}$, ex triangulo $NFL$ vero $LN = \frac{l \sin\omega}{\sin\nu}$; hinc $k = \frac{l \sin\omega}{\sin\mu} + \frac{l \sin\omega}{\sin\nu} = \frac{l \sin\omega}{\sin\mu . \sin\nu} . (\sin\nu + \sin\mu) = \frac{l \sin\omega}{\sin\nu . \sin\mu} (\sin(\lambda+\omega) + \sin(\lambda-\omega))$ vel $k = \frac{2 l \sin\omega . \cos\omega . \sin\lambda}{\sin\nu . \sin\mu}$; quo valore ſubſtituto fit ſemiparameter

$$b = \frac{2 l \sin\omega . \sin(\lambda+\theta) . \sin\lambda}{\sin 2\omega . \cos\theta} = \frac{l \sin(\lambda+\theta) \sin\lambda}{\cos\omega . \cos\theta}$$

9. CO-

9.

## COROLL. IV.

Ex foco $F$ ad axem $AB$ erigatur perpendicularis $FP$, rectam $LT$ ſecans in $P$, et quia in triangulo $FLP$ eſt $FL = l$, angulus $FLP = \lambda$ et angulus $FPT = 90° - \theta$; erit $FP = \frac{l \operatorname{ſin} \lambda}{\operatorname{coſ} \theta}$: ideoque $b = \frac{FP. \operatorname{ſin}(\lambda + \theta)}{\operatorname{coſ} \omega}$. Porro ex $P$ ad $FL$ demittatur perpendiculum $PR$; ob angulum $PFR = 90° - LFB = 90 - (\lambda + \theta)$ erit $FR = FP$ ſin $(\lambda + \theta)$ hinc $b = \frac{FR}{\operatorname{coſ} \omega}$. Atqui hinc denique ex triangulo $FRn$, ob angulum $RFn = \omega$ erit $Fn = \frac{FR}{\operatorname{coſ} \omega}$. Ex quo pater fore ſemiparam. $b = Fn$. Unde ſequens Theorema.

10.

## THEOREMA I.

Si ex altero foco Sectionis cuiusque conicae $ANM$ ad axem $AB$ erigatur perpendicularis $FG$, tum vero ex eodem foco $F$ ad curvam educantur bini radii quicunque $FM$ et $FN$, atque chorda $MN$ producatur donec perpendiculo illi $FG$ occurrat in puncto $P$, ex quo ad rectam $FL$ angulum $MFN$ biſecantem ducatur normalis $PR$ radios $FM$ et $FN$ ſecans in punctis $m$ et $n$, erit ſemper portio $Fm$ vel $Fn$ aequalis ſemiparametro Sectionis conicae, ſive applicatae $FE$.

11.

## COROLL.

Si puncta $M$ et $N$ concurrant, tum recta $MP$ fiet tangens Sectionis conicae, unde conficitur ſequens Theorema.

 12. THE-

Digitized by Google

12.

## THEOREMA II.

Si ad axem Sectionis conicae *AB*, ex altero foco *F* erigatur perpendiculum *FG*, et ducto radio quocunque *FL* ad punctum *L*, ducatur tangens *LP* perpendiculum illud ſecans in *P*. Tum vero ex hoc puncto *P* ad radium *FL* normaliter ducatur *PR*: erit portio *FR* ſemper aequalis ſemiparametro, ſeu applicatae *FE*.

13.

## COROLL.

Si Sectio conica abeat in circulo, eius foci cadunt in ipſum centrum *F*, ex quo ad diametrum *AB* erecto perpendiculo *FG*, ſi duo radii quicunque *FM* et *FN* ducantur, et chorda *MN* producta illi perpendiculo in *P* occurrat, tum recta *PR* ad rectam *FL* angulum *MFN* biſecantem normaliter ducta in ipſam rectam *PNM* incidet, ita ut puncta *m* et *n* cadant in *M* et *N*, et quia linea *MF* et *NF* ſunt radii, utique ſunt aequales ſemiparametro, hoc eſt ſemidiametro circuli.

14.

## SCHOLION.

Caſu Theorematis II. ſi centro *F* radio *FE* deſcribatur circulus, ob $FR = FE$ (fig. praeced. Theor.) is per punctum *R* transibit, et recta *PR* eius erit tangens, unde proponi poteſt ſequens Problema.

15.

## PROBLEMA.

Dato quadrante circuli *DE*, centro *F* deſcripto, invenire omnes curvas *EL* eiusmodi, ut ducta recta quacunque

que $FRL$, tangens in $L$ ducta conveniet cum tangente circuli $RP$ in ipſo puncto $P$ lineae $FG$.

SOLVTIO.

Sit radius circuli $FE = b$, angulus $EFR = \phi$ et recta $FL = z$, erit $FP = \frac{b}{\text{coſ}\,\phi}$, unde poſito angulo $FLP = \psi$, ex triangulo $PFL$ habetur ſin $(\phi+\psi) : z =$ ſin $\psi : \frac{b}{\text{coſ}\,\phi}$; hinc $z\,\text{ſin}\,\psi = \frac{b\,\text{ſin}\,(\phi+\psi)}{\text{coſ}\,\phi} = \frac{b\,(\text{ſin}\,\phi.\,\text{coſ}\,\psi + \text{coſ}\,\phi.\,\text{ſin}\,\psi)}{\text{coſ}\,\phi}$; quae per ſin $\psi$ diviſa abit in $z = b\,\text{tang.}\,\phi.\,\text{cot}\,\psi + b$; hinc $\text{cot}\,\psi = \frac{z-b}{b\,\text{tang}\,\phi}$. Iam ducta $Fl$ infinite propingua, deſcriptoque arculo $L\lambda$ erit $l\lambda = dz$ et $L\lambda = z\,d\phi$; unde cot. $Ll\lambda = \frac{dz}{z\,d\phi} = \text{cot}\,\psi$ quo valore ſubſtituto habebitur iſta aequatio $\frac{dz}{z\,d\phi} = \frac{z-b}{b\,\text{tang}\,\phi}$; quae evoluta dat $\frac{dz}{z\,(z-b)} = \frac{d\phi}{b\,\text{tang}\,\phi} = \frac{d\phi.\,\text{coſ}\,\phi}{b\,\text{ſin}\,\phi}$ vel $\frac{b\,dz}{z\,(z-b)} = \frac{d\phi.\,\text{coſ}\,\phi}{\text{ſin}\,\phi}$ et integrando $\frac{z-b}{z} = C\,\text{ſin}\,\phi$. Hinc $z = \frac{b}{1 - C\,\text{ſin}\,\phi}$. Quodſi nunc vocetur angulus $BFR = 90° - \phi = \theta$, habebitur $z = \frac{b}{1 - C\,\text{coſ}\,\theta}$, quae manifeſto indicat Sectionem conicam, cuius ſemiparameter $= b$, excentricitas $= C$, et anomalia vera $= \theta$.

## *IO. SAL. SEMLERI PARAPHRASIS EPISTOLAE ad Romanos, cum notis, translatione vetuſta, et Diſſertatione de Appendice Cap. XV. et XVI.*

Halae Magdeb. 1769. pagg. 311. octonis.

Quod conſilium ſecutus ſit *Semlerus* V. Cel. in edendo hoc libello egregio, ipſe exponit his verbis: *Saepius iam in lectionibus academicis hanc epiſtolam tractavi, quia eſt cunctis aliis haud paulo praeſtantior, quod ad chriſtianae rei ipſam genuinam cauſam commendandam attinet. Solebam commentarios numero non paucos, alios poſt alios, in conſilium adhibere; atque ſic perſpiciebam, etiam meliores quosdam auctores tamen non raro a Pauli hiſtoricis ſententiis ſecedere longius, atque ad theologicum locum graviter referre partes, quae ei tantum tempori atque conſilio maxime aptatae fuerant. Hic ſtatui providendum eſſe, ne et ipſe a linea iuſta abire adſueſcarem, et alios in eandem ſemitam abducerem, e qua nec per ceteram vitam facile redire contingit. Itaque collegi tandem huius generis paraphraſin, eo conſilio, ut et auditores haberent in quo ingenium vel adverſus me experirentur, et eruditiores quidam adduci aut moveri ſe patiantur, in commune ſic conſulere, atque corrigere ea loca, quae et momenti maioris ſunt, et ſatis firmam interpretationem nondum habent.* Et paulo poſt: *ſecutus ſum eum modum, ut abſtinerem a πολυλογίᾳ etiam bonarum rerum, quas quidam ſolent iuſto copioſius ubique effundere, atque negligere fere hermeneuticum miniſterium, quo maxime opus eſt, ad ſanctum uſum Scripturae ſacrae. Neque enim deerunt frugiferae cogitationes, ſi rei illa deſcriptio ſatis patet, quam Paulus iſto tempore ſic informavit. Igitur ad hiſtoriam textus criticam etiam attendi; ſecutus ſum hic ibi lectionem aliam, quam ſolet in excuſis exhiberi.* Atque ita putat effectum iri, ut *habeamus tandem huius epiſtolae ita compoſitam interpretationem, ut et ad dogmaticam ceteram theologiam novae lucis multum accedere poſſit, et ad alias Pauli epiſtolas. Quis enim non laetetur,* pergit,

Digitized by Google

git, *illa ſalubri et liberali ſpe uſurus, fore, ut et de peccato originali expoliantur deſcriptiones, ut praedeſtinationes ſacrae et ſanctae tenebrae tandem, conſentiente bonorum omnium voce, evanuerunt?*

Iam perſpecta Cel. Auct. mente, exempla utriusque generis, critici et exegetici, quaedam afferemus.

Cap. IV, 1. εὑρηκέναι incertum locum obtinere putat, et olim fortaſſe abfuiſſe. Nobis quidem neutrum videtur, modo intelligatur χάριν, ſeu δικαιοσύνην, quod omiſit propterea Apoſtolus, quoniam phraſis hebraica מצא חן eſt uſitata. Deinde non plane inauditus eſt hic ſignificatus verbi εὑρίσκειν etiam graecis Scriptoribus, apud quos ſaepius, ſimpliciter poſitum, ſignificat quaeſtum facere, conſequi boni quid. Exempla collegit Salmaſ. ad Script. Hiſt. Aug. T II. p. 546. b. Hoc modo ſenſus oritur conveniens, nec de mutanda lectione cogitare neceſſe eſt.

C. *eod.* v. 17. legere vult: κατέναντι Θεοῦ, quae eſt ſane valde ſpecioſa correctio, ſi modo ſenſus efficeretur paulo facilior. Redditur enim: *coram Deo, cui credidit*, et in nota explicatur ſic: *in conſpectu Dei quaſi iam aderant, licet nondum iſto tempore evenerit.* Quodſi igitur diceremus, κατέναντι οὗ eſſe ex hebraismo explicandum, atque reſpondere τῷ מִפְּנֵי אֲשֶׁר, quod eſt: propterea, quoniam; ut Exod XIX, 18. Ier. XLIV, 23. nonne ſenſus tum exiſteret planiſſimus atque facillimus, nulla mutatione facta? At quid eſt Θεοῦ? Sane in hoc vocabulo eſt difficultas, cui tamen occurri poteſt ita, ut hic Genit. vel dicatur conformatus eſſe articulo praepoſitivo, etiam contra conſtructionem verbi, ut ſaepe fit; vel pendere ab omiſſa voce ἐπαγγελίας, quae ellypſis Scriptoribus graecis, in primis durioribus, qui res magis quam verba curant, ut Thucydidi, eſt frequentiſſima, nec Paulo inuſitata, Act. XXIV, 14 1 Cor. VIII, 2. reliqua. Sed illa ratio paulo melior videtur.

Cap. V, 6. praefert Vir doct. lectionem εἰ γαρ, omiſſa apodoſi, quae facile poſſit ſuppleri. Bene haec dicta eſſe patet. Sed poteſt tamen etiam lectio vulgaris defendi, ſi dicamus, ἔτι per σύγχυσιν referendum eſſe ad το ὄντων, ut nuper quoque egregie docuit Cl. Krebſius ad Decreta Rom. pro Iudaeis p. 135. ſ. In quo etiam conſentit verſio Arabica. Verſum 7. varia difficultate premi dicit doct. Seml. quippe quem plane omiſerit Irenaeus, Origenem vero ei praeponere verſum 8. et alio loco rurſus omittere. Syriacam verſionem pro δικαίου legere ἀδίκου. Videri nempe, eandem ſententiam in diverſis Codd. vario modo additam fuiſſe; idem certe bis dici, licet δίκαιος et ἀγαθὸς Subiectum varie deſcribant. *Syrus*, inquit, *putavit rem ſic melius exprimi*, *quod in gloſſa videbatur licere. A Paulo non videtur hic verſus ſcriptus eſſe; nec enim rem inſignem dicit.* Tota res redit ad verba ἀγαθὸς et δίκαιος, quae Vir S. V. putat eſſe ſynonyma, nihilque proficere dicit eos, qui diverſa ea eſſe exiſtiment. Nobis quidem maximopere diverſa eſſe videntur. Nam δίκαιος eſt innocens; atque ita verbum δικαιοῦν ſaepius occurrit, ut ſignificet, innocentem declarare. Ἀγαθὸς vero eſt beneficus, benefactor. Sic in aliis locis, ut in hac ipſa ep. XV, 14. ἀγαθωσύνη dicitur de beneficentia, cuius documenta vocantur ἀγαθὰ ἔργα et ἀγαθοεργεῖν ſignificat beneficiis ſuis aliis benefacere, 1 Tim. VI, 18. pro quo Gal. VI, 10. eſt ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθόν. Et ipſum vocabulum ἀγαθὸς ſic occurrit Matth. XX, 15. Igitur ſenſus eſſet: pro benefactore fortaſſe quis vitam profundet. Atque ita elegantiſſima et valde gravis ſententia eſt in his verbis. Deinde, quod ad verſionem Syriacam attinet, eius quidem lectio probatur quoque Grotio, et Marklando ad Lyſ. pag. 574. ſed videtur ea tantum ſenſum expreſſiſſe, neque aliter legiſſe.

Cap. *eod.* v. 14. deleri vult μὴ. Adiiciemus obſervationem, quoniam eſt admodum notabilis, integram. *Eiicimus*, inquit, *illud* μὴ, *quod, ut negari non poteſt*, *antiquitus non adfuit.*

Digitized by Google

*adfuit. Ita clare Hilarius ſeu Ambroſiaſter, dicit negationem inſertam fuiſſe poſt ortas lites; non fuiſſe in Tertulliani, Cypriani, Victorini Codicibus. Rufinus et Auguſtinus ipſe fatetur, pleroſque Codices carere negatione; recentiores Codices graeci, Auguſtini nempe temporibus ſcripti, inſerebant negationem. Abeſt etiam in Cyrilli adhuc citatione; poſt id igitur tempus, quo Neſtorii et Pelagii iſta foeda cauſa a maiori Epiſcoporum parte tam vehementer agitata fuit, negatio illata demum fuit. Res ipſa id ſic fert; ſi adfuit, ratio nulla fingi poteſt, cur aliqui auderent eiicere, eſſe autem videbatur, ut adiiceretur: nempe, ut negaretur peccatum nobis hoc tantum nocere, quod ipſi admittimus. Ipſa ſimilitudo, quae inter nos et Chriſtum locum habere dicitur, hoc infert, ut ſimiles etiam Adamo dicamur. Sed aliis ſuum iudicium relinquimus; eodem iure privare nos non debent. Similiter omnes peccant poſt Adamum, licet non peccent in Paradiſo. Similiter gentes peccant, et Iudaei et Chriſtiani, licet differant loco et tempore.*

Cap. VII, 6. non placet Viro doct. lectio vulgaris: ἀποθανόντος, ſed eius loco vult ſubſtitui: ἀποθάνοντες, niſi utrumque ſit omittendum, et legendum: κατηργ. ἀπὸ τοῦ νόμου, ἐν ῷ κατειχ. κ. λ. V. 9. legi vult: ἔζησεν, non ἀνέζησεν. Sed quis neſcit, verba compoſita loco ſimplicium poni?

Cap. XI, 6. omiſit verba: ει δὲ ἐξ ἔργων, ὀυκ ἔτι ἐςὶ χάρις, ἐπεὶ το ἔργον ὀυκ ἔτι ἐςὶν ἔργον, quoniam nec Codd. a Wetſtenio laudati, nec verſio vulgata, Coptica, Aethiopica, Armena, nec Origenes et Hilarius, Patresque Latini, habeant. Cap. XII, 11. praefert lectionem καιρῷ, et v. 13. χρείαις, quae lectiones haud dubie ſunt meliores, easque bene defendit Vir doct. atque multa egregie in hanc rem diſputavit. Quoad ſenſum χρείαις et μνείαις ſunt verba ſynonima, ſi hoc explicamus ex hebr. ubi memorem eſſe alicuius, ſignificat benefacere alicui. Atque ita lectio μνείαις eſſet elegantiſſima, ſi modo in pluribus Codd gr. reperiretur.

Sed

Digitized by Google

Sed haec de primo genere. Veniamus ad alterum. Atque hic primo loco commemorabimus interpretationem doctam, et haud dubie veriſſimam, verborum difficillimorum c. I, 17. ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Totum locum hoc modo explicat Vir doct. *hoc enim quod antea minus luculenter patebat, mea illa doctrina ad homines omnes maxime confirmatur, aequiſſimum et benigniſſimum in humanum omne genus Deum ſe exhibuiſſe; ſoleo enim hoc praecipue confirmare, nec e Iudaeis Deo olim alios placuiſſe, quam* πιστεύσαντας, *unde porro hoc conſtet, nec hodie Deo alios placere, quam* πιστεύοντας, et reliqua. Ex hoc poteſt intelligi, δικαιοσύνην h. l explicari per benignitatem divinam, in ſalute hominibus tribuenda in primis conſpicuam: quae explicatio ſatis convenit hebraismo, nec minus altera, qua πίστις exponitur per concretum, de credentibus. Solet enim Apoſtolus ſaepenumero abſtracta pro concretis uſurpare, ut ἐκλογὴν pro electis, περιτομὴν pro circumciſis, ἀκροβυστίαν pro non circumciſis. Atque ſic primus interpretatus eſt Vatablus. Doct. S. autem utroque loco verbum πίστεως ita accepit: quod non videtur ſatis convenire. Nam ἐκ πίστεως potius eſt pro διὰ πίστεως: ita enim ipſe Apoſtolus explicat c. III, 22. ubi poſt longam digreſſionem, redit ad ſententiam c. I. v. 17. propoſitam, traditque verbis paullo clarioribus, ita ut manifeſtum ſit, huius loci ſenſum eſſe hunc: haec doctrina evangelica oſtendit proponitque nobis iuſtitiam ſ. ſalutem, quae propter fidem datur credentibus; atque hoc convenit effato, quod eſt apud Prophetam, reliqua.

Cap. III, 1. 2. 3. novo modo, admodum ingenioſe interpretatus eſt. Nimirum, totam iſtam orationem putat eſſe obiicientis, et adverſus Paullum diſputantis, inprimisque verſu 3. demonſtrantis, Deum non poſſe non dare tam religioſis Iudaeis aeterna praemia, licet abhorreant ab Evangelio. Cuius rei cauſa affert rationem hanc, quoniam v. 9. diſerte inficias eat Apoſtolus, quod v. 2. affirmabatur. Tranſtulit igitur v. 2. et 3. hoc modo: *intelligo vero illud adhuc*

*mihi*

*mihi opponi poſſe, primarium ſine omni dubio hoc, Iudaeis manere proprium, quod Deus eos tanti fecerit, ut eis, non aliis, concrederet perſcripta illa aeterna praecepta divina. Nec obſtare, quod negari nequeat, non defuiſſe omni tempore inter Iudaeos, qui fidem atque obſequium his praeceptis et patrum melioribus exemplis non praeſtiterunt; nec enim credi poſſe, iſta illorum perverſitate, atque improbitate, hoc factum eſſe, ut Deus ipſe datam ſemel fidem, (iam ad illos alios,) fallat, (qui diligentiſſime legem Iudaicam ſervare ſtudeant; his igitur vitam aeternam omnino a Deo tribuendam eſſe.)* Nihil haberemus contra hanc interpretationem, ſi modo ratio allata ſatis valeret. Neque enim negat Apoſtolus v. 9. quod v. 2. affirmaverat, ſed concedit Iudaeis praerogativam magnam, quoad habuiſſent promiſſiones divinas, ipſis praeſtitas et obſignatas per circumciſionem, nullam vero, quoad ſint homines peccato obnoxii, et poena digni. Igitur illud οὐ πάντως v. 9. accipiendum eſt πρός τι, et πρῶτον v. 2. non denotat primum, ſed in primis, maxime, in his. Nec ſatis accurata et commoda eſt explicatio verborum ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, concredita ſunt ipſis praecepta divina. Sane τὰ λόγια ſunt promisſiones, ut clarius explicat Vir doct. in praefatione, ſed ἐπιστεύθησαν videtur potius eſſe, ratae factae ſunt. Nam exprimit hebr. נאמן, quod ſignificat verax repertus eſt; et occurrit quoque hoc ſignificatu 2 Theſſ. I, 10. ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς, h. e. vera cognoſcetur doctrina noſtra in vobis. Quod vero obiiciunt quidam, ut Wolfius in Curis ad h. l. τὰ λόγια requirere alium numerum, id nihili eſt; neque enim eſt neceſſe, ut nominibus pluralibus iungantur verba ſingularia. Exempla in partem contrariam occurrunt apud Homerum, atque etiam a Grammaticis afferuntur, et occurrit quoque tale exemplum apud τοὺς ό, Gen. XLII, 20. Itaque ſenſus eſſet: in his quod promiſſiones divinae ratae factae ſunt per circumciſionem, quae fuit ſignum, quo confirmabantur iſtae promiſſiones. In hac interpretatione conſentiunt quoque Verſiones Syriaca et Arabica: illa enim habet, quia fideles facti ſermones



Digitized by Google

Dei; haec vero, quia eſt verificatio verbi divini. Poſt Ludov. de Dieu in hanc cogitationem incidit Cel. Venema, in Exercitatt. de vera divinit. I. Chr. adv. Wetſten. p. 110. Accedit quoque hoc, quod, ſi vera eſt doct. Semleri ſententia, non ſequitur reſponſio ad obiectionem v. 1. propoſitam.

Cap. V, 2. interpretatur A. τὴν χάριν de gratia muneris Apoſtolici inter gentes adminiſtrandi, et τῇ πίστει putat olim abfuiſſe. Igitur totum verſum ſic παραφράζει: *per hunc eundem etiam nacti ſumus aditum, (nos Apoſtoli et miniſtri Evangelii,) ad hanc gratiam muneris noſtri inter gentes adminiſtrandi, quo quidem nec adhuc nos fungi poenituit, et quo vel gloriari (adverſus Iudaeos) audemus, quia certiſſimam hanc ſpem alimus, fore, ut et nos (cum noſtris, Chriſtianis e gentibus,) iſtam Dei gloriam, filiorum Dei honorem (in beata aeternitate victuri) conſequamur.* Verſu 12. ἐφ' ᾧ vertit *ſiquidem,* quod poſſet ferri, ſi modo totus verſus paullo aliter intelligatur, atque hic factum eſt. Adſcripſimus verba ipſa: *non ignoratis, per primum illum hominem peccato quaſi aditum in hunc humanum mundum factum eſſe; et per peccatum etiam morti patuiſſe aditum; atque ſic (poſt primum hominem morte oppreſſum) porro, continuo cladis ordine, ad homines omnes eadem vis mortis pertigit, ſiquidem omnes (non minus, quam Adam) ſolebant peccare.* Videtur igitur a vulgari ſententia paullulum recedere Vir doct. et dogma de imputatione peccati Adamitici hic non reperire. Id quidem facile poteſt concedi, ἐφ' ᾧ non eſſe, in quo, nimis enim late abeſt a voce ἀνθρώπου, ſed ſignificare ſiquidem, ſ. potius, ut Luther. accepit, propterea quod. Tamen vero ſemper ſalvum manet dogma illud, propter verſum 14. in quo cum non opus ſit delere μὴ, habent enim illud Codd. graeci optimi, clariſſimum eſt, ineſſe in hoc loco id, quod vulgo ineſſe exiſtimatur, et ἐφ' ᾧ πάντες ἥμ. ſignificari: quoniam cum Adamo omnes peccavimus, et verſus 14. ſenſum eſſe: pernicies ab Adamo usque ad Moſen regnavit in hominibus, etiam in iis,

Digitized by Google

iis, qui non peccaverant eo modo, quo Adamus peccavit, qui eſt typus futuri. Hanc quidem ſententiam nos his verbis ſubeſſe videmus.

In altera parte cap. VII. explicanda ſecutus eſt Cel. S. ſententiam eam, qua Paulus Iudaeos loquentes inducere exiſtimatur, alteramque, qua praeſentem ſuam condicionem deſcribere contenditur, falſiſſimam, et difficiles omnes praeceptiones et declamationes nihili eſſe putat. Nec tamen omni ex parte rationem illam, Origenianam vocant, amplexus eſt; ſed media quaſi via incedit, et inde a v. 7. Iudaeum, verſu extremo autem Chriſtianum loqui exiſtimat. Ex hac parte, novitatis atque etiam ingenii ſpecie, commendat ſe haec interpretatio. Sed remanent tamen quaedam difficultates, v. c. verſu 18. τὸ γὰρ θέλειν παραχ. μοι κ. λ. v. 22. συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον: v. 23. βλέπω δὲ ἕτερ. κ. λ. inprimisque v. 24. An credibile eſt, hominem irregenitum hoc modo loqui?

Cap. VIII, 10. σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν explicat de corpore, propter peccatum morti ſubiectum. Verum, ut taceamus, conſuetudinem loquendi hunc ſenſum nullo modo ferre, ipſe contextus ei repugnat, quoniam de morte ſpirituali ſermo eſt. Atque propter hanc ipſam cauſam ſequens v. non poteſt de reſurrectione mortuorum accipi. Verſum 19. et ſeqq. interpretatur de Gentibus. Verſu 28. in eos graviſſime invehitur, qui hic reperire velint praedeſtinationis monſtra, rectiſſimeque hunc locum explicat de gentibus, per doctrinam Chriſti, ex Dei certa auctoritate, in meliorem ſocietatem allectis, atque commemorare putat Apoſtolum cauſas afflictionum conſtanter perferendarum.

Cap. IX, 3. ηὐχόμην reddit: optarim, (ſeu potius: optem, velim eſſe,) hancque verſionem in praefatione quinque argumentis defendit adverſus Heumannum. Rectiſſime. Addi

 poſſet

Digitized by Google

poſſet hoc, ex linguae indole ductum, Graecorum imperfectum latine interdum reddi debere in praeſenti. Quod vero ἀναθ. εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, explicat: Chriſti beneficio eccleſiaeque iure carere; id videtur eſſe paullo coactius. Simplicius certe eſſet: velim a Chriſto morti tradi, piaculi cauſa, ſi poſſem morte mea perficere, ut Iudaei redeant ad Chriſtum.

Cap. eod. 5. verba vexatiſſima: ὁ ὢν ἐπὶ πάντ.. Θ. ε. dicit eſſe retinenda, ſed non referenda ad Filium, verum ad Patrem; idque probat quinque argumentis, quae ipſis verbis, ut mentem Viri Cel. eo melius poſſint perſpicere lectores, hic adſcripſimus: 1. a Chriſto, h. e. eccleſia chriſtiana, ac illa ſocietate, volebat Paulus ſeiunctus eſſe v. 3. modo Iudaeos ſic ei omnes redderet; ſi vero hic ſimul Chriſtum dicit τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν, id ei in mentem venire non debuit; exire e ſocietate eorum hominum non voluit, qui Deo ſubſunt, etſi non verſantur in iſta ſocietate Chriſtianorum, ſive eius miniſtri, ſive membra. 2. τὸ κατὰ σάρκα non hic opponitur divinitati, ſed mentis indoli, ingenio, conſilio, provinciae Chriſti; externa Chriſti hiſtoria Iudaeos maxime tangit; corpoream vitam iſtam inter eos vixit, Iudaeorum proprius et primus quaſi fuit, Propheta ille diu exſpectatus. Si de divinitate Chriſti loquebatur, profecto longe clarius ea hic deſcribenda erat adverſus Iudaeos. 3. Concedit Paulus hic Iudaeorum praerogativas, ut recte ſcripſit Beza; et quidem addit ipſe, amen; Iudaei vero Deum, patrem, Meſſiae ſeu Chriſti, ſolent celebrare, ob iſtas praerogativas, non vero Chriſtum ipſum ipſi nominant τὸν ἐπὶ πάντων Θεόν. Continuat obiectionem v. 6. huius eiusdem Dei λόγος non poteſt omine atque eventu carere, qui ſolet a Chriſto, ut alius, aliud πρόσωπον, diſtingui; (fateor, concedo, nec enim omnes iſti ſunt Iſraelitae, licet multi hoc beneficio, quod promiſit Deus, careant.) Ideo εὐλόγητος eſt vel apud Iudaeos omnes, quod eius oraculis tantum beneficium ipſi decretum eſſe ſciant. Ad patrem pertinet Rom. I, 25. 2 Cor. XI, 31. Marc. XIV, 61.

tu

Digitized by Google

tu ês filius τῦ ἐυλογήτου, ἐξόχως igitur pater ſic dicitur. 4. Eſt patrum numerus ſeculorum antiquiorum, qui iſtam deſcriptionem ὁ ἐπὶ πάντ. Θ. numquam ad Chriſtum, ſemper ad Patrem pertinere ſtatuunt, quicquid hic alii ſtudioſius oggerant. Sic Origenes L. 8. c. Celſ. Euſeb. contra Marcellum ſaepius, Conſtitut. Ap. etc. 5. Chriſtus dicitur eſſe Dei, τοῦ Θεοῦ, ipſe Deum, patrem ſuum, mundo, ſeu τοῖς πᾶσι, praeeſſe confirmat; pater maior me eſt, αἰτίαν προκαταρκτικὴν recte alii dixerunt: itaque Paulus, qui de Chriſto ſic ſemper alibi loquitur, quod patri ſubſit, ratione miniſterii, eum hic non ſic deſcripſit, ut a patre non diſtingui poſſit. Aliud eſt in ſubiecto, λόγος eſt Θεός, de hoc nemo dubitat Chriſtianus. Hinc potius Noetus, ut apparet ex Hippolyto, ſumſit, (quia hanc orationem ad Chriſtum retulit,) occaſionem erroris eius, quem Sabellius poſtea amplificavit. Sic quia cepit Noetus, diſtinctione ſe defendit Hippolytus, ut errorem refutaret, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, Θεός ἐςι, quia pater ei omnia tradidit; ſic et Epiphanius heer. 57. et alii, quos Clarke excitavit, in Scripture doctrine of the Trinity T. 4. Opp. fol. 47. " Haec data opera verbis ipſis Viri doct. recenſuimus, nec quicquam monemus, niſi quod pertinet ad n. 4. fuiſſe quoque veteris eccleſiae doctores erudiſſimos, qui ad probandam divinitatem I. Chr. hoc loco diſerte uterentur, ut Cyprianum, Chryſoſtomum, Irenaeum, reliquos, quos laudavit Millius ad h. l. — Reliquam partem huius cap. de Iudaeis interpretatur, atque in primis v. 11. ſeqq. ſermonem eſſe de conditione externa et rebus temporalibus; in quo quemque exiſtimamus hebraice et graece doctum, nec occoecatum praeconceptis opinionibus, aſſenſum eſſe praebiturum.

Cap. XI. 11. 25. ſ. perſtringit ineptam opinionem eorum, qui in hl. promiſſionem de univerſali Iudaeorum converſione reperiri ſomniant, oſtenditque, eam iam dudum, Seculis prioribus eventum habuiſſe: nec poteſt aliter ſentire qui vel mediocriter calleat linguam graecam N. T. et rectam



Digitized by Google

interpretandi rationem teneat. Πλήρωμα ne ullo quidem modo denotare poteſt univerſalitatem, ſed quemcunque numerum, deſtinatum ad aliquid, eumque interdum valde parvum, ſignificat: ut πλήρωμα ναὸς ſocii navales, qui ad navem ſunt deſtinati, it. πλήρωμα τραπέζης, γάμου etc. Nec σωθήσεται poteſt de converſione externa accipi; nam ex adiecto vaticinio clariſſimum eſt, de interna eſſe explicandum. Sed doctiſſimus quisque hoc iam ſua ſponte videt, et occoecatum Chiliaſtam in utile foret pluribus admonere. — Atque id genus multae aliae occurrunt in hac paraphraſi interpretationes egregiae, quae eruditionem et ingenium Viri Cel. produnt, nec raro quoque novitatis gratia ſeſe commendant: quod cum ex his ſpeciminibus poſſit ſatis intelligi, non opus eſt plura commemorare, in primis cum nonnulla ſuperſint, de quibus adhuc quaedam monere inſtituimus.

Scilicet abſoluta paraphraſi, ſequitur Translatio latina epiſtolae ad Romanos, ante Vulgatam facta, et, ut ex inſcriptione diſcimus, e MS. Sangermanenſi et Regio, ſeu Claromontano deſumta, quae ob antiquitatem certe eſt memorabilis. Ad calcem denique adiecta eſt diſputatio de duplici Appendice huius epiſtolae c. XV. XVI. quae A. 1767. in Academia Fridericiana habita fuit. Deſcripta autem eſt in partes duas, quarum prima de hac Appendice in univerſum agit. Appendicem nimirum intelligit eam partem epiſtolae, quae ipſius tractationis et argumenti pars quaedam non poſſit haberi, quae ex alio iam conſilio, quod per opportunitatem locum hic poterat habere, annexa ſit, et potius alia ex cauſa, quam ut ipſum epiſtolae argumentum eo melius inde perſpiceretur, acceſſerit. Probatur hoc argumentis externis et internis. Externa continentur obſervationibus, quae ex utriusque capitis hiſtoria, vetuſtaque Codicum varietate, ea colligunt momenta, quae alia ratione explicari nequeunt quam hac, quod fuerint iſta capita, iam a prioribus inde Seculis, ſeiuncta ab ipſius epiſtolae quaſi corpore.

Refer-

Digitized by Google

Refertur hic Origenis teſtimonium T. II. Opp. p. 531. ed. Frob. Interna vero in ipſa epiſtolae ſerie deprehenduntur. „Rem enim, ait, ipſumque argumentum, iam abſolverat Paulus; nec hoc capite contineri quid nobis quidem videtur, quod ad confirmationem dogmaticumque locum quid faceret; de ſe tantum agit, ſuo Servatorisque noſtri exemplo doctoribus chriſtianis prudentiam perſuadens, qua in infirmos utendum ſit.“ Paulum ipſum, exiſtimat, alio et ſeparato loco, abſoluto iam epiſtolae argumento, hanc appendicem adieciſſe, quam, ne interiret, alios cum ipſa epiſtola una ſerie perſcribere maluiſſe. Altera pars in primis ad c. XVI. pertinet. Atque hanc appendicem putat Apoſtolum dediſſe epiſtolae huius latoribus, non ut partem epiſtolae, ſed ut catalogum ſalutandorum per iter. Hanc ſententiam, optat vir doct. ut paulo accuratius examinare velint Viri eruditi.

*MANUELIS PHILAE CARMINA GRAECA, MAximam partem e Codicibus Auguſtanis et Oxonienſibus nunc primum in lucem producta, aliqua etiam iterum publicata; omnia nunc in unum, excepto poemate de animalibus, collecta, emendata, latine interpretata, et annotationibus illuſtrata: accedit Ignoti Poetae antiquioris carmen in S. Theodorum, ex Auguſtano Codice nunc primum editum: praemittitur diſſertatio de Philae Vita, aetate, et ſcriptis. Cura GOTTLIEB WERNSDORFII.*

Lipſiae apud B. C. Breitkopf et fil. An. 1768.
1 Alph. in 8vo.

Priſci aevi incorruptaeque bonitatis ſcriptorum monumenta, qua praeſtantia emineant, quo, ad ingenium alendum et excitandum, ad animum bonis artibus inſtruendum,

dum, valore cenſenda ſint, non quiſquam ſuo ſenſu et iudicio facile aeſtimaverit, niſi qui legendis cognoſcendisque libris, quos recentior aetas tulit, utrumque genus ſcriptorum inter ſe comparaverit. Quare, in tanta cura ſollicitudineque, qua viri docti in colligendis, proferendis, ornandisque et expoliendis, optimae aetatis ſcriptorum libris, omni tempore evigilarunt, magna laude digni ſunt, qui aliquam huius curae efficacitatem ad recentiorum temporum ſcripta ab ſitu et ſqualore eximenda, et ab interitu vindicanda, referunt. Hoc, Manuelis Philae Carminibus, ignotis adhuc partim, partim iam quidem, ſed et negligenter et ſparſim proiectis et effuſis, modico quodam corpore facto, nunc primum editis, Gottl. Wernsdorfius Vir doctiſſ. cum magna ſua laude, nec minore aliorum emolumento, nuper praeſtitit. Praemiſſa dedicatione ad Antonium Aſkew M. D. magnique nominis et celebritatis, inter politioris litteraturae amantes, virum, de inſtituto, quod ſit in edendis his poematis ſequutus, in ſubiecta praefatione agit. In qua primum dubitanter loquitur de ſua in lectorum applauſum fiducia, utpote quibus optimae notae et aetatis ſcriptoribus aſſuetis, poetae, nec temporis antiquitate, nec fama nominis, nec dignitate argumenti, nec bonitate carminis, magnopere commendati, editionem, non magnam ſane voluptatem allaturam ſuſpicatur. Sed quoniam tamen eiusdem de Animalibus carmini aliquoties quidem, proximeque a I. Cornelio Paw, ſed nulla fere, praeter chartae litterarumque nitorem et elegantiam, pretiique augmentum, acceſſione facta, editi, admiratores non defuerint; magnique iudicii et nominis Viri, quos mox commemorabimus, a cognoſcendis, colligendis, publicandisque eius ſcriptis non abſtinuerint: aequos putat ſe habiturum ſui laboris arbitros, cum praeſertim nec recentioris aevi ſcriptores ingenii, leporis, orationisque elegantiae ſint plane expertes; tum vero, ad hiſtoriam cum Byzantinam, tum litterariam cognoſcendam, plurimum proſint, conſerventque communium Europae magiſtrorum, eruditionisque conſervatae, propa-

propagatae, et ad Occidentis partes paullatim translatae, Auctorum memoriam. Quid? quod ipſe Philes inter homines ſuae aetatis doctiſſimos cognomine etiam τȣ̃ σοφωτάτȣ inclaruerit, [quod quam vulgare et tritum iſtis temporibus fuerit quamquam non ignoramus, huic tamen ſano veroque hominum iudicio tributum eſſe ſtatuimus:] quas autem labes et corruptelas ſuperſtitionis, ac probati imaginum cultus, contraxerit, eae non tam ingenio ipſius, ſed vel opinionibus ſaeculi ſui communibus, vel coetui cui addictus vixit peculiaribus, tribuendae ſint. Ac profecto veremur, ne iniquior plerumque Cl. editor in Poetam fuerit, et in ingenii artisque laudibus diſſimulandis malignior.

Quae igitur in hac collectione reperiuntur, Carmina ea fere Auguſtanis et Oxonienſibus Codicibus debentur, ita quidem, ut quae in iis habentur, excepto de Animalibus poemate, ei inſerta ſint. Duo quidem nondum edita, et ab omnibus eruditis adhuc ignorata, e Codice, qui in paucorum notitiam venerat, Auguſtano protulit, quae etiam Io. Henricus Maius in Bibl. Uffenbachiana, p. 587. qui eadem ex apographo Steinheiliano nactus fuerat, Manuelis Philae eſſe neſcivit. Alia duo, quartum et quintum, etiam ἀνέκδοτα, ſed cognita tamen eruditis ex Apographo Reimariano, ducto e Cod. Bodleiano Oxonienſi, acceſſerunt. Hic Codex a Roeo Equite aurato, et Britannorum apud Turcas legato, huic bibliothecae e Conſtantinopoli illatus, ab Hamburgenſium quondam decore Wolfio excuſſus, haec ipſi carmina deſcribenda ſuppeditavit, qui redux ea cum Fabricio communicavit, a quo, in Bibliotheca Graeca iam nonnulla vulgata fuerunt, et Reimaro quoque, ſocero, deſcribendi poteſtas data. Primum, quod legitur, carmen, vetuſtioris poetae eſt, ſeculo integro antiquius, eoque tempore ſcriptum, quo adhuc a Latinis Conſtantinopolis tenebatur. Reliqua, a ſexto usque ad decimum tertium, a variis Editoribus iam vulgata, ſed per multos libros diſperſa, velut disiecti membra poetae, emen-



Digitized by Google

datiora nunc quidem, cum neque Fabricius, neque alius quiſquam lectionum aut varietatem, aut veritatem curaverit, ſuo ordine prodeunt.

Sequitur de Philae vita et ſcriptis diſputatio, in qua varii Philae commemorantur, quos omnes hic repetere ſuperſedemus. Quae autem de EVMOLPO PHILA dicuntur, ea congruere putat V. d. cum iis, quae in hunc ſuum cadunt, et cum Caſ. Oudino de ſcriptt. eccleſ. pag. 842. T. III. ob carminis pangendi facultatem ei id nomen tributum iudicat. Cuius de rebus poſt Caveum hiſt. eccleſ. litt. Saec. XIII. pag. 655. ea tradit, quibus multorum ſententiae vel refutentur, vel confirmentur. Fuiſſe accepimus domo Epheſium, eruditum Conſtantinopoli a Georgio Pachymere, quem magiſtrum nominat. Familia ortus videtur minus nota, non obſcura tamen et ignobili, cum τȣ̃ Κύρȣ ſive *domini* appellatio eius nomini addatur. Sed adulatus fuit, ut ſcripta eius clamant, paſſim Cantacuzeno, Magno Domeſtico, ſuo Fautori. Neque tamen multum adulando ſatis placuit. Nam Imperator Andronicus ſenior, eius quibusdam in Chronographia ad ſuas laudes pertinentibus verbis offenſus, eum ad vincula adegit, Carm. X, 1. deinde in libertatem vindicatus eſt praeſtito iureiurando, nihil ſe in Auguſtum contumelioſum ſcripſiſſe, Carm. VII. Amico uſus Maximo Planude, Conſtantinop. aetatem exegit. Quod vitae genus ſequutus fuerit, incertum eſt. Videtur aut privatus nobilis, qui verſibus pangendis, ingenio exercendo, et quaeſtui faciendo inſerviret, aut aulicus homo fuiſſe, qui minoris tamen dignitatis munere fungeretur. Quod ad annorum, quibus vixit, computationem attinet, diſſentit ab Oudini et Cavei calculo, qui nimis eum antiquum faciunt, et ad Saeculi XIII. finem referunt; nec vero Dorvillio aſſentitur, recentiori, quam par erat, tempori, et extremo XIV, quin etiam XV. Saeculo medio, eius vitam attribuenti, Miſcell. Obſ. Belg. Vol. II. pag. 425. Ipſe medius et partis neutrius, primum erroris cuiusdam Dorvillii, non levis ſane ad rem ipſam momenti, mentione facta, circumſpicien-

dis

Digitized by Google

dis rebus omnibus in conſtituenda hominis aetate, quam fieri poteſt accuratiſſime verſatur. Dorvillius enim l. c. memorat, in Manuſcriptis titulum operis de Animalibus legi; ἐις τὸν βασιλέα Κύϱον Μανυὴλ Παλαιόλογον τὸν νέον, quod contra editorum conſenſum eſt, in quibus reperitur ἐις τ. β. κ. Μιχαὴλ, quae lectio pro vera habenda. Porro apud Fabricium B. Gr. t. VII. p. 696. et Cotelerium in Monum. eccl. Gr. t. III. pag. 675. unde illud membranarum teſtimonium petitum eſt, nomen Imperatoris Michaelis pariter exſtat. Probabile fit, hunc in inſpiciendis membranis alias acutiſſimum et exercitatiſſimum Virum, referendis aliorum teſtimoniis idem eſſe perpeſſum, quod etiam Oudino accidit, quem et ipſum Manuelis Palaeologi et Michaelis ſenioris nomina permutaſſe memorat. Poterat autem illud ſtatim expedire Viri Cl. rationes, quod in Critica Vanno pag. 4. legitur, ubi hoc oculi aberrantis παϱόϱαμα, ipſe, qua fuit modeſtia, ſibi iam a Pavio obiectum non diſſimulat. Denique nec illud adiectum τὸν νέον in Manuelem Palaeologum convenit, cum nullus umquam Manuel Palaeologus ſenior fuerit. Neque vero cum Georgii Pachymerae, cuius funus Iambis proſequutus eſt, aetate, iſta conciliari poſſet ratio, quem vix ultra annum 1310. aetatem produxiſſe ex Fabricio conſtat. Tandem nec ipſum Cantacuzenum potuiſſet videre Magnum Domeſticum, ſi demum 1310. natus fuiſſet. Ex quibus omnibus conficitur, Manuelis Palaeologi aetatem Philen attingere non potuiſſe.

Igitur rationes A. ſubducit ſic, ut Philam ineunte Saeculo XIV. floruiſſe probetur, ſub Andronicis Palaeologis, natumque circiter 1275. et anno 1340. fato functum ex eo potiſſimum cognoſcatur, quod quae de ipſo leguntur omnia cum hoc tempore conſentiant. Eſt autem hic, cui de Animalibus opuſculum dedicavit, Michael, iis fere, qui non ex fontibus ipſis hiſtoriae cognitionem ducunt, ignotus, per hos accuratius noſcendus. Fuit enim hic Michael ὁ νέος filius natu maior Andronici ſenioris, ex Anna Hungarica, atque a



Digitized by Google

Patre iam a. 1295. in imperii ſocietatem adſcitus, pugnavitque aliquoties cum Turcis, ſed mortuus ante Patrem fuit a. 1321. ſeu anno Graeco 6829.

Iam ad ſcripta Philae recenſenda progreditur. An ſoluta quidquam oratione ſcripſerit, neſcimus. Namque innotuerunt nobis poemata, politico, uti aetas eius ferebat, ſive iambico, non tamen iambis pedibus currente, ſed ſyllabarum numero dimenſo metro confecta ſunt. Poemata eius vel inter edita, vel inter perdita, vel inter inedita referri poſſunt. De editis aliunde conſtat. Periit autem Chronographia, in qua eam offenſionis culpam admiſerat, quam poſtea Carm. VII. iureiurando deprecari debuit. Neglecta in bibliothecis paſſim Philae quaedam latent. Praeterquam enim quod in Montefalconii Bibliotheca Manuſcriptorum, paſſim opuſcula Philae laudantur, in Scorialenſi Hiſpanorum bibliotheca, teſte Çotelerio Mon. eccl. t. III. 675. iambica carmina varia hac inſcriptione Μανυηλ Φιλη τυ Εφεσίυ ϛιχοι Ιαμβικοὶ, deliteſcunt. Putamus ea ipſa, quae nunc exhibentur, in eo Codice contineri, eiusque collationem magno uſui ad hanc editionem adornandam eſſe potuiſſe. In Cod. Bodleiano Roei reperitur Carmen ſepulchrale in Aſaninam teſte Wolfio. In bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, tetraſticha in Pſalterium teſte Lambecio, aliaque ibidem. Poema hiſtoricum de rebus geſtis Michaelis Glabae, e Pariſino Codice Io. Boivinus edere voluit Tomo IV. Operum Nicephori Gregorae. Sunt denique, quae ſub eius nomine circumferantur, nec tamen eius ſint; quo refert quaedam a Fabricio t. VII. bibl. gr. p. 712. edita, quod variis rationibus confirmat, quas apud ipſum, quibus intereſt, recognoſcant.

Ad extremum, quale ſit in edendis his carminibus conſilium ſequutus, memorat. In ipſo textu, quae fuit eius religio, nihil mutavit. Varietatem lectionis ſeorſim a notis, media pagina poni iuſſit, eisque ſuas immiſcuit coniecturas.

Notae

Notae ſubiectae, cum harum quidem rationem reddunt, tum rariora quaedam in verbis et formulis, et iſti aetati propria, explanant. Alioquin criticis notis et philologicis obſervationibus abſtinuit, utpote in eo ſcriptore, quem Graecitatis diſcendae cauſſa nemo facile legerit. Verſionem latinam addidit plane novam, eamque et luculentam, et elegantem. Modeſtiae eius, qua tractat Auctoris verba, felicitatisque in coniectando, facilitatis porro in emendando, ubique teſtimonia adſunt. Ex paucis quae poſuimus, de caeteris licebit argumentari.

Carm. V, v. 177. *καὶ τὺς μὲν ὡς ὄνυχας ἡ ῥάμφη τρέφει*, cum vocabulum *ῥάμφη* ſit nullum, bene coniicit legendum *ἡ ῥάμφη*, ut ſit accuſativus a *ῥάμφος*, *roſtrum*. V. 278. pro *γένυς* legit *γένυς maxilla*, ex Achille Tatio L. II. pag. 87. ubi de origine repertae purpurae paria traduntur. Carm. V. vſ. 64. pro *Αἴγυπτος* reſtituit *Αἴγιθος*, quae eſt avicula, cuius ova aſini ruditu frangi creduntur vſ. 803. pro *τρίκογχον ἐκτείναντα ῥωμαίων ξίφος*, facili coniectura tentat *τρίλογχον*, et ex *ῥωμαίων* facit *ῥωμαλέον*, aut nove illud vocabulum pro hoc poſitum putat. Ex hiſtoria eccleſiaſtica ſubinde quaedam illuſtrat, ut, Mariae cognomine *Hodegetriae* cultum p. 90. loca quoque biblica, quae a Poeta reſpiciuntur crebro, et imitando exprimuntur, diligenter enotat. Antiquae Graeciae rituum non ignarum declarant ea, quae de ludendi trocho ſeu pila modo diſputantur p. 224. ſ. Quibus quidem bonis ſatis compenſantur ea, quae in reprehenſionem aliquam incurrere poſſint. Sic Carm. III. vſ. 9. *Ἐντάσεις* non tam *intenſam et maſculam facundiam* interpretaremur, ſed *contentionem vocis*, qua in re gravioris momenti nonnunquam utuntur oratores. In qua alicubi verſatus Cicero, *quanta poſſum*, inquit, *voce contendam, ut haec populus Romanus exaudiat*. Ariſtoteles Polit. VII. c. 17. dixit ſic, *τὰς διατάσεις τῶν παίδων καὶ τὺς κλαυθμὺς*, iisque ad corporis incrementa vim ineſſe ſcribit. Conſuetudine peccandi abreptus, Carm. V. vſ. 29. verba *ὁ πρέσβυς νέος* vertit *vir iuvenis*, cum potius ſignificetur *ſenilis prudentiae iuvenis*, et ita verti

debebat. Laborat verſio vſ. 270. Ὁρῶ γὰρ ὑμᾶς ἐυςαλεῖς καὶ κοσμίας Ἄνωθεν ἐις γῆν τακτικῶς ἀφιγμένας, *Video enim vos paratas et in hunc mundum Deſuper in terram ordine ſtructo demiſſas*. Nam ἐυςαλεῖς καὶ κοσμίας appellat potius *decoro et modeſto cultu indutas*, ſicut ἐν καταςολῇ κοσμίῳ feminas procedere iubet Paullus 1 Tim. II, 9. Neque vero ἄωτον interpretaremur *auribus carentem* vſ. 743. ſed *florem*, quo ſumto ſententia effluit melior, emendationis ἀνυτατοῦ neceſſitas removetur, et vere poetico verbo copiolae noſtri hominis locupletantur. De uſu vocis tam hominibus egregiis, quam rerum quarumcunque excellentiae tributae, egerunt Abreſchius Diluc. Thuc. p. 489. et Interpretes Callimachi H. in Apoll. v. 112. Inprimis huc pertinet θεῖος ἄωτος ἡρώων Theocriti Id. XIII, 27. In his tamen et aliis levicu-lis quibusdam, veluti quod hoc ipſo Carmine vſ. 183. lectionem Ἀρ' ἐκ ἐπαχθὲς, καὶ τά λοιπά μοι φράσον tentet, Ἂν ἐκ ἐ. cum ἄρα commode agnoſci poſſit pro *igitur*, et ἐπαχθὲς, ſi quid mutandum, facile transire in ἐπαχθῶς, in his, inquam, non moramur, cum habeamus alia, quibus laborem Viri Cl. commendare poſſimus. Singulis fere carminibus Introductionem, ut appellare placuit, praemiſit, qua de argumento Carminis, et ſcribendi cum occaſione, tum tempore, de hominibus ad quos pertineant, de ſuo in digerendis ornandisque labore, quem in quibusdam, in IV. et XIII, utpote a deſcriptoribus miſere turbatis et diſtractis, plane ſingularem perpeſſus eſt. Sic Introductio ad Carmen III. variis quaeſtionibus, cum movendis, tum ſolvendis abſolvitur. Inſcribitur in codice τῦ ἀυτῦ ἐις τον ἀυτοκράτορα βασιλ. Hic diſputat, utrum βασιλέα legendum ſit, an βασίλειον, notatoque eiusdem, ex compendio ſcripturae facillime oriendae dubitationis exemplo ex Himerii Sophiſtae declamationis III. inſcriptione, pluribus validisque rationibus hoc carmen ad Baſilii Porphyrogennetae laudes celebrandas pertinere demonſtrat. Denique, quo minus a Phila ſcriptum eſſe dubitemus, argumentis evincit. Carmini VIII. quod eſt de Elephante,

Digitized by Google

Elephante, praemiſit introductionem, qua, cur poſt Fabricium in B. Gr. a ſe denuo edatur, cauſſam probat, quod is nec interpretationem eius, nec ullam emendandi, qua in tot mendoſiſſimis locis opus habet, curam ſuſcepiſſet. Simul, quod hoc ſeparatum opus ſit, nec pro particula maioris operis de Animalibus haberi debeat, I. Cornelium Pavium, qui id in ſua editione praetermiſerit, crimine carere iubet. Poſt Labbei et Dorvillii errorem refellit, hoc carmen ad Imperatorem nomine Leonem referentium. Etenim ex primi et ultimi verſus conſenſu, quorum uterque haec verba habet: 'Αυτοκρατωρ μεγιϛε τȣ γενȣς λεων: id colligi non poteſt, ut iam ſenſit Fabricius; nam allegoricum illud eſt, et potentiam virtutemque deſignat. Neque vero Politicorum verſuum genus Leonis VI. ſapientis Saeculo receptum fuit, unde quoque Philae cuiusdam ſenioris eſſe Dorvillius ſtatuit. Abeſt ergo nomen, et nude proſcribitur εἰς τὸν βασιλέα ſicut etiam carmen III. IV. et VII. contra nomen MICHAELIS diſerte eſt carmini de Animalibus adſcriptum. Scilicet illa tria, ſeniori vereque regnanti Imperatori dedicata, eo non opus habebant, noto per ſe nomine Auguſti; hoc autem ei, qui vivo patre nomen regium non poteſtatem habebat, dedicatum, indiget nomine proſcripto. Quas autem ob cauſſas hoc carmen Andronico Palaeologo inſcriptum exiſtimet, haec ſunt, quod in hunc conveniunt quae illo in carmine de Imperatoris fortuna familiaque commemorantur, nomen εὐτεκνȣ καὶ ἀνακτοπαιδος vſ. 5. et quod ſit κοσμος τῆς πορφυριδος, της γονης, της ἑϛιας v. 337.

## *IOH. HENRICI WINKLERI, PHYS. PROF. PUBL. Ordin. in Acad. Lipſ. tentamina, quaeſtiones, et coniecturae, circa Electricitatem Animantium.*

Cogitare nuper coepi de tentaminibus, quibus electricam virtutem animalium irem exploratum. Enarrabo, quae per hoc tempus invenerim. Pervulgata res eſt, ducta manu

manu per pilos felium et canum, aliorumque animantium piloſorum, effici, ut pili ex hac frictione in tenebris luceant. Cogniturus igitur, exiſtatne lux haec ex materia electrica? id egi, ut in conſpectum prodirent reliqua phaenomena, repulſio atque attractio, quae poteſtatem electricam continent. Quod variis modis inveſtigavi, aſſumtis in ſocietatem indagationis amicis rei electricae gnaris. Primo is, cui excitandae electricitatis negotium commiſſum erat, canis aut felis dorſum, cuius pilos manu fricuerat, filis tenuibus metallicis ex tubo metallico, quocum electricitas communicari poterat, pendulis, admovit, cum prope alteram tubi extremitatem alius ex nobis manu teneret orbem vitreum, conſperſum minutis leviſſimique ponderis particulis lamellarum metallicarum. Singulis frictionibus factum eſt, ut, cum dorſum filis metallicis admoveretur, minutiae metallicae in orbe vitreo exilirent tubum verſus eodem modo, quo fieri ſolet quando ex fricta ſphaera vitrea electricitas in tubum derivatur.

Cum vero ſaepſus accideret, ut manus fricantis ex tubo pendula fila metallica attingeret, tactuque impediret quo minus tubus electricitatem nanciſceretur: aliam viam ingreſſi ſumus, qua impeditio haec non fieret. Unus ex nobis animal ulnis impoſitum tenebat, alter ſtans in reti ſerico, quo minus accepta electrica vi privaretur, manu comprehenſum habebat tenue filum metallicum, alligatumque tubo electricitati recipiendae conſervandaeque idoneo. Hic modo eadem, qua filum metallicum tenebat, manu, modo altera fricuit pilos. Quolibet frictu fieri vidimus, ut ex orbe vitreo, quem tertius ex nobis prope alteram extremitatem tubi tenebat, minutiae metallicae variis ſaltibus agitarentur.

Denique pro manu fricante adhibuimus pannum, lanam, et pilos in faſciculum colligatos. Ut vero excitanda electricitas cum tubo metallico communicaretur, in pannum, lanam, et pilorum faſciculum, immiſimus pertenue filum argenteum, cuius altera extremitas tubo annexa erat. Reti ſerico inſiſtens electricitatis excitator, cum panno, aut lana, aut pilorum faſciculo

culo pilos animalis fricaret, ductu facto ſecundum dorſi longitudinem: exultare videbamus poſitas in orbe vitreo minutias metallicas. Quod indicio erat, in frictis pilis ſuſcitatas eſſe materiae electricae vires. Quas tamen haud obſervavimus tantas, quantas quidem vidimus cum manu, eaque ſicca ſatis et calida pili animantis fricarentur.

Itaque clarum eſt phaenomenon attractionis Ut certiores redderemur de phaenomeno repulſionis, tubo metallico adiunximus *Electrometrum* CANTONI, quod ciſtula lignea eſt oblongior, quae ſecundum longitudinem horizontaliter collocatur. In una extremitate ciſtulae, per anſulam traiectum eſt filum lineum, in duo brachia diviſum, quorum cuilibet annexus eſt globulus ſuberinus. Haec duo fila ſeu brachia in ſitu ciſtulae horizontali verticaliter pendent, atque inter ſe parallela ſunt cum globulis contiguis. His praeparatis, cum is, qui reti ſericeo inſiſtebat, manu pilos animantis fricaret, fila ſeu brachia et globulos a ſe invicem ſeiungi vidimus. Quod argumento erat, nacta eſſe brachia fili et globulos aequales vires electricitatis, quibus repulſionem fieri experimenta ſatis comprobarunt.

Tritu excitata *electricitas*, quae *primitiva* dicitur, in canum et felium pilis tanta eſt, ut ſi quis homini, qui in reti ſerico ſtans, manu per dorſum a capite caudam verſus ducta, pilos in dorſo fricat, digitum admoveat, inter hunc et ſtantis cutem parvae ſcintillulae emicent. Neque tantum homo ſtans in reti ſerico, ſed etiam filis ſericis alligata fila metallica, quorum ingens longitudo ſit, ex frictis pilis electricitatem ſubito concipiunt, talemque, ut in quovis fili loco, ad quem homo aut metallum, in quo electricitas excitata non ſit, propius accedit, ſcintillulae crepitantes progignantur. Hoc modo in filis metallicis procreata electricitas non deſinit ſtatim, ut excitatio primitivae in pilis intermittitur. Poſt viginti horae minuta prima, ex quo primitiva quieviſſet, obſervavimus adhuc vim electricam in tubo metallico, cum admoverentur poſitae in orbe vitreo minutiae metallicae, utpote quas cieri attollique videbamus. Memoratu dignum eſt, primo tempore poſt intermiſſam primitivae electricitatis excitationem, quae in filis metallicis ex frictis pilis generata



Digitized by Google

nerata ſit, *electricitatem derivativam* aliquatenus increſcere. Quod tum in exſilientibus minutiis metallicis, tum in ſeiunctione globulorum Electrometri, cuius modo mentio facta eſt, animadvertimus.

Experiri coepimus, inſitne electrica vis in pilis capitis humani. PUFENDORFIO, in Schola Electorali Grimmenſi, caput ardere viſum eſt inter pectendum, et SERVIO TULLIO puerulo dormienti circa caput flamma emicuit. *Ignem* hunc, qui *lambens* appellatur, cum ſimilis ſit lumini quo fricti canum feliumque pili in tenebris fulgent, ex vi electrica capillorum generatum eſſe non eſt cur diu dubitemus. Omnis vero, ſi qua ſuperſit, dubitatio, tollitur phaenomeno attractionis, quam ex inſtituta frictione capillorum in minutiis metallicis fieri obſervavimus. In capillis vero humanis tantam vim electricitatis non cognovimus, quantam quidem canum et felium pili fricti conſpiciendam praebuerunt. Ad proſperandam electricitatem capillorum humanorum proſunt inprimis pili ſicci et puri, adeoque qui non madeant pulvere odorato.

Quae ex frictione capillorum humanorum exiſtit, electricitas, cum corpore humano, cuius pili fricantur, non communicatur. E contrario canum et felium cutis, quando pili fricantur, electricitate imbuitur. Quod facile innoteſcit tentanti, ſi, facta frictione pilorum, felis aut canis auriculae digitum admoveat. Ex hoc enim atque auricula ſcintilla proſilit, cuius ſenſum animans reformidat. Haec igitur animantia praebent genus quoddam machinarum electricitatis, quae vivae nominentur.

Antequam, quid electricitatis fluidis certis animalium inſit, inquiramus, operam dabimus explicandae rationi, cur pilorum frictione electricitas prodeat, eademque in quodam genere animalium efficiat, ut eorum cutis adipiſcatur electricitatem derivativam. Pili, qui fricti electricitatem produnt, elaſtici ſunt, particuliſque conſtant, inter quas materia electrica hoſpitatur, quam fluidam itidemque elaſticam eſſe, rei electricae periti ſatis norunt. Pilorum particulae frictu comprimuntur. Concluſa materia electrica igitur, quia hoc preſſu urgetur, adeoque

que magis elaſtica efficitur, per poros pilorum penetrat, circaque eos diffunditur. Extra pilos itaque fluidum electricum colligitur, quod, cum extra pilos per ſpatium maius quam intra eorum poros diffuſum ſit, multo maiorem raritatem habet, quam, quae cuti inhaeret materia electrica, quae tamen in vicinia fluidi elaſtici rarioris pilorum actutum rareſcit, propterea quod, quia denſior eſt vim elaſticam maiorem habet cuius niſu in fluidum rarius pilorum irruit. Haec oriunda raritas materiae electricae in cute canum et felium aliquantiſper perduret neceſſe eſt, quia in pilis, qui fricti non ſunt, reliquamque corporis ſuperficiem veſtiunt, ita viſcida materia electrica haeret, ut parum ex ea in rarefactam materiam electricam cutis influat. Si vero ad cutem accedat digitus electricitatis expers, illico gignatur neceſſe eſt ſcintillula electrica. Nam digiti materia electrica denſior eſt, quam materia electrica rarefacta cutis, et particulis conſtat, quarum cohaereſcendi vis minor eſt vi elaſtica, qua fit, ut ex digito materia electrica in rarefactam materiam electricam cutis irrumpat. Hoc ipſo materia electrica digiti aliquantum rareſcit, et cutis materia electrica fit denſior. Derepente igitur, ex hac particulae electricae elaſtica vi, in materiam electricam rariorem digiti cum impetu refluunt. His motibus reciprocis, quibus particulae electricae ex animalis cute et hominis digito ſe mutuo petunt, excitatur lux et ſonus, adeoque crepitans ſcintilla.

Diſceptatur de natura luminis, quod noctu in oculo humano gignitur, ſi quis in eius ſinu cutem digito impoſito detrudat. Electricae indolis lumen hoc eſſe exiſtimo, propterea quod oritur frictu tunicae corneae, quae vitri ingenium refert, et aeque album videtur ac lumen electricum exiſtens in tubo vitreo qui aere vacat, ex motu frictuque mercurii vivi.

Ex hiſtoriis mira commemorat ZAHNIUS, in Oculo artificiali *, de hominibus, qui noctu et per tenebras aeque ac interdiu et per lucem viderint. Viſum adeo acrem habuiſſe dicitur GALENUS, ut poſt ſomnum patefactis repente palpebris magnam ante oculos lucem crebro perciperet. PLINIUS et SUETONIUS

 ſcri-

*) Fundamento I. Syntagmate II. Cap. 15. Quaeſt. 8. p. 141. et 142.

Digitized by Google

ſcribunt, TIBERIO Caeſari eam fuiſſe naturam, ut expergefactus noctu paulisper haud alio modo quam luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus. THOMAS WILLISIUS, de anima brutorum, narrat, ſe noviſſe quendam, qui poſt uberiorem vini generoſi potum, in nocte atra ſive profundis tenebris litteras diſtincte legere valuerit. ANTONIUS MERANDOLUS, Medicus et Prof. Aquenſis, auctor eſt, eruditum pharmacopolam teſtatum eſſe, per tempus certum ſibi accidiſſe, ut per unum et alterum menſem, ab hora paene undecima ad primam poſt mediam noctem circiter, lumen ex oculis effunderet, a quo totum cubiculum ita illuminaretur, ut quae in eo eſſent libere poſſet intueri. Quo caſu principio perterritum, cum praeceps ad lectum confugiſſet, et ſe totum ſub ſtragulis occultaſſet, non ſolum ibi eodem lumine corpus ſuum et lintea illuſtrata ſe advertiſſe, ſed aliquando litteras etiam legiſſe. Atque clarius hoc lumen fuiſſe addidit, et in longius tempus hoc paſſum ſe eſſe, in latus ſiniſtrum decumbendo, quam in dextrum.

Explicandae cauſſae luminis huius difficultatem affert magnitudo claritatis. Sed ex tempore, quo homines illud ſenſerunt coniectura mihi naſcitur, eius originem quaerendam eſſe in frictu oculi per palpebrarum ſuperficiem internam facto. Ex ſomno patefactis palpebris, quae arcte comprehenſam tunicam corneam tenuerant, excitatum eſt hoc lumen. Rapida nimirum ſeiunctione palpebrarum factum eſſe videtur, ut fricaretur cornea, eoque ipſo ſuſcitaretur materiae electricae vis. Sed unde nactum eſſe putemus lumen electricum tantam claritatem? ex tunicae corneae ſiccitate, et frictarum partium multitudine, materiaeque electricae abundantia, qua horum hominum oculi prae aliis valuerint. Experientia enim docuit, quo ſicciores ſint ſphaerae vitreae, et quo maiorem ex hac ratione habeant elaſticitatem, eo maiorem in iis frictione cieri electricitatem. Non eſt quod exemplum hominis, qui noctu poſt uberiorem vini generoſi potum viſu praecelluit, dubitationem afferat. Siccitati nihil officit potus hic. Calor potius, quem in ſanguine efficit, humores excitandae electricitati nocivos diſpellit. Neque coniecturae derogat paucitas exemplorum, quae

littera-

litterarum monumentis celebrantur. Non deſunt memorabilia, quae litteris non mandantur. Reperiuntur homines, qui ad ea quae ſibi accidunt, licet memoratu digna ſint, animum minus diligenter attendant. In tenebris mihi reptanti, oculosque verſanti, accidit nonnunquam, ut lumen ſentirem ita validum, ut, quae ob oculos eſſent, bene colluſtrata viderentur. Aliquot abhinc annis hoc animadvertere coepi. Et cum animum inſtituerem ad cogitandum de ratione et cauſſa, memini temporis, quo huiusmodi aliquid ſenſerim incurioſus.

Viſus in nocturnis tenebris perrarum exemplum, Collectores Ephemeridum german. a D. ALHARDO HERMANNO CUMMIO relatum, commemorant. Vir quidam eruditus, cuius dexter oculus, inſtrumenti muſici chorda rupta percuſſus fuerat, cum laboribus et curis feſſum animum muſica recreaturus fides aptaret, poſt uſum medicamentorum, quibus inflammationi oculi laeſi obviam iretur, ex ſomno expergefactus nocte iam adulta, cuncta clare vidit ac ſi de die eſſet, adeo ut et minimos picturarum et tapetum tractus obſervaret, characteresque in libris dignoſceret. Mirabundus oculum laeſum claudit. Denſae ubique tenebrae. Sanum dum claudit, ubique lux clara. Vocat ſervum, poſcitque lumen candelae, ſed ſuſtinere non poteſt ob ſplendidos moleſtosque colores. Idem de die fit, ſole aliquantum ſplendente. Unde coactus eſt efficere, ut laeſus oculus ſemper clauſus maneret. Hoc ſymptoma duravit per aliquot dies. Inde ſenſim evanuit. De mirabilis huius effectus cauſſa commentationem THUMMIGIUS *) A. 1723. edidit, in qua ex oculi laeſione exortam eſſe putat inflammationem in tunica retina, eiusque nervulos ita intumuiſſe, ut lucem debilem in nocturnis tenebris adhuc ſuperſtitem ſentire valerent. Quamvis autem haud plane negaverim, ex certis vaſculis diſruptis effuſos eſſe humores, eorumque collectione effectam in retina extraordinariam nervulorum tenſionem: attamen non video, cur ab inflammatione et tenſione libera prorſus manſerit tunica cornea, utpote quae ex rupta chorda plagam accepit. Si

 vero

*) In dem Verſuche einer gründlichen Erläuterung der merkwürdigſten Begebenheiten in der Natur, im 4ten Stücke.

Digitized by Google

vero in partibus corneae tenſio facta fuerit, lumen, quod noctu oculum laeſum complevit, pro electrico potius habendum eſſe apparet, quam pro lumine debili a rebus externis in oculum reflexo. Certe lumen, quod circa oculum exiſtit, quando palpebrae huc illuc moventur, tantae claritatis eſt, quantae quidem lumen electricum, quod ex motu frictuque mercurii vivi in tubo vitreo et aeris vacuo gignitur, et quod litteras vicinas viſibiles reddit. Quo tenſior fuerit tunica cornea oculi laeſi, eo validius lumen electricum excitari potuit reciprocis palpebrarum motibus, quibus modo clauſae, modo patefactae fuerunt. Impendio tenſam fuiſſe oculi laeſi tunicam corneam, ex dolore coniicio, quem praevalens viſu ſenſit ex lumine ſolis et lucernae, utpote quod ne ſanus quidem oculus ferre poteſt ſine moleſtia, ſi in tenebris aliquamdiu verſatus ſubitum luminis ictum accipiat.

Vidimus, in pilis animantium et tunicis corneis oculorum ineſſe electricam vim, quae frictione excitari poſſit. Quaeramus de animantium fluidis, quae eandem vim complectantur. In his electricitate inſignis eſt materia oleoſa, ex qua bombyces fila ducunt, quorum vim electricam demonſtrant tentamina, quibus potiſſimum in Anglia peritiſſimus SYMER inclaruit, quorumve ſummam ex eius libro anglico mihi tradidit excellentiſſimus in Academia noſtra Graecae Latinaeque Linguae Profeſſor, CAROL. CHRISTIAN. WOOGIUS, Collega cariſſimus. Electricitatem vero filorum ſericorum SYMER exploravit ope tibialium ex iis contextorum quibus calore bene ſiccatis, modo pedes et crura, modo manus veſtivit, atque huc et illuc trahendo fricuit. Qua frictione ipſa tibialia fricta prodiderunt phaenomena lucis et attractionis atque repulſionis. Iam nigra iam alba tibialia induit, manumque modo uno tibiali, modo duobus veſtivit. Maior electricitas exiſtit frictione pedum, quam manuum. Manu aut pede frictum tibiale, quando Electro CANTONI in materia per ſe electrica ut in tabula vitrea, poſito admovetur, cum filis ſeu fili brachiis et globulis electricitatem communicat, qua fit, ut globuli a ſe invicem diſcedant. Minutiae metallicae tibialia verſus ex diſtantia pedali et bipedali aſſiliunt. Et cum tibiali

fricto.

Digitized by Google

fricto, quo manus induta eſt, digitus admovetur, ex digito et tibiali emicantes ſcintillae in tenebris viſum afficiunt. Cum tibiale huc illuc per ſuperficiem manus trahitur, ſtridor auditur, qualis aures ferit, cum ſecundum tubi fricti vitrei longitudinem digitus, ſervata ab eo certa diſtantia, promovetur. Frictum exutumque tibiale quodammodo inflatur. In albis nigrisque tibialibus magnum electricitatis diſcrimen deprehenditur. Album, quo manus induta eſt, huc illuc tractum frictumque, neque ſtridorem, neque ſcintillas edit. Idem defectus obſervatur, cum manus induta eſt duobus tibialibus albi coloris. Neque quicquam electricitatis prodit, ſi album, quo manus induta eſt, nigro circumdatur, quamdiu ambo vel in manu, vel exuta, coniuncta manent. Exuta vero, et a ſe invicem ſeparata, inſignem monſtrant electricitatem. In Electrometro enim fili brachiis annexi globuli attrahuntur per trium quatuorve digitorum diſtantiam a tibiali nigro, ſi Electrometrum poſitum ſit in tabula quae per ſe electrica non eſt. In diſtantia minori vehementer agitantur. Eundem effectum praeſtat tibiale album. Si Electrometrum in tabula vitrea locatum ſit, in tibialis albi vicinia globuli primo attrahuntur, pauloque poſt repelluntur, tibialique ab Electrometro prorſus remoto, globuli ſe invicem repellunt. Si rurſus Electrometro tibiale album admoveatur, globuli repelluntur ut ante. Si tum albi locum occupet nigrum, illico globuli attrahuntur, brevique poſt repelluntur. Si ambo tibialia intervallo certo inter ſe diſtent, inflari videntur, et formam pedis repraeſentare; ſique faciei admoveantur, auram frigidulam ſpirant. Si vel duo alba, vel duo nigra, poſt frictum ita ſuſpenſa teneantur, ut extremitas unius extremitatem alterius propemodum tangat, a ſe invicem repelluntur, angulumque 30 pluriumque graduum formant. Album et nigrum, ſi certo intervallo inter ſe diſtent, ſe mutuo attrahunt pro vi excitatae electricitatis; inque diſtantia unius fere pedis rapido motu verſus ſe invicem feruntur, factoque contactu omnem inflationem amittunt, arcteque ſibi mutuo applicantur, atque in Electrometro nihil prorſus electricitatis ſignificant; ſeparata vero rurſus a ſe invicem per diſtantiam certam inflantur, et ſe mutuo iam repellunt, iam attrahunt. Si quis una manu duo nigra tibialia fricta, alteraque duo alba ſuſpenſa teneat: tibialia diverſorum colorum ad ſe invicem accedunt, minutoque intervallo quaſi in unum coeunt; ſeiuncta vero rurſus per intervallum certum formam priorem recipiunt. Facta ſeparatione vim electricam brevi perdunt, in coniunctione vero per unam duasque horas conſervant. Si extra coniunctionem ſint, unique lata ſuperficies corporis electricitate vacui admoveatur, difficulter demitur electrica vis, quae admota cuſpide metallica e momento perit. Coniuncta diverſorum colorum tibialia frictu excitatam electricitatem ita pertinaciter tuentur, ut cuſpides metallicae ad eam tollendam nihil propemodum valeant. Si ſecundum fricti tibialis longitudinem in diſtantia duorum pollicum digitus promoveatur, emicantium ſcintillarum continuatio et ſeries certa exiſtit. Quod phaenomenon octies et pluries interdum revocari poteſt. Si pro tibiali nigro album adhibeatur, pro ſcintillulis, quae in vicinia nigri tibialis ex apicibus digitorum emicant, in iis globuli lucidi ſubcaerulei coloris apparent, qui, ſi electricitas ſatis valida ſit, ſibilum edunt.

Frictu

Digitized by Google

Frictu excitata in tibialibus electricitas communicari poteſt more Muſſchenbroeckiano cum aqua in vaſe vitreo contenta, ſi tibialia filis metallicis ex aqua et vaſe prominentibus, admoveantur. Quae vero ex tibiali albo in aquam derivata eſt electricitas extinguitur, admoto fricto tibiali nigro. Et admotu fricti tibialis albi electricitas perit ex tibiali nigro in aqua procreata. In menſe Decembri aliquando gelida tempeſtate memorabiles effectus obſervavit SYMERUS, cum ex tibialibus frictu pedum excitatam electricitatem in mercurium vivum in lagena vitrea contentum derivaſſet. Ex uno tibiali fricto derivata electricitas admotum digitum concuſſit. Vehementior fuit generata ex duobus tibialibus frictis. Concuſſio ex digito in ambo cubitos penetravit. Ex quatuor tibialibus in mercurio vivo procreata electrica vis ſpiritum vini inflammavit, et corpus tentantis ita pervaſit, ut pectus concuteretur.

Haec de vi electrica filorum, quae bombyces ex materia oleoſa ducunt. Quoniam fila erucarum et aranearum eiusdem generis ſunt, periculum faciendum eſt, num in iis etiam frictu excitari poſſit vis, quae attractionis et repulſionis atque lucis phaenomena exhibeat. Quae ſi prodierint, argumento erunt, fluidis, ex quibus erucae et araneae fila producunt, itidem ineſſe virtutem electricam.

Ex pilis praeſertim caſtoreis contexta tibialia, quando induta manu fricantur, vel rapido motu exuuntur, in tenebris ſublucent. Idem obſervabile eſt in tibialibus quorum textura filis laneis conſtat. Cuius phaenomeni memorabile exemplum nuper ad me perſcripſit amicus, cui inopinatae lucis exortus mirationem fecerat. Accidit vero hoc, cum pedes eundo aliquantulum incaluiſſent. Tibialia induerat veſperi, ut, cum ita polita eſſent ut rigerent, induendo et exuendo molleſcerent. Ita arcte complexa erant crura et pedes, ut, cum de iis detraherentur, vehementior frictio fieret. Lucem miratus, tibialia rurſus induit, et, ut certius penſiusque obſervaret, lente detraxit. Sed nihil lucis apparuit. Denuo induta detraxit perniciter, rurſusque emicans lumen vidit. Repetito aliquoties tentamine, nullum amplius lumen extitit, quod filorum elaſticitas ob oriundam mollitudinem debilitata eſſet.

Pennae, quando fricantur, itidem phaenomena attractionis et repulſionis praebent. Quod experimenta teſtantur, quae in pennis corvinis anno ſuperiori cepit electricarum virium ſagaciſſimus indagator HARTMANNUS, qui adminiſtrando fiſco noſocomii regii Hannoverae praeeſt.

Pennae, lana, et pili, quia ex materiis in ſanguine latentibus naſcuntur, quicquid electricitatis primitivae habent, hoc ipſum ex ſanguine proficiſci facile collectu eſt. Num vero, quae in ſanguine continetur materia electrica ita tenax ſit, ut ad excitandam eius vim aeque ac in pilis, lana, et pennis, frictu opus ſit, an eo demum tempore, quo lana, pennae, et pili, ex materiis ſanguinis coaleſcunt, iſtam tenacitatem conſequantur, hoc in difficili diſceptatione verſatur. Pix, quamdiu firma eſt, ita tenacem complectitur materiam electricam, ut, quae in corpore metallico excitata eſt, materiae electricae attactu non ſolvatur. Nam firmae picis haec natura eſt, ut in ea collocatum metallum conſequi poſſit electricitatem derivativam. Si autem ex catena pendulum corpus metallicum ſuperficiem picis liquefactae attingat, parum aut nihil electricitatis communicatae exerit.

Similiter ambigua quaeſtio eſt, an oleoſae materiae, ex quibus fila bombycum et erucarum atque aranearum concreſcunt, materiam electricam contineant, cuius tenacitas tanta ſit, quanta eſt materiae electricae filis immixtae. Fieri ſolet, ut bombyces interdum abundantis olei quicquam eructent. Itaque experiundum eſt, num filum metallicum filo ſerico annexum, quocum electricitas communicatur, olei huius attactu amiſſurum ſit eam, an ſalvam conſervaturum.

Digitized by Google


*de Minimi Principio*, ſeparatim edita. Quod num perfecerim, ſit penes intelligentes iudicium. Interim alia quaedam, quae

 de

Digitized by Google

Novembr. pag. 481. ſq.

Fig. 2.




quocum electricitas communicatur, olei huius attractu amiſſurum ſit eam, an ſalvam conſervaturum.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Novembris Anno MDCCLXIX.*

## *DE VIA FACILLIMA IN MOTU CORPORUM.*

*Auctore IOHANNE NICOLAO TETENS, Phyſ. Pr. P. O. in Acad. Frid. Büzzovienſi.*

I.

Ex quo *Principium Minimi* in Philoſophia naturali *Maupertuiſius* propoſuerat, multa cum de hoc Minimo, tum, quod a plerisque pro eodem habitum eſt, de *via breviſſima* et *facillima* in motu corporum, diſputata ſunt. Pleraque aut ad caſus quosdam ſpeciales tantum reſtricta, aut vaga, confuſis ad unum, quae erant diverſa, eoque maiorem et dignitatis et foecunditatis ſpeciem habentia: non enim ſatis exacte definitum erat id, quod in relativis hiſce *Minimi*, *Breviſſimi*, et *Facillimi* notionibus, re in univerſum conſiderata, ſumendum erat pro conſtanti; ad quod tamen, quae ſic dicuntur, referri oportet, ſi verus vocabulorum ſenſus rite debeat intelligi. Ad *Minimi Principium* quod attinet, verum eius ſenſum ut definirem, demonſtraremque, ſic definitum eſſe generale aliquod Mechanices principium, et in motu et in actionibus corporum mutuis obtinens, domeſticum quoque, et arcte cohaerens cum reliquis principiis, quae ab omnibus pro axiomatis ſolent haberi, operam dedi in *Commentatione de Minimi Principio*, ſeparatim edita. Quod num perfecerim, ſit penes intelligentes iudicium. Interim alia quaedam, quae



Digitized by Google

de *facillimo* in motu corporum in mentem venerunt, hoc loco proferam.

2.

Tab. IV. *Sint* (Fig. 1.) *A B, A C, duae vires agentes in punctum A, in directionibus A B, A C, ſitque poſitio earum data per angulum B A C, uti et magnitudinis earundem per lineas A B, A C. Eſt A B C D parallelogrammum virium, A D diagonalis intra angulum virium, et B C diagonalis huic angulo oppoſita. Fiat quaecunque virium A B et A C reſolutio ad lineam aliquam A m in alias perpendiculares ad ſe invicem, e. g. reſolvatur A B in A s et B s; A c in A t et C t, ſicut A t et A s ſint in eadem directione lineae A m, ideoque reliquae duae B s et C t in eadem aut parallela directione. Denique ſumantur ſummae virium in eadem directione ad eandem partem agentium, id eſt convenientium, e. g. A t + A s; differentiae autem illarum, ubi in contrarias agunt partes, et ſibi oppoſitae ſunt. Quibus praemiſſis, ſumma virium convenientium in eadem directione aut differentiae oppoſitarum, Maxima eſt in directione diagonalis A D, ex angulo virium ductae, omnium aliarum, quae datis virium magnitudinibus et poſitione in una eademque directione eſſe poſſunt.*

Hoc quidem theorema, cum ab aliis, tum a me ipſo alibi iam propoſitum, hoc loco repetere neceſſe duxi, et non inutile paullo diſtinctius idem exponere, cum plurima deinceps dicendorum illi imitantur. Veritas autem eius absque ullo calculo ſic facillime perſpicitur. Sumtis, quae poſita ſunt, datur, quod notiſſimum eſt, tertia aliqua vis diagonalis, quae actioni duarum virium lateralium coniunctarum ſufficienter ſic poteſt reſiſtere, ut aequilibrium inde oriatur; et hanc quidem vim oportet habere magnitudinem *A d* = *A D*, et poſitionem in eadem linea *A D* ad partem oppoſitam. Quodſi itaque ſumatur alia quaedam directio, *A m*,

et

et poſſe fieri, et ſumma virium lateralium in hac linea *Am* ad eandem partem convenientium, (aut differentia earundem ſi ſint contrariae,) ſit maior illa, qua coniunctim agunt in linea *AD*, neceſſe ſimul foret, ut huic potentiae in *Am* reſiſteret aliqua vis ad aequilibrium efficiendum, maior illa *A d*. At cum haec *A d* ſufficit ad aequilibrium in quacunque directione, in qua punctum *A a* viribus *AB*, *AC*, moveri queat, dari oporteret directionem aliquam *A m*, in qua vis *A d* maiori agat intenſitate, maioremque exerceat reſiſtentiam, quam in ipſa directione ſua *A d*. Id quod nulla ratione fieri poteſt, cum, quacunque facta reſolutione ex vi *A d* in duas alias perpendiculares, ſingulae hae poſteriores minores erunt vi in directione *A d*, ſicut ſingula latera trianguli rectanguli hypothenuſa minores ſunt.

Haud tamen inutile eſt, calculum etiam in ſubſidium vocare, quo plures caſus, qui hic occurrunt, facilius omnes perſpiciantur.

Sumatur *A m* linea, ad quam fiat reſolutio virium *AB*, *AC*; illius in perpendiculares *A s*, *B s*; huius in *At* et *C t*. Dicatur angulus *BAs*, *a*, et *CAs*, *b*; et quia angulus *B A C* conſtans eſt, erit quoque conſtans aut ſumma angulorum, ( $a + b$,) ſi nempe linea *A m* cadit intra angulum virium (Fig. 1.), aut differentia illorum, ($a - b$,) ubi linea *A m* cadat extra angulum virium, (in Fig. 2.).

Cum autem dato angulo *B A C*, datur ſimul angulus *A B D*, complementum illius ad duos rectos; in iis quoque caſibus, ubi aut ſumma, $a + b$, aut differentia, $a - b$, aequalis eſt angulo *A B D*, illic ſumma, hic differentia, erit conſtans quaedam quantitas.



Digitized by Google

Ubi autem ſumma angulorum, $a+b$, ideoque ſin. $(a+b)$ conſtans eſt, habetur

$$\frac{d.\ \text{ſin}\ b}{\text{coſ.}\ b} = -\frac{d.\ \text{ſin.}\ a}{\text{coſ.}\ a}.$$

Sumta deinde differentia angulorum $(a-b)$ et ſin. $(a-b)$ pro conſtante, eſt

$$\frac{d.\ \text{ſin}\ b}{\text{coſ.}\ b} = \frac{d.\ \text{ſin.}\ a}{\text{coſ.}\ a}.$$

Eſt $As$ (Fig. 1.) $= AB.$ coſ. $a$, et $At = AC.$ coſ. $b$. Hinc ſumma virium convenientium $As + At = AB.$ coſ. $a + AC.$ coſ. $b$; $BS = AB.$ ſin $a$, et $Ct = AC.$ ſin. $b$. ideoque ſumma virium oppoſitarum $Bs + Ct = AB.$ ſin. $a + AC.$ ſin. $b$.

Si $As + At =$ Maximo, et $R =$ ſinui toto, eſt $AB.$ coſ. $a + AC.$ coſ. $b = AB \sqrt{R^2 - \text{ſin}\,a^2} + AC. \sqrt{R^2 - \text{ſin}\,b^2} =$ Max.

et

$$\frac{-AB.\ \text{ſin.}\ a.\ d\ \text{ſin.}\ a}{\text{coſ.}\ a} - \frac{AC.\ \text{ſin}\ b.\ d\ \text{ſin.}\ b}{\text{coſ.}\ b} = o$$

*Primo* ſumatur ſumma $(a+b)$ conſtans, ideoque

$$\frac{-d\ \text{ſin.}\ a}{\text{coſ.}\ a} = \frac{d\ \text{ſin}\ b.}{\text{coſ.}\ b.},$$ et habetur

$AB$ ſin $a - AC.$ ſin $b = o$

$AB$ ſin. $a = AC$ ſin. $b$, ſive $Bs = Ct$.

Ubi autem $Bs = Ct$, oportet $Am$ eſſe diagonalem $AD$.

*Secundo*, ſi eiusmodi ſumatur poſitus lineae $Am$, ut ſumma angulorum $(a+b)$ evadat aequalis angulo $ABD$, complemen-

Digitized by Google

Quodſi angulus virium ſumatur $ABD$ (Fig. 2.) et $AD$ diagonalis angulo illi oppoſita, directio $Bm$, ad quam $Am$, $Dn$, perpendiculares in hoc caſu indicant vires convenientes; harum differentia eſt maxima, ubi $Bm = Bn$, id eſt in directione diagonalis $AD$, angulo virium oppoſitae.

Eſt enim $Am = BA$ ſin $a$, et $Dn = BD$ ſin $b$, et differentia $Am — Dn = BA$ ſin $a$ — $BD$ ſin $b$ = Max. Quare, quia hic $(a — b)$ eſt conſtans, $BA$ coſ. $a = BD$ coſ. $b$, id eſt $Bm = Bn$.

Datur quoque in *ſumma convenientium* $At + As = Am$, *Minimum, antequam illae evadant oppoſitae*, et in *ſumma oppoſitarum*, $Bs + Bt$, *Minimum, antequam illae evadant convenientes.* Et utrumque illud coincidit, et invenitur aut in directione $Ap$ (Fig. 3.) perpendiculari ad directionem $AB$, aut in $Ao$ perpendicularem ad $BD$, et ad parallelam huius $AC$, prouti vel $AB$ maior eſt $AC$, vel haec vis maior illa. Quia enim $Am$ = ſummae convenientium, $AD$ ſin. $ADm$ minima eſt in ſitu $Ap$, antequam $At$ et $As$ evadant oppoſitae, aut in ſitu $Ao$, prouti angulus $ADC$ aut $ADB$ minor eſt. Quod tamen Minimum, licet alioquin magni momenti, in praeſenti mittamus.

3.

In tranſitu moneo, dari, quod ex dictis perſpicuum eſt, *Maximum quid in quocunque triangulo.* Sumto enim angulo quodam, e. g. $BAC$ (Fig. 1.) conſtante, et latus oppoſitum $BC$ Maximum eſt quantitatum ſic enuntiatarum, $AB$ ſin. $a$ + $AC$. ſin. $b$, prouti datus angulus, horum $a$ et $b$ aut ſumma eſt, aut differentia.

Et ſi ſumma angulorum lateri cuidam trianguli adiacentium, e. g. $BAD$ et $BDA$, ſumitur conſtans, et vel ſum-

Digitized by Google

ſumma aliorum *a* et *b*, vel differentia; linea adiacens *AD* eſt maxima inter *AB* coſ. *a* + *A C.* coſ. *b*.

4.

Eodem, aut ſimili ratiocinio generali, quo in Theoremate praecedenti uſus ſum, apparet, *corpus quodcunque a quibuscunque viribus ſollicitatum, eam ubique ſequi directionem,* ſi non adeſt aequilibrium, *in qua ſumma omnium virium convenientium, aut differentia oppoſitarum eſt maxima, quae in una eademque directione eſſe queat,* datis nempe virium poſitionibus et magnitudinibus. Quodſi itaque vis inſita corporis, qua directionem aliquam perſequitur, eſt *V,* ſollicitaturque idem a viribus aliis *R*, *S*, etc. motum eius aut adiuvantibus, aut impedientibus, facta reſolutione harum virium ad eandem directionem, *V* + *R* + *S*, in ea directione dabunt Maximum, in qua corpus progreditur. Si duae tantum adſint vires, et ſibi contrariae, *V* — *R*, id eſt, differentia earum in directione motus eſt Maximum quid.

Id quoque ſic poteſt exprimi: *corpus ſequitur directionem ſibi facillimam*, eam nempe, in qua vis, qua progreditur, eſt maxima. Si *R* denotat vim contrariam alteri *V*, illa quidem in alia directione minor eſſe poteſt quam in illa, in qua fit motus; at tunc quoque *V* multo eſt minor ſic, ut *V* — *R* in nulla alia maior ſit quam in illa, in qua corpus progreditur. Hoc autem principium, corpus ſequi directionem facillimam, tum quoque locum habet, ubi inſita vi et celeritate, nulla alia accedente, prodiens in eadem directione et celeritate perſeverat. Nam et in hoc caſu directio, in qua moveri pergit, eſt corpori omnium facillima.

Hoc autem principium, generale ſane et domeſticum in Mechanica, num peculiarem aliquam uſum praeſtet in ſolutionibus problematum facilitandis, in praeſenti non inquiram;

ram; dubium autem id vix eſſe ulli poteſt, qui, quid valeat, non dico novum axioma aliquod univerſale, ſed axiomatis eiusmodi alia novaque conceptio, in perſpiciendo veritatum nexu, conſideraverit.

5.

Poteſt autem *V* — *R* diverſis rationibus eſſe *Maximum*. *Primo* quidem, ubi neque *V*, ſeorſim conſideratum, eſt Maximum, neque *R* Minimum; *ſecundo*, ubi tum *V* Maximum, tum *R* Minimum eſt; *deinde*, ubi *R* in pluribus directionibus eſt conſtans et aequale, *V* autem in illa in qua fit motus, maximum; et *denique*, ubi *V*, ſive vis inſita corporis, in quibuscunque directionibus idem et conſtans eſt, *R* autem in directione motus Minimum.

Ultimum horum caſuum praecipue conſideremus. Eſt enim hic directio, quam corpus perſequitur, non ſolum *ſibi* facillima, quod ubique eſt, relata nempe ad vim, qua corpus urgetur, ſed etiam facillima eſt in ſe conſiderata. Atque eiusmodi quidem caſus eo diſcrimine notemus, ut dicantur *motus in directione facillima*, aut *in via facillima*, ſi hac phraſi uti lubeat, ab illa tamen *via facillima*, quam deinceps magis definiam, diſtinguenda.

6.

Eiusmodi *directionem facillimam* invenimus in motibus fluidorum, quae etſi premunt, et preſſionibus ſuis motum efficere conantur, facillimos quaerere exitus, et ſi in motu actuali conſtituta progrediuntur, eo flecti, ubi minima adſint impedimenta, obſervantur, quousque vehementia progreſſus curſum eorum liberum quaſi eſſe permittat. Haec diſtinctius exponam.

Sit *a* (Fig. 4.) particula fluidi cuiusdam in vaſe *ACDB* incluſi, et ſollicitati a viribus quibuscunque. Et notiſſima eſt

eſt haec fluidi natura, ut ſingula puncta premantur aequali vi ad quaſcunque directiones. Vis igitur inſita particulae *a*, ſive *V*, aequalis eſt ad diverſas directiones *am*, *an*, *ao*. Sumatur, in iisdem directionibus oppoſitas eſſe viribus urgentibus reſiſtentias diverſarum magnitudinum, ſingulas autem a vi premente *V* ſuperabiles; et moveri punctum *a*, ſi ponitur eſſe indiviſibile, ad eam oportet directionem, in qua reſiſtentia oppoſita reliquarum minima eſt. Si autem plura ſumantur puncta *a*, *b*, *c*, aut unum aliquod in plura diviſum, quibus ſingulis una oppoſita eſt reſiſtentia ſuperabilis, motus quoque orietur per ſingulas vias *am*, *bn*, *co*, at maiori celeritate per eam, in qua reſiſtentia eſt minima. Atqui in hoc quoque poſteriori caſu ſingula puncta ſequuntur *directionem facillimam*. Exeuntibus enim ſimul *a* per *am*, *b* per *bn*, et *c* per *co*, et reſiſtentia per *am* ſumta minima, maiori per *bn*, maxima harum per *co*, exitus qui datur particulae *c* per *co*, quamquam minus facilis illo, qui datur puncto *a* per *am*, facillimus tamen eſt illorum, per quos hoc punctum exire poſſit. Nam hoc punctum *c*, ſi debuiſſet exire per *bn*, maiorem habuiſſet reſiſtentiam a reactione puncti *b* ſimul exeuntis, aequalem nempe integrae preſſioni *V*, quam in directione propiori *co*. Hac igitur ratione ſingula puncta, quorum preſſio ad omnes partes aequalis eſt, ſeorſim conſiderata, eo fluunt, ubi reſiſtentia oppoſita minima, ideoque *V* — *R* Maximum quid eſt.

7.

Haec quoque directionis facillimae perſecutio maxime perſpicua fuit in phaenomeno, quod ſe obtulit cel. Dno. *Silberſchlag*, et in *Experimento ſecundo* collectionis ſuae editae ſub titulo: *Cloſter-Bergiſche Verſuche*, deſcriptum eſt. In cylindrum aeneum *ACDB* (Fig. 4), in quo aer rarefactus fuerat, intrudi debuit embolus *IL*, ſic firmatus, ut minori vi cylindrus attolli, quam embolus ad cylindrum deorſum premi potuerit. Elevatus igitur fuit cylindrus ab elaſtici-

tate aeris externi et ad embolum preſſus, at ſingulari hac ratione, ut adſcendens ſimul in gyros rotaretur, et circa embolum, qui ipſe in rotundum agi non poterat, cochleae matris inſtar, in linea ſpirali converteretur.

Huius phaenomeni ratio ſic mihi concipi poſſe videtur. Quae apprimendo cylindro ad embolum obſtabant reſiſtentiae, oriebantur ex frictione, et quidem cum ex adhaeſione orbis emboli *AB* ad internam cylindri ſuperficiem, tum ex frictione et novo attritu, ad partes exſtantiores in ſuperficie cylindri infra orbem *AB* deprimendas, ſi cylindrus ſurſum ad embolum adprimeretur. Erat igitur vis reſiſtentiae maxima in directione verticali, (ſit *AB* Fig. 5.) in horizontali contra *AD* aut *AE*, illa tantum ſuperanda erat pars, quae ex adhaeſione oritur, quaeque illa priori ex nova frictione generanda multo minor eſt, cum particulae prominentes inter utramque ſuperficiem iamiam depreſſae, et ipſae ſuperficies coniunctae aliquo modo laevigatae erant. Id quod in aliis quoque frictionibus locum habet, quae facilius ſuperantur motu ſpirali, coniuncto motu parallelo cum perpendiculari. Quare in hoc caſu vis reſiſtentiae in directione aliqua obliqua (*AC* Fig. 5.), aut *Ac* Fig. 4. multo minor erat quam in directione verticali *A B*.

At ne ſic quidem ratio iam aderat motus ſpiralis, multo minus cur ad unam potius partem rotaretur cylindrus quam ad oppoſitam. Aer enim, cylindrum undique circumfluens, in ſingulis punctis cuiusvis plani horizontalis aequaliter ad contrarias partes illum convertere conatur; ex qua actione aequilibrium in eiusmodi plano ſervari oportuiſſet, niſi cohaeſio emboli cum cylindro, converſioni huius obſiſtens, ab una parte minus impedimentum effeciſſet quam ab alia. Si enim aequalis et eadem fuiſſet haec adhaeſio, motus horizontalis ubique ad contrarias partes aequaliter generandus nullus omnino oriri potuiſſet. Sic autem, uti dictum

eſt,

eſt, rem ſeſe habuiſſe exinde conſtare videtur, quod referente Dno. *Silberſchlag*, embolus quandoque ob maiorem glabritiem, minoremque adhaeſionem, in una ſemiperipheria magis elevatus fuerit quam in altera. Qua ex cauſſa vis aeris, cylindrum ab utraque parte oppoſita in horizontali directione aequaliter convertere conans, minorem experta eſt reſiſtentiam ab una parte quam ab altera; indeque orta eſt potentia aliqua ad motum horizontalem efficiendum. Qua quidem accedente, reſiſtentia *AB*, Fig. 5. quae in directione obliqua *AC* reducta eſt ad minorem *DC*, ſuperari potuit facilius. Hac enim ratione, motu horizontali nempe *AD* ſuccurrente, ad motum ſpiralem ſuffeciſſet vis ſurſum directa paullo maior quam *CD*, licet minor ſit quam reſiſtentia in verticali *AB*,

8.

Subſtituta, in locum elaſtici aeris aut fluidi prementis, alia quadam preſſione corporis rigidi, qualis foret elaſterii *MNsr*, ſic in ſolo in *M* firmati, ut revolui non poſſet, videmus motum horizontalem, ob frictionem partium *rs*, ad ſuperficiem inferiorem cylindri impeditum fuiſſe, nec in hoc caſu aliter motum potuiſſe oriri, niſi in directione verticali, ad quem opus fuiſſet preſſione in hac linea maiori, vi reſiſtente *AB*. Dico ob frictionem partium rigidi corporis, motum ſpiralem impedientem id neceſſe fuiſſe; non per naturam preſſionis, quae in rigido corpore eiusdem eſt naturae ac in fluido, quantum cohaeſio partium eſſe permittit. Premente fluido, preſſionem in latera cylindri *AC*, *BD*, mente poſſumus ſeparare, et ſufficit, ut directio preſſionis ſit verticalis *NL*. Ita enim illa agente in punctum *A* in directione *Ab*, haec particula, licet rigidi corporis, aeque ac in fluido, conatum concipit ad omnes directiones aequalem; quamquam moveri ſicut in fluidis, ob cohaeſionem partium, nequeat. Quare caeteris nempe reſiſtentiis manentibus, punctum *A* in hoc quoque caſu cedere oportet in obliquum

 *Ac*,

Digitized by Google

*At*, niſi haec via impedimento aliquo intercluſa fuerit. Atque id quidem poſterius factum fuiſſet, partibus rigidi corporis *s r* fortiter appreſſis ad *C D*, et horizontalem converſionem retinentibus.

*Dantur itaque caſus, in quibus motus, qui a preſſione fluidi alicuius efficitur, ab aequali vi corporis generari non potuiſſet.* Et ſic habemus in *actionibus fluidorum Minimum* aliquod virium, quod in rigidorum actionibus non invenitur: ſi enim vis inſita *V*, in utroque corpore, fluido et rigido, eadem eſt, *V — R* tamen minor erit in illo, ob directionem minimae reſiſtentiae, ad quam vis fluidi, non itidem rigidi, deflecti et accommodari poteſt.

9.

Corpus in motu conſtitutum progrediatur celeritate *AB*, (Fig. 6.) in directione *A B*, et in puncto *B* incurrat in obſtaculum *CD*, immobile et perpendiculare ad *A B:* ſi rigidum eſt corpus incurrens, aut omnem vim et motum amittet, aut reſiliet in eadem directione *A B*. Quare, ſi impedimentum in *B* maius eſt, quam ut ſuperari queat a vi corporis impingentis, hoc quoque in via ſua *A B* ultra *B* progredi non poteſt. In fluido contra, ſtatim cum hoc in obſtaculum *B* impegerit, celeritas et vis, quae ſingulis particulis ineſt, ad eum redit ſtatum, in quo eſt preſſio in caſu ante n. 6. conſiderato, ſic ut ad ſingulas quaqua verſus tendat directiones *b o*, *b p*, *a n*, *a m*, etc. aequaliter, et eam vere ſequatur, in qua reſiſtentia eſt minima. Idem locum habet, ubi fluidum in curſu ſuo offendit aliud corpus, cedens quidem, at quod aequali celeritate, aut omnino non, ob continuam reſiſtentiam, aut non ſtatim impraegnari poteſt: hoc enim corpus, quatenus aeque velociter cum fluido moveri nequit, idem praeſtat ex parte, quod obſtaculum immobile, cui ſimile eſt quatenus tardius progreditur. Hinc etiam *in motu fluidorum habemus caſus*, ubi *V — R* non ſolum maximum

Digitized by Google

mum in genere eſt, ſed ob eam rationem, quia *R minimum*, id eſt, *in quibus via corporis* non ſolum ſibi, conſiderata directione celeritatis et potentiae, eſt facillima, ſed *facillima in ſe puncto illo, a quo corpus ultra progreditur.*

Atque hoc facillimum in motu et actionibus fluidorum eo notatu dignius mihi viſum eſt, quo magis plurimae et maximae in mundo corporeo mutationes a fluidorum actionibus efficiuntur. Quarum vires ſi non intenſitate maiores aliorum, maxime tamen flexibiles ſunt, et ad impedimenta ſeſe quaſi accommodantes vias facillimas ſequuntur, ideoque ad datum aliquem ſcopum continuo ſollicitatae, minimo illum ſui diſpendio attingunt. *Datur itaque in natura facillimum aliquod, Minimi ſpecies, ab eo, quod in motu in univerſum obtinet ſic diverſum, uti differunt* $V - R$ *in genere maximum, ab illo, in quo eiusmodi eſt ob R minimum.* Atque hoc facillimum quamquam fluidorum naturam mechanica neceſſitate ſequatur, in mundo tamen quod occurrat in cauſſa eſt illa rerum conſtitutio, in qua fluidorum opera ad plurimos et maximos eventus efficiendos adhibetur.

## 10.

*Facillima* autem *via*, alio in ſenſu ſumta, a *directione facillima* poteſt diſcerni, illaque aliter et diverſimode quidem definiri. Dicatur ſpatium, per quod corpus progreditur a puncto *A* ad punctum *B*, *via* ipſius. Et cum in motu *uniformi* et *libero*, praeter celeritatem, tempus, et ſpatii longitudinem, maſſa ſepoſita, nihil adeſt quod diverſis ſumtis viis a puncto dato ad punctum datum maius vel minus eſſe queat; dici poſſet, *breviſſimam* eſſe viam, in qua $S = \frac{c}{T}$ eſt *Minimum*, ubi *S* ſpatium; *C* celeritatem, *T* tempus indicant; *celerrimam*, in qua $T = \frac{S}{c}$ eſt *Minimum*; et *facilli-*

 *mam,*

Digitized by Google

*mam*, aut *eandem cum celerrima*, uti plerumque fieri ſolet, aut *illam*, in qua $C = \frac{S}{T}$ eſt *Maxima*, id eſt, *in qua celeritas corporis progredientis eſt maxima*. In motu autem non uniformi, in quo velocitas continuo mutatur, *facillimus motus* pro eodem ſumitur cum *celerrimo*, in quo $T = \frac{S}{C}$, ſive potius $\int . d\,T = \frac{s\,d\,S}{C}$ eſt *Minimum*, qualis eſt deſcenſus et quandoque motus horizontalis in cycloide.

In motu per *media reſiſtentia*, vires corporis progreſſu eius diminuuntur. Et hic *facillimum* definiri poteſt per quantitatem minimam virium, ſuperandis reſiſtentiis impendendarum, ſive per quantitatem minimam actionum, quas reſiſtentiae exerunt ad motum in corpore deſtruendum. Si reſiſtentiae, *R*, in ſingulis viae punctis ſumuntur aequales, ſumma reſiſtentiarum foret *R*. *S*, et *facillima via* dici poſſet ea, *in qua R. S eſt Minimum*, uti *Leibnitius* (*Act. Erud.* 1682. p. 185.) *Io. Bernouillius*, et alii eam definiverunt, cum lumen in tranſitu ex uno medio diaphano in aliud facillimam viam ſequi demonſtrare conati ſunt.

II.

Non datur ullus caſus, de quo maiori conſenſu affirmarunt Mathematici, inveniri in illo *Minimum quid*, et *viam facillimam*, quam de tranſitu radiorum luminis ex uno medio in aliud, ut et de reflexione illorum factum eſt. Facillimam viam lumen ſequi, ſive minimam reſiſtentiam, *Leibnitius* exiſtimavit, et eidem fere ſententiae calculum adiecit *Io. Bernouillius* (Act. Erud. 1701. pag. 19.) Alii, *Fermatius*, *Hoſpitalius*, *Wolfius*, *tempus* hic minimum, et viam hanc radiorum, *celerrimam* eſſe exiſtimavere; aliis deinde, cum *Maupertuiſio*, ſummam productorum ex ſpatiis in celeritates ductis, *Mini-*

Digitized by Google

*Minimam* poſuere. Omnes igitur *Minimum* quid, aut *facillimum* hic deprehenderunt; at in quo illud conſiſtat, tamquam hypotheſin magis ſumſerunt, quam ut demonſtrarint. Quare hanc rem, e conſectariis ſuis longe foecundam principiis ſuis mechanicis, omnibus hypotheſibus ſepoſitis, repetitam, hic propoſuiſſe, haud ingratum fore lectoribus ſpero.

Corpus aliquod motu uniformi progreſſum a puncto *A* Fig. 6. ad punctum *B*, deflectatur in *B* a via ſua priori *ABG*, ad *BD*, et iterum uniformiter a *B* ad *D* perveniat. Habemus itaque duos motus, nempe ab *A* ad *B*, et deinde a *B* ad *D*, quorum autem neque celeritas, neque tempus datur. Definiatur autem ſitus puncti *D* ad *A* in eadem ſuperficie cum *B*, per duas lineas *AN*, *DN* quaſcunque perpendiculares ad ſe invicem: ductisque per punctum *B* lineis *FBE*, *AM* parallelis cum *ND*, nec non *MC*, et *ED* parallelis cum *AN*, reſolvatur motus *AB* in *AF* et *FB*, et motus *BD* in *DE* et *BE*.

Hiſce poſitis rem ita conſideremus, corpus perveniſſe a puncto *A* per *B* ad *D*, cuius ſitus datur per definitas lineas *AN*, et $ND = FE$; et ſumtis duabus quantitatibus conſtantibus *R* et *S*, collectaque ſumma productorum $R.AB + S.BD$, inveniendam iam eſſe rationem quantitatum *R* et *S*, quo haec ſumma $R.AB + S.BD$ evadat *Minimum*.

Deinde 1) aut ſitus puncti *B* definitur in linea *AN*, ut ſcilicet datae quoque ſint diſtantiae *AF*, et *FN*, et *B* ponatur inveniri in linea ſic definita *FBE*. aut 2) datur ſitus puncti *B* in linea *NCD*, et datae ſunt *NC*, *CD*, ſive *FB*, *BE*, ut inveniri illud oporteat in linea *MBC*. 3) Tertius deinde caſus, in quo ſitus *B* neque in *AN*, neque in *ND* definitus eſt.

Pro

Pro caſu primo habemus $R. AB + S. BD = R \sqrt{(AF^2+FB^2)}\ S.\sqrt{ED^2+BE^2)} =$ Min. et quia hic $AF$ et $FN$ conſtantes ſunt, eſt

$$\frac{R. FB. dFB}{AB} + \frac{S. BE. dBE}{BD} = o.$$

et ob $FB+BE =$ Conſt. et $dFB = - dBE$,

$$\frac{R. FB}{AB} = \frac{S. BE}{BD}, \text{ ideoque}$$

$$R : S = \frac{BE}{BD} : \frac{FB}{AB},$$ id eſt, *quantitates $R$ et $S$* oportet eſſe in ratione ſinuum angulorum $DBC$, et $ABM$, ſive in ratione ſinuum angulorum quos $BD$ et $AB$ includunt cum linea perpendiculari $MBC$, aut cum $AFN$; et quia $AB$ ducendum in $R$, $BD$ in $S$, quorum productorum ſumma Minimum quid eſt, dici poteſt, *illas quantitates oportere eſſe in ratione inverſa ſinuum angulorum,* quos $AB$ et $BD$ cum perpendiculo $MBC$ includunt.

*In caſu ſecundo* erunt $FB$ et $BE$ conſtantes: hinc

$$\frac{R. AF. dAF}{AB} + \frac{S. FN. dFN}{BD} = o$$

et ob $AF + FN =$ conſtanti,

$$R. \frac{AF}{AB} = \frac{S. FN}{BD}, \text{ et } R : S = \frac{FN}{BD} : \frac{AF}{AB},$$

id eſt, $R$ et $S$ *ſunt in ratione inverſa ſinuum angulorum, quos $AB$ et $BD$ faciunt cum linea $FBE$.*

*In caſu tertio*, utraque ratio ſimul locum habere debet, ideoque ſinus angulorum cum linea $MBC$, et illorum cum linea $FBE$ in eadem ratione; ex quo ſequitur $R = S$, et puncta

Digitized by Google

puncta $A, B, D$, oportere eſſe in eadem recta $AD$ per $B$ transeunte, id eſt, deflexionem a priori via in hoc caſu fieri non poſſe. Eſſet enim $R : S = \frac{BE}{BD} : \frac{FB}{AB}$, et $R : S = \frac{ED}{BD} : \frac{AF}{AB}$, ideoque $BE : ED = FB : AF$, quae aequalitas rationis laterum in triangulis $BED$ et $AFB$, angulum rectum includentium, indicat ſimilitudinem triangulorum $BED$ et $BAF$, et aequalitatem angulorum ad $B$, $EBD = FBA$.

12.

Quaeritur, quaenam quantitates ex illis, quae in motu inſunt, indicari queant per $R$ et $S$, an tempora, aut celeritates, aut ſpatia, aliae? Sit tempus motus per $AB$, $T$, celeritas in directione $AB$, ſive celeritas abſoluta $C$, celeritas in directione $FB$, $c$; tempus per $BD$, $t$; celeritas abſoluta per $BD$, $V$, celeritas in directione $BE$, $v$, ſpatia motuum ſunt ipſae lineae $AB$, $BD$, et tempus per $AB$ cum illo per $FB$, uti et tempus per $BD$ cum tempore per $BE$ idem eſt.

Erat autem $R : S = \frac{BE}{BD} : \frac{FB}{AB} = \frac{AB}{FB} : \frac{BD}{BE} = \frac{CT}{cT} : \frac{Vt}{vt} = \frac{C}{c} : \frac{V}{v}$.

Quare 1) ſi *celeritates horizontales* per $FBE$ *eaedem* ſunt, id eſt, ſi celeritas in hac directione remanet immutata, $R : S$ *erit ratio celeritatum abſolutarum.* Hoc autem obtinet ubicunque corpus in directione $AB$ progrediens a vi aliqua data agente in directione $MBC$ a via ſua deflectitur, celeritate

tate $FB$ manente eadem. Atque hic ſumma productorum ex celeritatibus ductis in ſpatia, $C.AB+V.BD$ eſt *Minimum*, inter omnes reliquas nempe quantitates ſimiles, e. g. $C.Ah+V.hD$, poſitione lineae $FBE$, ſive $AF$, et $FN$, ſumta pro definita.

2) Si *celeritates abſolutae ſumuntur aequales, ratio* $R:S$ *erit ratio celeritatum per* $FB$, *et* $BE$ *inverſa.*

3) Qnodſi $R.AB+S.BD$ debeat eſſe *ſumma temporum*, $T+t$, neceſſe quoque eſt, $R:S$ ſit ratio inverſa celeritatum abſolutarum, $=\frac{1}{c}:\frac{1}{v}$. Hoc autem fieri nequit, niſi in eiusmodi caſu, in quo $c:v=C^2:V^2$ ſic enim $R:S=\frac{C}{c}:\frac{V}{v}=\frac{C}{c^2}:\frac{V}{v^2}=\frac{1}{c}:\frac{1}{v}$, id eſt, celeritates per $FB$, et $BE$, oportet eſſe in ratione duplicata celeritatum abſolutarum.

Poſſunt quidem motus, ſi ſumuntur infiniteſimi, per $AB$ et per $BD$ alia ratione ſic exponi, ut temporum ſumma evadat aut Minimum quid, aut conſtans. In curvis enim, quarum curvatura finita eſt, ſubtenſae evaneſcentes angulorum contactus ſunt in ratione duplicata chordarum arcuum et ipſorum arcuum conterminorum. Hinc motibus convenienti ratione reſolutis ſic res poteſt inſtitui, ut celeritates reſpectivae ſint in ratione duplicata celeritatum abſolutarum. Hic autem id locum habere nequit. *Wolfius* quidem, in tranſitu luminis ex uno medio in aliud, rationem $R:S$, eandem eſſe poſuit cum ratione inverſa celeritatum; nam ponendo $AB=BD$, eſt $R:S=BE:BF$, et hanc rationem habuit pro ratione celeritatum in $BE$ et $BF$, qualis tamen non eſt, niſi ſimul tempora in utroque motu, $T$ et $t$ ſumantur aequalia. Quod poſterius autem ubi

Digitized by Google

ubi ponitur, et ſimul $AB = BD$, celeritates abſolutae ſane aequales ſunt, ideoque nequeunt eſſe in ratione $BE : BF$. Nec igitur $R. AB + S. BD$ poteſt eſſe ſumma temporum, niſi ſub iis quas dixi conditionibus.

13.

In luminis tranſitu ex uno medio in aliud refringens, habemus tum lineam $FBE$ definitam, eſt enim in ſuperficie terminativa mediorum, tum rationem ſinuum angulorum cum perpendiculo $MBC$, id eſt rationem $R : S$ conſtantem, quicunque demum ſumatur angulus $ABM$. Puncta $A$ et $D$ cum poni queant ubicunque, ſic illa ſumamus, ut tempora per $AB$ et per $BD$ ſint eadem: ſive enim $BA$ et $BD$ ſumantur ſpatia maiora, ſive minora, ſitus linearum inde non variatur. Sint igitur ſic poſita, ut motus $AB$ et $Bd$ eodem tempore conficiantur. Quibus tandem et illud addere liceat, celeritatem abſolutam per $AB$, antequam haec mutationem in puncto $B$, aut vicinia eius, ſubeat, non pendere ab angulo incidentiae, ſed eandem eſſe, quantuscunque ſit $ABM$ aut $ABF$; idemque obtinere in radio refracto $BD$, cuius eadem ſit in eodem medio celeritas, ſic ut ratio celeritatum $C : V$ ſit conſtans. Id quod omnes, de caeteris dubii, ſolent concedere.

Hiſce autem poſitis, *reliqua ſimul eſſe definita, et rationem $R : S$ eſſe eandem cum ratione celeritatum abſolutarum, lumenque progredi maiori celeritate per media magis denſa*, in quibus ſinus angulorum in radiis refractis minores ſunt illis, qui ad angulos incidentium cum perpendiculo pertinent, *ſequenti ratiocinio apparet.*

Dicatur angulus $ABM$, $I$, cuius complementum eſt $ABF$, et angulus $BDE = DBC$, $R$, cuius complementum ad rectum eſt $EBD$, et ſumatur punctum $d$ eiusmodi, ut tempus per $Bd$ aequale ſit cum tempore per $AB$.

Vis illa, qua celeritas radii $AB$ aut augetur, aut diminuitur, agat: 1) *in ſola directione perpendiculari* $MB$, ſic ut motus per $FB$ maneat invariatus. Et quia $R : S = \frac{Be}{Bd} : \frac{FB}{AB} = \frac{AB}{FB} : \frac{Bd}{Be}$, et $FB = Be$, eodem tempore, $R : S = AB : Bd$, id eſt uti *celeritates abſolutae*, quae eodem tempore ſunt uti ſpatia. $R . AB + S . Bd$, *erit ſumma productorum ex celeritatibus ductis in ſpatia, et celeritates in ratione in verſa ſinuum* $I$ *et* $R$, ideoque maiores in iis mediis, in quibus $R$ minores ſunt, ſive radii magis ad perperpendiculum appropinquant, quod in magis denſis locum habere experimenta docent.

2) Agat vis mutans in ſola directione horizontali $FBE$, ſic ut motus verticalis per $MBC$ maneat idem, et $MB = Bc$ iisdem temporibus. Eſt autem $R : S =$ ſin. $R$ : ſin. $I$, et

$$\text{ſin } R : \text{coſ. } R = Be : Bc,$$
$$\text{ſin } I : \text{coſ. } I = FB : AF, \text{ hinc}$$

$$\text{ſin. } R : \text{ſin. } I = \frac{Be}{Bc} . \text{ coſ. } R : \frac{FB}{AF} . \text{ coſ. } I =$$ rationi conſtanti. Et cum $Bc = MB = AF$, oportet quoque $Be$. coſ. $R : FB$. coſ. $I =$ ſin. $R . Bd$. coſ. $R$ : ſin. $I . AB$. coſ. $I$, ( ob $\frac{Be}{Bd} =$ ſin. $R$, et $\frac{FB}{AB} =$ ſin. $I$.) $=$ rationi conſtanti. Hinc porro, cum ſin. $R$ : ſin. $I$, et $Bd : AB$ ſunt in ratione conſtante, conſtans ſimul ut ſit ratio coſ. $R$ : coſ. $I$ neceſſe eſt, id quod experimentis contrarium eſt. Nequit igitur mutatio celeritatis ſola contingere in linea $FBe$.

3) Videamus de alia quadam directione potentiae celeritatem mutantis. Ad hos enim caſus enumeratos reliqui quo-

quoque reduci poſſunt, ubi celeritas in pluribus ſimul directionibus, cum in aliis, tum in utraque hac, *FB* et *MBc*, mutari ponitur. Mutationes enim illae in pluribus directionibus ad unam aliquam diagonalem et mediam poſſunt coniungi, hacque in locum illarum plurium ſubſtituta, poſitiones linearum inde non mutantur.

Sit itaque directio potentiae *RBo*, et dicatur angulus *ABR*, *i*; angulus *dBo*, *r*, et eſt

$$\frac{An}{AB} : \frac{Am}{AB} = \text{ſin.}\, i : \text{ſin.}\, I,$$

$$\frac{do}{Bd} : \frac{dc}{Bd} = \text{ſin.}\, r : \text{ſin.}\, R.$$

Hinc ſin. $I$ : ſin. $R = \frac{AM.\,\text{ſin.}\, i}{An} : \frac{dc.\,\text{ſin.}\, r}{do}. = AM.$ ſin. $i$ : $dc$. ſin. $r$, cum $An = do$, ſive, celeritas in hac directione perpendiculari ad directionem potentiae mutata non eſt.

Eſt autem porro

$AM.$ ſin. $i : dc.$ ſin. $r = AB.$ ſin. $I.$ ſin. $i : Bd.$ ſin. $R.$ ſin. $r$ $=$ rationi conſtanti. Quare, cum quoque $AB : Bd$, et ſin. $I$ : ſin. $R$ conſtantes rationes ſunt, illa, ob celeritatum abſolutarum rationem conſtantem ſumtam, quicunque ſit incidentiae angulus; haec per experientiam; oportet rationem ſin. $i$ : ſin. $r$ itidem eſſe conſtantem.

$$\text{Eſt } i = ABR = ABM + MBR, \text{ et}$$
$$r = dBo = dBc + cBo = dBc + MBR.$$

Dicatur *MBR*, ſive angulus potentiae, cum linea perpendiculari *MBc*, *n*, et erit ſin. $i =$ ſin. $(I+n)$, et ſin. $r =$ ſin. $(R+n)$, et quia ſin. $(I+n) =$ ſin. $I.$ coſ. $n +$ ſin. $n.$ coſ. $I$, ſin. $(R+n) =$ ſin. $R.$ coſ. $n +$ ſin. $n$ coſ. $R$, ratio haec ſin. $(I+n)$ : ſin. $(R+n)$ debet eſſe conſtans, ſi adſumta hypo-

 theſis

Digitized by Google

theſis locum habeat. Quia autem ſin. $I$ : ſin. $R$ = conſtanti, et ob conſtantem angulum $n$, tum ſin. $n$, tum coſ. $n$ quantitas aliqua conſtans eſt, ratio ſuperior, ſin. $(I+n)$ : ſin. $(B+n)$ conſtans eſſe nequit, niſi ſimul eiusmodi ſit ratio coſ. $I$ : coſ. $R$. Id quod aliter ſeſe habere, experientia docet.

Perſpicuum igitur eſt, directionem potentiae, qua celeritas immutatur, (aut ſi plures adſint directiones, in quibus mutatio ſimul contingat, potentiae mediae,) non poſſe eſſe aliam, quam perpendicularem ad ſuperficiem terminantem mediorum, quia ratio ſinuum angulorum cum hoc perpendiculo conſtans eſt, et celeritates abſolutae radiorum ante et poſt mutationem, quacunque demum ratione haec fiat, a magnitudine anguli incidentiae aut refractionis non pendent, et in datis mediis in data ratione ſunt.

Ex hiſce immediate colligitur, *rationem R : S eſſe ipſam rationem celeritatum abſolutarum, quibus radii in ſingulis mediis ante et poſt tranſitum progrediuntur.* Nam $R : S =$ $\frac{BE}{Bd} : \frac{FB}{AB}$, in ratione inverſa ſinuum, eſt uti $AB : Bd$, ſi $Be = FB$, id eſt, uti ſpatia iisdem temporibus, ſive uti celeritates.

Quare *in mediis denſioribus celeritates maiores ſunt, minores in rarioribus.* Sunt nempe in *ratione inverſa* ſinuum radiorum cum perpendiculo ad ſuperficiem medii in quod tranſeunt.

14.

Attamen ne ſic quidem demonſtratum iam eſt *Newtoni* ſyſtema, vim attractivam fortiorem medii magis denſi in directione perpendiculari cauſſam eſſe refractionis ponens. Poteſt enim velocitatis immutatio in pluribus ſimul directionibus contingere, e. g. in ipſa directione radiorum $AB$, et ſimul

Digitized by Google

ſimul in perpendiculari ad hanc, ſic tamen, ut media mutatio inde orta ad directionem perpendicularem in ſuperficiem terminantem redeat. Quapropter quoque illa, quae de ratione celeritatum evicta ſunt, non obſtabunt, quo minus explicatio aliqua refractionis mere mechanica excogitari poſſit, ſi cui eiusmodi hypotheſibus indulgere placeat.

Quid igitur dicendum de *Leibnitiana* hypotheſi, rationem conſtantem quantitatum $B : S$, eſſe rationem reſiſtentiarum in diverſis mediis? aut, uti *Io. Bernouillius* poſuit, virium, quibus punctum luminis in $B$ ad oppoſitas partes $Bd$ et $BA$ ſollicitetur, et quae reſiſtentiis mediorum proportionales ſint? Cum celeritates per $AB$ et per $Bd$ ſunt uti $R : S$, id eſt, in ratione inverſa ſinuum, vires, quibus aguntur radii in diverſis mediis, in eadem ſumi poſſunt ratione, ideoque etiam reactiones mediorum celeritatibus proportionales. Immo veriſſimum eſt, quod in univerſum et pulcherrime demonſtravit *Io. Bernouillius* l. c. puncti $B$ agitati a duabus viribus oppoſitis $BA$, et $BG$, ita quidem, ut $B$ actioni cedere nequeat, niſi in ſuperficie $FBe$, eiusmodi fore ſitum in $FBe$, ut vires ſint in ratione inverſa angulorum cum perpendiculari $MBc$. Haec autem, cum quam optime cohaerent cum eadem ratione celeritatum in motu, quae ſunt in ratione virium, quarum actione celeritates generarentur: num quoque evincunt, reſiſtentias mediorum has ipſas eſſe vires, aut in eadem cum hiſce ratione? Celeritates ſunt in ratione conſtante et inverſa ſinuum: hoc axiomatis inſtar nunc ſumendum eſſe puto. Quodſi reſiſtentiae aut impedimenta mediorum in eadem ſumuntur ratione, hanc ſententiam pro mera tantum habere poſſum hypotheſi, et, ex mea ſaltem opinione, non admodum probabili. Quamquam mechanica alia omnino, uti dixi, reſtat refractionis explicatio, ex legibus percuſſionis obliquae corporum elaſticorum derivanda, et quae cum celeritate maiore in mediis denſioribus facile conciliari poſſit, modo operae pretium ſit illam pluribus perſequi.

*PHILO-*

Digitized by Google

## *PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS etc.*

hoc eſt:

## *TRANSACTIONES PHILOSOPHICAE, QUIbus referuntur molimina, ſtudia, et labores Eruditorum noſtri temporis, in variis orbis partibus. VOL. XLVIII. PARS II pro Anno 1754.*

Wittebergae, in officina Dürria, Alph. 1½. Tabb. aen. 23. quaternis, 1769.

Habet, quod optavimus ac ſperavimus, iterata haec Wittebergae, Transactionum Philoſophicarum editio, ſucceſſus proſperos, aequis caritura numquam, quum, quo coepit tramite, recta ac laeta progreditur. Danorum Regi, ſummo illi Muſagetae, et regiae Societatis Scientiarum Anglicanae Socio, hoc Volumen dedicatum eſt, Eiusdemque clementiam ac munificentiam, quam Editoribus gratulamur, expertum. Nos, pro more noſtro, obſervationum praecipua capita, cum Editorum additamentis, breviter enarrare pergimus.

### CLASSIS I. MATHEMATICA.

Art. 74. pag. 551. IO. DOLLOND heliometri *Bouguériani*, ab ſe emendati, praeſtantiam exponit, utpote quo rite conſtructo, diameter cuiuslibet Planetae, in qualibet directione, aeque ac diſtantia duorum ſiderum, capi poſſit, quocumque demum loco et ſitu appareant: conf. Tab. XIV. Fig. 4. et 5. Completa huius inſtrumenti deſcriptio, ac totius conſtructionis delineatio, habetur in LA LANDE *Aſtronom.* Tom. II. pag. 907. ſeqq.

Art 70. p. 532. IO. SMEATON machinam, viam navis in mari metiendi, a SAVMARESIO inventam, tam pulchre emendavit, ut nunc vulgarem chordam eidem ſcopo ſervientem, multis modis antecellat. Hanc enim et abs ſe inventam la-

miram

minam, inſignem intercedere diſcrepantiam, lentos ac celeres navigiorum motus inter ſe comparaturus, expertus eſt, maius nempe ſpatium navem ſemper conficere, quam quod per chordam indicetur.

Art. 76. p. 566. IO. LANDENII inveſtigatio theorematum quorundam ex proprietatibus circuli, inſignem utilitatem in doctrina fluxionum, in ipſam quoque phyſicam redundantem, habitura. conf. Tab. XX. Fig. 1. 2. 3. 4.

Art. 73. p. 548. Obſervationes Aſtronomicae Ulyſſiponae 1753. ab IO. CHEVALIERIO inſtitutae, partem duas ſatellitum Iovis emerſiones, partem obſcurationem ſolarem, abs ſe animadverſam, concernentes.

Art. 58. p. 385-441. IAC. SILVABELLAE Diſſ. de praeceſſione aequinoctiorum; generatim de motu nodorum et variatione inclinationis orbitarum planetarum ad eclipticam. Tractatus omnis in quatuor Sectiones diviſus eſt. I. de motu poli aequatoris terreſtris, ab Solis actione orto; II. de motu poli aequatoris terreſtris per lunae actionem producto; III. de poli orbitae ſatellitis motu ab ſolis profecto actione; IV. de uſu computationis, in antecedentibus inventae et ſtabilitae, agunt. conf. Tab. XIII. Fig. 1. 2. Tab. XIV. Fig. 2. no. 1. 2. Fig. 3. no. 1. 2.

Art. 67. p. 520. Deſcriptio machinae, ab IAC. FERGVSONO inventae, ſed admodum compoſitae, qua determinari poteſt tempus, duratio, et magnitudo eclipſeos ſolaris in omni mundi loco; rectius igitur Tab. XIX. oculis luſtranda, et cum Auct. textu conferenda, quam in epitomen imperfectam cogenda.

Art. 71. p. 546. Obſervationes eclipſium ſatellitum Iovis, habitae Ulyſſiponae An. 1753. ab IO. CHEVALIERIO; et

Art. 72. p. e. Eiusd. de ſolis defectu, ibidem eodem anno obſervato; latina lingua ad Societatem datae, in ſummam non facile redigendae.

Art. 66. pag. 512. DE L'ISLE de Parallaxi Martis. Auct. obſervationes Bradleii, Grenovici, et LACAILLII, in

Ss 2 Pro-

Digitized by Google

Promontorio bonae ſpei, pro ſtabilienda Lunae, Veneris, ac Martis parallaxi, inſtitutas, inter ſe confert, et de Martis parallaxi ſententiam expromit. Sub finem tempus, quo Mercurius ao. 1753. d. 6. Maii per Solem tranſiit, verum definit. Ex Gallica in Anglicam linguam haec epiſtola conversa eſt.

Art. 92. pag. 776. CLAIRALTI Epiſtola ſententias Courtivroni et Melvilii, de diverſitate refrangibilitatis radiorum lucis, diligenter inter ſe comparat, et illius computum, utpote ſolidiori principio nixum, reliquis praefert.

## CLASSIS II. PHYSICA.

Art. 79. pag. 598. IO. SMEATONVS Pyrometrum novum, eleganti artificio ab ſe conſtructum, deſcribit, ſeriemque experimentorum, diverſam metallorum ſub dato caloris gradu dilatationem ſiſtentium, ſubiungit. Sicuti hoc inventum cum Pyrometris Martini, Muſſchenbroekii, Nolleti, imo cum Thermometris Mortimeri, ill. Loeſeri noſtri, commune, et idem propemodum conſtructionis fundamentum habet: ſic Grahamum doctis his viris facem praetuliſſe, Auct. candide profitetur.

Art. 65. et 68. p. 507. et 525. WILH. ARDERONI et HENR. MILESII, Obſervationes de perfrigida aeris tempeſtate an. 1753-1754. Thermometrum Fahrenh. d. 30. Dec. 1753. paullo ante Solis ortum 14. gradus frigoris infra o, et d. 7. Febr. 1754. hor. 7. matut. 18. gradus, antea ab auctoribus his non obſervatos, oſtendiſſe commemorant; quod ſane tanto magis mirandum Editores iudicant, quod in Germania d. 22. Dec. 1753. novem tantum gradus infra o reperti fuerint, ſummumque eius anni frigus uno adhuc gradu minus illo an. 1740. obſervatum ſit. Menſe autem Februario intenſum quidem, ſed multo lenius, extitit.

Art. 81. p. 617. TH. HEBERDENVS de tempeſtatibus Madeirae obſervatis iterum agit, mediamque Barometri altitudinem per quatuor annos totidemque menſes, 29, 915. poll.

poll. Angl. Thermometri autem ſtationem mediam fere 69. grad. Fahrenh. pluviaeque, quotannis delabentis, mediam quantitatem $30\frac{1}{2}$ poll. notavit.

Art. 91. pag. 773. WILH. HIRST de Meteoro, globi igniti formam referente, et Horſegi d. 26. Febr. 1754. diſci Lunaris magnitudine, caudaque brevi, viſo, admodum vulgaria refert, eaque Tab. XXXI. Fig. 1. 2. 3. pingit et illuſtrat.

Art. 75. pag. 564. DAV. ERSKINE BAKER de Terrae motu, Eboraci d. 19. Apr. 1754. obſervato, ad Societatem refert, ſimilem fuiſſe illi, qui an. 1750. Londini ex SW. ad NO. directus breviſſimusque, obſervatus ſit.

Art. 101. p. 819. MVRDOCK MACKENZIE Terrae motum, d. 16. Sept. 1754. Conſtantinopoli obſervatum, cum effectibus eius prorſus terribilibus, deſcribit.

Art. 60. p. 484. TH. BIRCHII Animadverſio in relationem WATSONII de epiſtola NOLLETI, electricitatis phaenomena recenſente. Attractionis electricae iam Theophraſtum, luminis autem electrici, Plutarchum, Senecam, Caeſarem, Plinium, mentionem facere, Watſonus commemorat; quibus Livium, Virgilium, Horatium, imo ipſum Ariſtotelem et Homerum, adiiciendos, Editores monent, pluribus a Boſio quondam, et nuper a Bergmanno, in Promtuario Stralſundico excitatis. Novum exemplum a MORYSONE quodam, erudito, et itineribus ſuis praeterito ſeculo clarisſimo homine, obſervatum ſubiicitur, qui durante Kingſalienſi obſidione, d. 23. Dec. 1601. noctu, quum inſolito more tempeſtas fulguribus horrida oriretur, haſtarum cuſpides quaſi lampade ſtipatas ardentesque ſe vidiſſe memorat. Eiusmodi phaenomena antiquitus in praeſagiis atque portentis fuere habita.

Art. 88. p. 757. IO. LINNINGIVS, Pinckneyo, ad propoſitas de dracone electrico quaeſtiones reſpondet, illumque e ſerico panno confici, et filo cannabino alligari refert, nonnullaque de nube fulminante, ſua electricitate vel omnino,



Digitized by Google

vel ex parte liberanda refert, ſuamque ſententiam, Franklino adverſantem, experimento confirmare ſtudet, et Tab. XX. Fig. 7. illuſtrat. Draconis huius Germanica deſcriptio legitur in Promtuar. Bremenſ. T. II.

Art. 90. p. 772. IO. HENR. WINCKLERI epiſtolae, duo experimenta electrica, cum ſemine Lycopodii et Auro fulminante inſtituta, exponentis epitome; quorum tentaminum, ut ſucceſſerint, Germanica etiam deſcriptio proſtat.

Art. 93. pag. 780. IO. CANTONVS in epiſtola, nova quaedam experimenta electrica, poſitivae nimirum et negativae electricitatis, plurimasque variationes, commemorat, et Tab. XXXII. et XXXIII. delineat; ſimiles vero, imo plures, WILKIVS, de electricitate contraria diſſerens, proponit.

Art. 94. p. 786. CHEN. HARTIVS in epiſtola ad WATSONVM effectus electricitatis in noſocomio Shrewsburienſi, adverſus Paralyſin brachiorum in duabus feminis, ſucceſſu plane contrario notabiles, deſcribit: ſiquidem altera morbi levamentum inde percepit, altera paralyſin totum fere corpus invadere doluit, aliis dein remediis difficulter ſanata.

Art. 89. p. 765. WILH. WATSONVS Liningio ad quaeſtionem, de morte RICHMANNI motam, reſpondet, eiusque hiſtoriam ex Oratione LOMONOSOWII, de meteoris vi electrica ortis, variis auctam et confirmatam circumſtantiis, enarrat, et in Tab. XXXI. Fig. 1. 2. 3. Electrometrum Richmanni, et conclavis, in quo fatali ictu percuſſus eſt, ichnographiam exhibet. Addunt, novitatis gratia, Editores, nuperrime accidiſſe, ut Haleſii ventilator, a ſuis civibus frequenter uſitatus, feneſtrae, renovandi aeris cauſſa, applicatus, materia nubis electrica aliquando gravidus factus, ſtatim ac hominis manu ad occludendum contrectatus fuiſſet, ſcintillam admodum inſignem eiecerit, hominisque corpus vehementisſima ſuccuſſione affecerit; quod plenius exponitur in diario, Wittenberg. wochenblat, P. 36. An. 1769.



Digitized by Google

Art. 107. pag. 875. WILH. MOVNTAINE et IAC. DODSONVS commoda, a repetita ſubinde ubique terrarum examinatione variationis acus magneticae, expectanda, enarrant, atque ſic tandem novam declinationum mappam conſtitui poſſe oſtendunt, tanto magis neceſſariam, quum Halleiana ſuo fere uſu deſtituatur. Qua occaſione EVLERI, patris, MVSSCHENBROECKII, et HANOVII, inſignia hac de re merita Editores laudant.

Art. 82. p. 621. IAC. PARSONVS Kircheri opinionem, de claſſe Marcelli ab Archimede combuſta, eiusque tentamina, ſed ita oſcitanter commemorat, ut iſta, plus ſatis cognita, exigui habenda pretii videri debeant. Doctiſſimos contra et ingenioſos BVFFONI atque KNVTZENII ſuper hac re commentarios Editores laudant, monentque, non modo WOLFIVM et BILFINGERVM, refutatis Kircheri experimentis, ipſum Archimedis factum dubitanter accepiſſe, ſed ipſum etiam Kircherum omnem hanc inventionem, de ſpeculis planis ad ignem e longinquo excitandum coniungendis, Foreſto tribuiſſe.

Art. 83. p. 626. IACOBVS, Chirurgus Fevershamenſis, relationem de variis oſſibus elephantinis, prope Leysdownum in inſula Sheppey inventis, adeo mancam nudamque argumentis ad Parſonum dedit, ut, quo iure iſta petrefacta pro oſſibus elephantinis haberi debeant, nullatenus appareat. Quam circumſpecte vero in eiusmodi disquiſitionibus agendum ſit, diſcere Auctorem potuiſſe ab HOLLMANNO, V. Cl. Editores monent, cuius Oſſium foſſilium inſolitae magnitudinis deſcriptio, in Comment. Soc. Goetting. T. II. ſuo merito laudata, proſtat.

Art. 63. p. 499. GEO. EDWARDVS Phaſiani Penſilvaniae hiſtoriam, ex litteris Bartrami ac Broockii, itemque ex itinerario Lahontani, maximam partem compoſuit, huiusque, ac Otis minoris, ſeu Anatis campeſtris, egregiam delineationem Tab. XV. et XVI. exhibet; quas aves Lahontan, Gallico vocabulo Gelinotes inſignitas, ad Fulicarum ſpeciem videtur referre.

Art. 106. p. 870. SAM. TVLLII methodus caſtrandi piſces, cum Societate communicata per WM. WATSONVM; quod experimentum, curioſum magis, quam utile, Germanis noſtris iamdudum eſt cognitum, et legendum extat in Diar. Phyſicaliſch-Oeconomiſcher Patriot Th. I. pag. 337. Quare idem nobis magno futurum commodo, vanus auguratur Watſonus.

Art. 64. p. 504. IO. ELLISIVS, in recenſendis rarioribus Corallinarum ſpeciebus pergens; Corallinam tubulariam Melitenſem, cum ſcolopendris ſuis deſcripſit, et pulchris iconibus, Tab. XVII. et XVIII. delineatas dedit. Animal lumbrici inſtar compreſſum, duobus tentaculis inaequalis magnitudinis, duplicataque plumarum ſerie, et in corpore pedibus circiter 150, inſtructum eſt.

Art. 84. p. 627. Idem Auctor de vita animali Corallinarum, quae arboribus ſimiles, ſuper Oſtreis et Fucis creſcunt, et ad littora maris Angliae reperiuntur, egit, aliasque ſpecies et curatius deſcripſit, et elegantiſſimis iconibus Tab. XXII. et XXIII. illuſtravit.

Art. 69. p. 528. IO. WILMERVS catalogum L. Plantarum horti Chelſeani ad An. 1753. more ſolito exhibuit.

Art. 80. pag. 613. IO. MARTYNI obſervatio de Sexu Agrifolii, a W. WATSONO confirmata. Plantam hanc uterque loco ſuo, ex Tetrandriis tetragyniis Linn. movendam, atque ille in Dioecias tetrandrias, hic autem in Polygamias trioecias, referendam contendit: ſed Editores priſtinum locum ipſi ſervandum cenſent, quum in aliis permultis plantis eiusmodi variationes, maxime in floribus copioſioribus, ob ſucci nutritii penuriam, non raro accidant, ſexusque in hac arbore diverſus, non conſtans, ſed naturae luſus tantum habendus ſit.

Art. 78. p. 588. SAM. SHARPII et IOS. WARNERI relationes de uſu Agarici querni in haemorrhagiis ſiſtendis. Unicum Sharpius exemplum produxit haemorrhagiae, poſt femoris amputationem, irrita Agarici applicatione, ligatura omnino

omnino compreſſae; in bene multis, Warnero teſte, ad votum ſucceſſit experimentum, ut in caſibus eius chirurgicis, ſingulari libello An. 1754. iam deſcriptis, videre eſt. Hanc etenim praerogativam Agarico tribuendam contendit, quod ſanguinem ſine aucto novoque dolore ſiſtat, febrimque mitiorem reddat; ligatura vero dolores augeat, et ſecundum le Dran funeſtas quoque convulſiones producat, quodque in partibus alienatis ac mollibus, ubi ligaturae nullus locus ſit, applicari cum fructu poſſit.

Art. 99. p. 813. IOS. WARNERI et B. GOOCHII epiſtolae, de uſu Agarici, tamquam remedio ſtyptico pulcherrimo; quam eius virtutem poſt Lithotomiam in puero, ſanguinis profluvio intra minutum compreſſo, Goochius depraedicat.

Art. 98. p. 811. WILH. WATSONVS Agarici, poſt amputationem huc usque adhibiti, ſpeciem curatius determinat, docetque, non communem illum, quercubus accreſcentem, ſed fungum potius coriaceum quercinum haematodem, a Breynio in E. N. C. deſcriptum, eligendum eſſe, de quo Raius etiam in Stirp. Brit. videndus ſit.

Art. 86. p. 638-689. WILH. LEWISIVS examen ſubſtantiae albae metallicae, in mineris auri Indiae occidentalis repertae, Platinae, Platinae di Pinto, vel Iuan Blanca nomine notae, exhibuit primusque adeo experimenta phyſica, chemica, et hydroſtatica, cum eadem inſtituit; etſi poſt primam de ea relationem, a D' VLLOA in Relacion de Viage a la America meridional, Madriti 1748. datam, Watſonus in primis et Brownriggs, itemque Schefferus, Marggrafius, et Macquerus, in declaranda eiusdem natura laborarunt, nec per omnia cum Lewiſio conſentiunt. Nova, ac curioſa Schefferi experimenta inſerta Schwed. Acad. Abhandl. 1752. legenda ſunt.

Art. 105. p. 832-869. IO HVXHAM novas medicas et chemicas de Antimonio dedit Obſervationes, quibus internam partim huius corporis mixtionem curatius evolvere, partim eius et diverſorum inde praeparatorum agendi modum

dum et virtutem declarare, partim denique nova quaedam et optima remedia ex eo praeparare ſtuduit. Satis quidem prolixi ſunt Editores in recenſendis praecipuis harum obſervationum dotibus; nos autem, quum pro inſtituti noſtri ratione arctiores intra limites nos continere debeamus, qui plura deſiderent, cum ipſis ad Opera Huxhamii, nunc nuper a Reichelio noſtro, V. Cl. Latine reddita, et ad Germanicam huius tractatus verſionem, in dem allgemeinen Magazin, T. IX. remittimus.

Art. 97. pag. 803. GVSTAV. BRANDERI Diſſertatio de Belemnitis, teſtis animalculorum, et ſpeciatim polyporum ſolitariorum domiciliis; de quorum tamen vera origine nondum inter ſcrutatores naturae convenit: quare etiam in Gentlemans Magazine, 1757. menſ. April. et ex hoc in Promtuar. Hamburg. Vol. XIX. nonnullae, huius rei illuſtrationi inſervientes quaeſtiones, propoſitae leguntur. Adiecta eſt Tab. XXXIV. quae ab Auctore deſcripta pulchre exprimit.

Art. 104. p. 826. STEPH. HALESIVS varia experimenta, aquam et piſces dulces cum aqua calcis ſervandi, inſtituit, et antiſepticam huius aquae virtutem accurate disquiſivit, quae pro modo calcinationis, maiori ac minori, diverſa quoque eſt.

## CLASSIS III. MEDICA.

Art. 77. pag. 579. Relatio de extraordinario cutis morbo, eiusque medela, ex deſcriptione Italica CAR. CRVSII vel potius CVRTII; accedunt litterae NOLLETI. Puella 17. ann. in noſocomio Incurabilium Neapolitano, ex lignea fere cutis duritie, muſculis non affectis, laborabat; reliquis omnibus ſat bene ſe habentibus. Balneis ſine ſucceſſu, ut aliis multis, adhibitis, vaporoſum tandem cum variis decoctis et ipſo mercurio ſudorem viſcidum movit, auctaque perſpiratione, cutis humida et flexibilis facta eſt.

Art. 96. pag. 800. WILH. WATSONVS inſignem calculum, ſedecim fere libras pondere aequantem, in ſuperficie lamellatum, Bezoar occidentali ſimilem, ex equa, eiusque forte inteſtinis extractum, deſcribit, et cum aliis, in equis quoque repertis, calculis, ſingulari in epiſtola ſimul comparat.

Art. 100. p. 818. BONNETI epiſtola epitomata, Genevae an. 1754. ſcripta, de ſucceſſu inoculationis variolarum in hac urbe adeo proſpero, ut ex ſeptuaginta inoculatis ne unus quidem in ullum periculum fuerit adductus. Etſi vero Condaminii de hoc argumento diſſertatio ab regia Scient. Societate Pariſ. communi omnium plauſu excepta fuerit, lentos tamen variolarum inſitionem in Galliis progreſſus facturam, Auct propter Cleri repugnantiam perſuaſum ſibi habet. Praeter alia igitur Editores EBENEZ. GILCHOISTI reſponſionem ad obiectiones contra inſitionem motos, laudant, eamque tum in Promtuar. Univerſ. an. 1756. tum in Promtuar. Brem. Vol. II. Germanice verſam, proſtare notant.

## CLASSIS IV. MISCELLANEA.

Art. 62. p. 487. IAC. DODSONVS de valore annuae ex vita penſionis, atque de aliis ſuper vivendi probabilitate epiſtola, ad definiendam hanc vitae probabilitatem minime calculo differentiali, ſed principiis tantum pure arithmeticis, opus eſſe docet, propoſitaque ab Cl. Moivreo aliquot exempla methodo facillima expedit.

Art. 95. p. 788. WILH. BRAKENRIDGE numerum incolarum Londinenſium, ex indice mortuorum definire ſtudet, atque multa in eo corrigenda iudicat. Nempe, mortuorum aeque ac natorum numerum Londini quotannis multo maiorem eſſe, quam indicibus perhibeatur, addendos igitur, qui deficiant, ſi quid concludendum ſit, monet, recteque contendit; tum vero etiam, ſec. Pettii computum, triceſimum

 quem-

quemque Londini viventium morti quotannis obnoxium habendum oſtendit.

Art. 59. pag. 441 - 484. GEO. COSTARDI Litterae, de aetate Homeri ac Heſiodi, docte eleganterque conſcriptae. Plerosque, omnes hos Poetarum, fere coaevorum, principes, nimis vetuſtos facere monet, teſtesque Velleium Paterculum, Herodotum, Gellium, Petavium, etc. appellat. Aliam longe, eamque prorſus novam viam Auct. ingreditur, uſusque argumentis Aſtronomicis determinare contendit, illos circa Annum demum a. C. N. 580. floruiſſe. Animum ſcilicet in primis ad illam, a Thalete praedictam, Solis totius eclipſin, quae anno a. C. N. 603. evenerit, attendit, quemadmodum ipſe ac Bayerus evictum dederunt. Quae quidem methodus vulgares illas chronologias accuratione magnopere exſuperat.

Art. 61. pag. 486. IOS. SPENCE data ad Meadium d. 7. Dec. 1753. epiſtola, nova quaedam in Herculaneo detecta recenſet; in quibus imaguncula ex orichalco conflata, vultum alicuius Philoſophi multa cum arte referens; ſtatua marmorea alicuius Rhetoris; nec non alia quaedam longe pulcherrima, ut imaguncula orichalcea, vultum adoleſcentuli cum capillis delicatiſſime ſtructis exprimens, eminent.

Art. 85. pag. 634. Epiſtolae CAMILLO PADERNI, Muſei Herculanei Cuſtodis, d. 27. Apr. 1754. Neap. ſcriptae, epitome, de nonnullis in Herculaneo repertis. Inter alia integram aliquam Bibliothecam, ex numeroſis conſtantem Papyri Aegyptiacae voluminibus, latinis atque graecis litteris ſcriptis, ſed propter fragilitatem ac corruptionem adeo confuſis ac intricatis, ut omnino evolui ac extricari nequeant, nuntiat. Volumina fere 250. iam protracta eſſe, in quibus evoluendis, ac in ordinem redigendis, Monachus aliquis, (Antonio dictus), ex Vaticana Bibliotheca, munificentia Regis

Digitized by Google

gis non ſatis demiranda, qua bonas artes ac diſciplinas provehere tam glorioſe contendat, advocatus, et his in rebus pulchre exercitatus, operam impendat; ſed plurimum periturum magnopere Auctor metuit, neque integrum aliquod opus umquam extricatum iri, nonnullis tantum aliquot linearum fragmentis hucdum evolutis. Addit, tabellas nonnullas ſimul repertas eſſe, admodum anguſtas, cera et palimpſeſto obductas, in quibus litterae, ſtylo exaratae, conſpiciantur.

Art. 102. et 103. pag. 821. et 825. CAM. PADERNI et IAC. GRAY, in duabus epiſtolis Neap. d. 18. et 29. Octobr. 1754. ſcriptis, denuo nova quaedam in Herculaneo reperta recenſent. In variis maioribus ac minoribus ſtatuis caput, aeri inciſum, Senecam repraeſentans moribundum, principatum obtinet. Ex noviter reperta Bibliotheca 337. Codicum, Graecis ſcriptorum litteris nonnulli evoluti argumenti philoſophici, papyraceus muſicam ac poeſin tractare, alius fragmentum philoſophiae Epicureae referre, notantur; quorum argumenta, ut ut ſatis cognita, apertius indicare nondum conceſſum ſit: fore tamen, ſperandum, ut ſupra laudatus Monachus operam ſuam adeo ingenioſam, ferreamque patientiam, non omnino perditurus, plurimos paullatim codices feliciter extricet, ſuo tempore typis exſcribendos; ſicut in eo iam quoque laboretur, ut numeroſae picturae, ac marmoreae aeneaeque ſtatuae, ſummo depictae artificio, aerique inciſae, ſingulari comprehenſae volumine, foras dentur proxime. Epitomen hanc Germanice verſam Promtuar. Brem. Vol. I. p. 148. exhibet.

Art. 87. pag. 690-757. IO. SWINTONVS explicationem Inſcriptionum, Palmyrenorum lingua et characteribus ſcriptarum, quinque epiſtolis comprehendit, in quibus Auctor inſigni eruditionis apparatu non ſolum Alphabetum Palmyrenum eruit, ſed diverſas quoque Inſcriptiones Palmyrenas, ſimilium ope Inſcriptionum, Graeca ac Hebraea lin-



Digitized by Google

gua ſcriptarum, feliciſſimo ſucceſſu interpretatur. Editores hoc loco tam ipſum Alphabetum, quam ſigna numerorum, quae Archetypus in textu habet, tabula XXXV. ſeparatim expreſſa proponunt; ſeptem autem tabulae, Palmyrenas cumprimis et Graecas Inſcriptiones exhibentes, ut ipſi tractatui, ſic huic quoque Transactionum Volumini, ſingulari ornamento ſunt.

## *DIONYSIUS LONGINUS DE SUBLIMITATE. EX recenſione ZACHARIAE PEARCII. Animadverſiones Interpretum excerpſit, ſuas, et novam Verſionem adiecit, SAM. FR. NATHANAEL MORUS, Philoſ. Prof. Lipſ.*

Lipſiae, ſumtibus Hered. Weidmann. et Reichii 1769. 21 plagg. 8.

In his aetatis noſtrae doctorum hominum ſtudiis, quae in ſpectandis aeſtimandisque operum artis et ingenii elegantiis cum maxime acuuntur et exercentur, in proponendo ſcriptore eo, qui omnium in hoc genere intelligentiam inſtruere utiliter ac regere poſſe credatur, non videtur ſibi Clariſſ. Editor operam luſiſſe. Elaboravit autem in eo, ut qui forte Longinum laudari ſcirent, et accuratius noſſent bona eius, et iis promte ac facile uti poſſent. Statim quidem praefatio, praeter conſilii quod in edendo libro ſequutus ſit expoſitionem, utilem et gravem de cauſſis propter quas ille in hoc genere princeps et optimus habendus ſit, deque ingenio et indole totius operis, diſputationem complectitur. Sequuntur ea quae commemorandis recenſendisque Codicibus Manuſcriptis Editionibusque abſoluuntur, quo

quo apparatu Critico, quoad licuit, quantum potuit diligenter et ſollicite ad hanc editionem, etiam in ea parte quae ad veritatem lectionum ſpectat recte conſtituendam, uſus eſt. Ac, quamquam e Manuſcriptis libris nihil novi praeſidii acceſſerit, fidesque ſit habita illorum qui eas olim comparaverunt diligentiae, tamen editos, praeter unam editionem Bononienſem, omnes non adhibuit ſolum et conſuluit in locis quibus forte dubitaret, ſed etiam maxime primam ac principem Franciſci Robortelli editionem, quam una cum Franc. Porti editione a Cl. Reiskio commodatam acceperat, quod Pearcium non omnes eius lectiones notaſſe cognoverat, denuo contulit; qua collatione deprehendit, eam ita cum Ambroſiano codice convenire, ut ex eo expreſſa fuiſſe videatur. Alia praeterea de ortu et derivatione editionum utilia animadvertuntur. Incipit ipſe Longini liber, eleganter typis munda charta expreſſus, ea deſcriptione, ut pagina quaeque prima textum graecum e Pearciano exemplo petitum, eque regione latinam verſionem referat, media lectionis varietatem et interpretum correctiones coniecturasve inſertas teneat, infima, quaecunque in obſervationibus Doctorum, maxime Fabri, quem ſaepius ſe ſequutum eſſe memorat, Tollii et Pearcii ad illuſtranda verba, formulas exquiſitiores, translationes audaciores, ad mentem denique ſcriptoris aſſequendam perſpiciendamque apta et idonea ineſſent, in breve coacta, ſubiecta habeat. Sed ea ipſa ſuo ingenio et peritia correxit nonnumquam, confirmavit, ſupplevitque bonae non contemnenda frugis copia. Non ille quidem in congerendis ſimilibus locis verborum formularumque uſum ac notionem illuſtrantibus et confirmantibus nimis ſe largum eſſe oportere putabat, atque adeo ſponte ab huius diligentiae laude in hoc ſcriptore praeſertim tractando voluit eſſe remotus; in iis autem quae in metaphoris ineſſent evoluendis explicandisque potiſſimum ſibi laborandum exiſtimavit. Interea, pro humanitate ſua, non omnem de Sublimitate doctrinam vult expoſuiſſe videri, qui praeſertim interpretem

magis, quam praeceptorem egerit, ſed monitor fidelis haberi, qui in via monſtranda, oſtendendisque locis memorabilibus, gratum fecerit iis, qui iſta admonitione ad quaerendum cogitandumque uti ſciant. Cum, quae verſiones libri extent, eas fere omnes aliquo vitio laborare intelligeret, quod aliae, maxime illae veterum temporum, quaedam haberent vel perperam explicata, vel certe parum eleganter et perſpicue reddita; aliae, quod ex ingenio et natura linguae Graecae, breviter, eleganter, perſpicue, atque graviter eſſet prolatum, id copioſo et longo orationis tractu vix expedirent; aliae denique vel diligentius, vel caſtigatius et ſtrictius elaboratae, ſic tamen aliquas quae nitorem ſermonis obſcurarent labeculas haberent affrictas: neceſſarium putavit, novam verſionem parare. In qua conficienda etſi ſe ipſe ſuperare, et ter quaterque refingenda reformandaque aliquam eiusmodi, quae, quam animo primum concepiſſet, eius imaginem ſimillimis referret notis, extundere ſtuduerit: tamen ſibi ſe non ſatisfeciſſe profitetur, et onere demum interpretis ſuſcepto intellexit, quam illud ſit ad ferendum grave, quantisque difficultatibus premantur in vertendo, qui diligentiae elegantiaeque laudem ferre, qui nec brevitate inferiores, nec prolixitate abundantiores videri velint. Sane verſionibus Graecorum librorum conficiendis interpretes ſemper conſultum voluerunt iis, qui eſſent ſermonis Graeci aut plane expertes et rudes, vel in eius vi et ingenio aſſequendo parum exercitati, crebra haeſitatione retardarentur, et igitur, quorum his temporibus maior eſt, quam pro expoſita largaque diſcendi Graeca facultate debebat eſſe, numerus, iſta verſione propoſita ad legendum cognoſcendumque librum allicere Cl. Auctor voluit; qui quidem gratulari ſibi poterunt quod interpretationem nacti ſint accuratam, et bonam, et elegantem, immunemque a vitiis, praeter pauca, et fere Graecorum ſcriptorum aetatis optimae, et exquiſitae orationis tenacium, interpretationibus communia. Huc referimus, quae obiter et curſim animadvertimus.

vertimus. Cap. XVII. ἡγεμόνας *duces* verti vidimus, melius fortaſſe fuerit principes, qua voce Praefecti, Legati, magiſtratus maxime provinciales, intelligi poſſint. Cap. XIX. extr. φέρει τῆς ἀγωνίας ἔμφασιν, vertuntur; *adferunt anxietatis ſpeciem*, qui locum ipſum inſpexerit, ſentiet, arbitror, ſic verti poſſe: *adferunt contentionis ſignificationem.* Cap. XXII, 2. ſermo eſt de oratore ſolemnem allocutionem omittente, et de re ipſa ſtatim incipiente: ὁ δὲ τὸ μὲν, ἄνδρες Ἴωνες, ὑπερεβίβασεν. προεισέβαλε γὰρ εὐθὺς ἀπὸ τοῦ φόβου, ὡς μὴ δ᾽ ἀρχὴν φθάνων πρὸς τὸ ἐφεστὼς δέος προσαγορεῦσαι τοὺς ἀκούοντας. Vertit: *Sed Herodotus illud, Iones, alio traiecit: ſtatim enim prae metu annexuit, ut propter inſtantem timorem auditores plane non alloqueretur.* Plura fuerunt in loci huius et verſione, et explicatione, de quibus dubitaremus. Neque enim προεισέβαλε cum προσεισέβαλε vel παρεισέβαλε permutandum videbatur; nec ἀπὸ τοῦ φόβου nunc quidem ſignificare *prae metu*, quamquam nos non fugiebat, ſic plane dici ἀπὸ τοῦ ὄχλου, *prae turba.* Luc. XIX, 3. obſervante Alberto in Muſaeo Bremenſi T. I, et ipſum ἀπὸ φόβου ſic haberi Cap. XXI, 25. memineramus etiam Cl. editorem hunc praepoſitionis uſum notaſſe ad Iſocratis Panegyricum 22. pag. 55. hic autem nihil obſtare exiſtimabamus, quo minus ἀπὸ ſignificaret *a metu*: deinde φθάνων non expungendum ſtatuebamus, ſed retinendum, locum denique ita vertendum: *ſtatim enim fecit vehemens initium a timore ita, ut ad ea quae inſtantem metum ſignificarent verbis exprimenda properans, auditores plane non adloqueretur.* Nam εἰσβάλλειν eſt impetum impreſſionem facere, invadere, irruere, Thucyd. II, 47. ut ἐπιβάλλειν Marc. IV. 37. deinde ponitur hoc loco eleganter pro incipere cum vehementia, nam et εἰσβολή initium denotat apud ipſum Longinum Cap. XXVIII, adeoque ſicut apud Platonem in Cratylo 16. eſt, ἀπὸ τῶν θεῶν ἄρχεσθαι, ita hic προεισβάλλειν ἀπὸ τοῦ φόβου. Porro Cap. XXXIX. ad quod ipſe V. Cl. attendere lectores, propter multas quae ei in-

ſunt

ſint difficultates, iubet, quae nobis quidem non prae reliquis graves aut novae videbantur, 2, οὐ γὰρ αὐτὸς μὲν, et reliqua, vertere coepit: *non ſuum enim tibia;* in quo neglectam mirabamur interrogationem, quae his verbis ineſſe clare indicatur interrogationis nota in extrema periodo, quaque ſumta et expreſſa vertendo, ut factum eſt a Pearcio, toti loco facilior ſententia redit. Et μὲν, primae quoque editionis, et codicum proborum auctoritate fultum, rectius videbatur habere quam μονον. Iam, quae mox ſequuntur: καὶ, νὴ Δία, φθόγγοι κιθάρας οὐδὲν ἁπλῶς σημαίνοντες, cur vertantur: *ipſiusque adeo citharae* [ſoni,] *etſi melodia agnoſci non poteſt:* non videbamus. Probabile putabamus, verborum hanc ſententiam eſſe: *etiam chordae citharae, quarum vel ſingulae ſolae, vel omnes ſimul tactae*, ſ. *pulſatae, nihil ſignificant.* Vidit id iam Pearcius. Ἁπλῶς igitur non eſt *diſtincte*, ſed *ſimpliciter*, et opponitur ταῖς τῶν ἤχων μεταβολαῖς, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους κράσει. Concidunt illa quoque, quae in nota ſubiecta de lectionibus μὲν et μόνον, deque totius loci emendatione diſputantur. Nonne Cap. XLIII, 2. ὄχθους καὶ λόφους ἀντωθουμένους intelligere et commode vertere liceat, *clivos et colles prominentes.* Ὠθεῖν vel ἀντωθεῖν eſt propellere, ergo αντωθεῖσθαι in Medio ἀντωθεῖσθαι propellere ſe, adeoque protuberare, reluctari, prominere. Obſervabamus etiam Cap. IX, 14. verſionem non aſſequi vim graeci verbi παρατρέφεσθαι de Iove a columbis nutrito, quo ad abſurdum aliquod ineptumque, quod iſti narrationi inſit, auctor reſpicere videtur. Obſervationes et coniecturae V. C. plurima continent bona et elegantia; ac illis quidem rariores potiſſimum vocum ſignificationes explicat, his parce ac modeſte indulget. Exempli cauſſa commemorari poſſunt quae de voce παραστήματος, quatenus cogitationem perſuaſiouem denotat, ad Cap. IX. pag. 4 . dicuntur, quam vim memineramus ei quoque reddendam eſſe apud Marc. Antonin. III, 11, ab interpretibus non agnitam: quae de notione vocabuli ευπίνεια ad Cap.

XXX.

XXX. pag. 163. et ſequenti, quaeque de uſu adverbii ἀνεπιςάτως, *negligenter*, *ſine intentione animi*, ad Cap. XXXIII. pag. 185. adnotantur. De coniecturis emendationibusque, praeter eas, quas iam attigimus, nunc quasdam referemus. Cap. XII, 4. pro σκηπτῷ τινι παρεικαζοιτ' ἂν ἢ κεραυνῷ, in quibus et viri celeberrimi Valkenarius ac Ruhnkenius offenderunt: quorum ille quidem κεραυνῷ eiiciendum, tanquam alterius interpretamentum, hic vero χειμάῤῥῳ legendum putat: ipſe Cl. Editor ἢ καὶ ῥοθίῳ reſtituendum ſuſpicatur. Nobis, quoniam propter verborum contextum, ut idem praeclare obſervat, ea res nominari debeat, quae et urat et disiiciat, ſervato utroque vocabulo, illam quidem disiiciendi vim, et notionem ad vocem σκηπτὸς, hanc, urendi, ad κεραυνὸς referendam, vero ſimile videtur. Duobus in locis, in quibus vocabulum τύπος occurrit Cap. XII, 2. et XIII, 1. illud tollere voluit: ſi quis illam vocis ſignificationem, qua ſignum, cicatricem, notam, ut apud Horatium in illo, *impreſſit memorem dente labris notam*, ad orationis fingendae formam, et perſequendae rei propoſitae veſtigia accommodet, eo non opus eſſe ſentiet. Sic plane τύπον τῆς γραφῆς Fragm. VI. 3. Nec velimus, admodum bene et exquiſite Graeca nonnumquam tentata fuiſſe. Sic XXXVIII, 2. ad verba: διὰ τὴν τῦ πάντα ἀνζητικῶς ἐθέλειν λέγειν φιλοτιμίαν, adnotat in addendis: *Nonne* ἐθέλειν



Digitized by Google

*redundat? ſufficit* τὴν φιλοτιμίαν τȢ λέγειν. Fatemur. Sed Graecis ἐθέλειν non raro ſignificat *ſolere*. Veluti apud Theophr. de Mor. I, 2. XV, 3. Xenoph. Hier. I, 30. ad quos locos Bachius et Fiſcherus verbi uſum obſervant, et ad Arnaldum in animadv. ad ſcript. Graec. pag. 168. provocant. Et poſſet etiam ἐθέλειν explicari per *cupere*, *cupidum eſſe;* quam verbi notionem apud Lyſiam animadvertit Ier. Marklandus in Conieɛtur. Lyſiac. cap. 19. Cap. XXXIX. 3. 'Αλλ' ἔοικε μανίᾳ ab ipſo quidem in ἀλλ' ἔιη γε μανία, vel a Pearcio in ἀλλ' ἐςὶ καὶ mutari, non facile conceſſerit, qui Homericum illud Od. α, 411. 'Ου μὲν γάρ τι κακῷ ἐις ὦπα ἐῴκει, aut illud Platonis in Cratyl. 12. ἔοικεν Ἑλληνικοῖς ταῦτα τὰ ὀνόματα, ubi etiam interpretes offenderunt, et 16. ἔοικέ τι ὁ λέγω τῷ ἀληθεῖ, comparaverit, ut Xenophontis taceamus, in Memorabilibus, exempla.

Fragmenta Longini ſine verſione operi addita ſunt, quod ea fere ab iis, qui ſine duce progredi poſſint, legantur. Abſolvitur opus indice, ſatis illo quidem notandis verbis Graecis largo, ſed explicandis ſignificationibus parciore.

Quae vero Cl. Editor in extrema Praefatione ſcribit, ut, quomodo de hoc labore ſtatui exiſtimarique velit, appareat, iuvat apponere. „Ceterum vehementer opto, ut

„ut qualem ego hanc editionem eſſe volui, talem alii quo„que iudicent, non omni ex parte abſolutam, nec in quo„vis animadverſionum genere diligentem atque copioſam; „ſed monendis iuvandisque iis comparatam, qui Longinum „ipſi accuratius tractare velint; quibus ita quoque conſulen„dum fuit, ut libellus ſalubri pretio emi poſſet, iisque ani„madverſionibus illuſtraretur, quae maximae lectorum „parti utilitatis aliquid adlaturae viderentur.“

---

LEGENTIBUS

S. D.

## GOTTLOB BENEDICTVS SCHIRACH.

Scribuntur noſtra aetate adeo multae cenſurae librorum, ut iam cenſores numerum auctorum propemodum aequarè videantur. Huic multitudini ſi nos temere adiungi placuiſſet, ſi praeter honorificum et molli auri dulce nomen Iudicis nulla gravior cauſa nos concitaſſet, digni profecto eſſemus, qui plauſum ferremus nullum hac communicanda Scida cum viris eruditis, qua indicare propoſitum noſtrum, edendi *Ephemerides literarias Helmſtadienſes*, viſum fuit. Sed ſpes eſt fore, ut boni conſulatur noſtrum conſilium.



Digitized by Google

Varia ſunt cauſarum genera, quae parere cenſuras ſolent. Nobis, literas vere iuvare, ſolum propoſitum eſt. Quae cauſa, idem finis erit. E fonte utilitatis publicae haurienda eſſe, quaecunque literarum fines promovere, aut tueri, aut colere poſſint, exiſtimamus. Candidos nos et ſimplices offerimus; quare, quibus rationibus adducti ad hos ſcribendos commentarios animum adiecimus, quarum laudum gloriam adamamus, quibus praeſidiis, ad procreandam utilitatem literis, utemur, paucis exponere lubet.

Si qui ſunt, qui putent, nos Genio ſeculi noſtri modo litare voluiſſe, artes criticorum ambientes, vehementer illi errant. Namque illud ipſum ſi ſpectaremus, non placuiſſet *latinas Ephemerides* conſcribere; ſatius fuiſſet, et e re noſtra, illo uti ſermone, quo mos fert criticum agere. Faciliori pacto ita auram popularem captare potuiſſemus, et gloriola frui apud multitudinem collecta ampliori. Non ita ſentimus. Latinis evulgandis actis noſtris literariis maiorem utilitatis copiam nos eſſe creaturos arbitrabamur; tum, quod inter ſat multos criticos teutonicos et boni inveniuntur exiſtimatores, noſtram operam ſupervacaneam reddentes; tum, quoniam et ipſa lingua latina copiam facere poteſt multis colloquendi paullulum interdum cum Muſis latinis.

Ea

Digitized by Google

Ea eſt literarum noſtrarum ratio, ut, qui ad ſtudium antiquarum literarum recolendum et tractandum conferunt, conſuluiſſe verae eruditioni videantur. Iacet fere Latinitatis amor, verendumque eſt, ne et noſtri populares eo delabantur, quo exteri nonnulli, negantes, noſtram aetatem poſſe bene latine ſcire, linguam romanam mortuam eſſe, coli ab iis modo ſolere, qui oſtentationem vanam, ſpinoſam, ac inutilem prae ſe ferant. Sed accidit iis, quod probe dixit Melanchthon, humanitatis ſtudium ſui contemtum ulciſci. Exemplis nunc non locus eſt. Speramus itaque, viros omnes eruditos hoc noſtrum conſilium fauſto omine eſſe excepturos.

Agemus hoc, ut cuiuscunque literarum generis libros iſtis *Ephemeritibus* indicemus. Patebit locus Theologiae, Iurisprudentiae, Medicinae, Philoſophiae, omnibus denique eruditionis diſciplinis. Sunt enim in omnibus literarum generibus, qui ſe huius noſtri conſilii ſocietati addixerunt, operamque navabunt, ut de praeſtantiſſimis quibusque libris et notatu dignis ad viros doctos referatur. Quicunque autem hanc provinciam ſuſcepimus, nulli partium ſtudio addicti, in Deae Veritatis ſolius ſacrarium nos condimus. Verum, ubicunque reperiemus, indicabimus, nullum hoſtem, nullum amicum, ubi diiudicamus, agnoſcentes, quippe *latine* ſcripturi, hoc eſt ſimpliciter, ut *Martialis* docet, et ita, ut quodvis ſuo ipſius appelletur nomine. Boilavius vel eo ſolo vitio ſe laborare di-



Digitized by Google

cebat, quo nimia ſimplicitate iudicii uteretur. Nos cum eo peccare, quam iura veritatis adulterari, malumus. Scribendi genus noſtrum, et orationis omnis color, accedat, curabimus, quoad fieri poterit, ad ſimilitudinem *Actorum literariorum Illuſtris Klotzii*, cuius ſtudium, verſandi etiam in operibus maioris ponderis, et exterorum libris, imitari et ipſi conabimur. Quare libri etiam *Anglici*, *Italici*, *Francogallici*, alii, qui cenſuram merentur, et notitiam, relationibus noſtris ſedulo inſerentur. Modo breviores, modo, prout feret materies, ampliores et copioſiores cenſuras componemus. Curabimus id, ut *theatra belli* noſtrae ſchedae numquam eſſe poſſint. Oſci ludi plane aberunt, et ludicra levia. At ſi romano more Caluum agere et Ciceronem collibuerit, delectationis tantum, quantum utilitatis habebit iudicium. Volupe eſt, interdum iocari, ſed videndum ubique, quid expediat, et quatenus.

Non eſt ingenui pectoris, multa polliceri. Abſtinebimus itaque uberiori conſilii et rationis omnis noſtrae delineatione. Neque nos commendare ipſi ſuſtinemus; primae plagulae *Ephemeridum literariarum Helmſtadienſium*, quales ſimus, oſtendent. Illud modo confirmamus, veri critici et exiſtimatoris utilis regulas et fines nos bene noſſe, iisque ut faciamus ſatis eſſe curaturos.

Quicun-

Quicunque favent propoſito noſtro, ſcripta ſua nobiscum communicare, aut mittere quaevis, etiamſi cenſuras ad nos voluerint, omnino adire bene poterunt aut Illuſtrem *Haeberlinum,* aut me ipſum. Praeterea in re literaria Iurisprudentiae univerſae recte ſe committent, qui volent, Illuſtri *Eiſenhartio*, Excellentisſimo et Conſultisſimo *Frickio;* in medica arte, Chemia, Hiſtoria Naturali, Phyſicis, Illuſtri *Beireiſio,* in Mathematicis Excell. *Klügelio,* in Philoſophia Excell. *Ferbero,* Academiae noſtrae Iuliae-Carolinae Profeſſoribus celeberrimis. Sunt vero etiam in theologicis et orientalibus literis, aliisque diſciplinis, probe defuncturi criticorum munere, ſi mihi, qui cupiet, ſua miſerit.

Prodibit inde ab *Calend. Ianuar. MDCCLXX.* ſingulis diebus *Lunae* harum *Ephemeridum literariarum Helmſtadienſium* Scheda ſingularis; cui vero etiam identidem alia ultro addetur, nonnullisque adeo hebdomadibus duae ſchedulae edentur; quare redemtor *pretium annuum* harum plagularum figit *duorum imperialium thalerorum*, et repraeſentandi quovis anni *quadrante* ſunt *duodecim groſſi.* Omnia ſcripta et litterae ſoluto vecturae vectigali mittantur, rogamus.

Cum edantur illae Ephemerides *ſumtu Orphanotrophei Helmſtadienſis*, quibuscunque collibuerit, tradent ſe recte Excell. et Conſultiſſ. *Kratzenſteinio* I. U. D. Orphanotrophei

Helmſtad.

Helmſtad. Directori. Explebit ille voluntates amicorum et fautorum noſtrorum, nec usquam petentibus deerit. Curabunt etiam quaevis bene mittenda Ducis Sereniſſ. Brunovicenſis praefecti actis diurnis, ſi literae dentur *an die Fürſtliche Zeitungs-Expedition in Braunſchweig.*

Speramus fore, ut et hoc noſtrum conſilium, et Academia noſtra *Iulia Carolina*, fauentes nanciſcatur quampluri-mos. Gaudet enim illa tot multis bonis, victus omnis admodum parabili et vili pretio, literarum doctorum eo numero, ut ſatisfieri quibuscunque in omnibus diſciplinarum et eruditionis generibus poſſit, conſuetudinis elegantis occaſione, praeſtantiisque aliis, ut nihil ei, qui illam frequentabit, deeſſe cogniturus ſit, et ultro in multis rebus antecellere eam aliquas Univerſitates. Huius noſtrae commendationis ingenuae, ut fidem praeſentes multi experiantur, optamus et confidimus. Scrib. Helmſtadii a. d. XVI. Octobr. 1769.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCLXIX.*


*NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIA-rum Imperialis Petropolitanae. TOM. XII. pro Anno 1766. et 1767.*

Petropoli, typis Academiae Scientiarum, MDCCLXVIII.

Novorum Commentariorum inclutae Academiae Petropolitanae, novum Volumen, quod eius beneficio nuper ad nos perlatum eſt, ſine mora Lectoribus noſtris ita exhibemus, ut lecta Synopſi certo credamus ipſis Commentariis legendis eos quamprimum operam daturos. Sunt autem et hoc Volumine

## MATHEMATICA.

### I.

*Integratio aequationis differentialis,*

$$\frac{dx}{\sqrt{(A+Bx+Cx^2+Dx^3+Ex^4)}}=\frac{dy}{\sqrt{(A+By+Cy^2+Dy^3+Ey^4)}}$$

Auctore L. EULERO. Calculus integralis, ad tantam hodie ſummorum Geometrarum ſtudio perfectionem evectus, inſignibus incrementis et ſubſidiis nunquam non ditatus fuit, quando ii aequationes differentiales ſolutu difficiliores, qua-

 rum

Digitized by Google

rum integralia caſu quaſi vel per ambages et indirecte invenire ipſis licuerat, data opera meditationi ſubiecerunt methodos ſcrutaturi directas, ad eadem, de quibus aliunde iam conſtitit integralia perveniendi. Aequationis propoſitae integrale idque algebraicum et completum via admodum obliqua, cum in corporis ad duo centra virium fixa attracti motum inquireret, Ill. *Eulero* invenire licuit, qua is excitatus occaſione iſtam integrationem data opera eſt aggreſſus eamque ſuis meditationibus eo cenſuit digniorem, quo plura et praeclariora analyſeos artificia difficultatum, quibus ea implicari videtur, evolutio, cum neutram partem ſeorſim ne ad arcus quidem circulares vel logarithmos revocare liceat, polliceri merito videbatur. En igitur directam methodum eamque ſubſtitutionibus et ſubſidiis analyticis notatu maxime dignis fundatam, qua propoſitae aequationis integrale eruitur cum priori perfecte congruens. quae cum, ſublatis difficultatibus potioribus, dubium non ſit, quin excoli poſſit uberius et ad brevitatem magis concinnam reduci, ad promovendos analyſeos fines plurimum momenti continere merito eſt cenſenda.

II. *De Arcubus curvarum aeque amplis eorumque comparatione.* Auctore L. EULERO. Amplitudo curvarum eſſentialem maximeque idoneum ad exprimendam curvarum naturam characterem ſuppeditat; vocatur autem curvae amplitudo iſte arcus, quem ductae ad utramque dati arcus extremitatem tangentes et ad mutuam usque interſectionem continuatae inter ſe conſtituunt. Data ſcilicet inter arcum $s$ et hunc angulum $\phi$ aequatione differentiali, tota curvae natura commodiſſime exprimitur, cum ea non ab arbitrariis ſolum poſitionibus, quae in methodo coordinatarum locum habent, ſit immunis, ſed ex ea etiam aequatio inter coordinatas et radius oſculi $= r$ facili opera eliciantur. Cum iam hac methodo inveniatur $r = \frac{ds}{d\phi}$; facta ad circulum

adpli-

Digitized by Google

adplicatione, in quo $r$ aequatur quantitati conſtanti $= a$, fit $s = a\,\varphi$, unde conſequitur, angulum $\varphi$, ubicunque peripheriae adplicetur, ita, ut ſuis cruribus eam tangat, ſemper aequales eſſe arcus intercepturum. Quae adfectio cum ſub ea certe conditione, qua angulus $\varphi$ eſt indefinitus et pro lubitu aſſumi poteſt, ſit circulo propria: ad theoriam curvarum penitius perſpiciendam perquam utilis ſuppeditatur quaeſtio, utrum aliae inſuper dentur curvae, quae, non quidem pro arbitrario quovis, ſed pro certo quodam et determinato ipſius $\varphi$ valore, quem ponamus $= \alpha$, eadem gaudeant proprietate, ut, qui ſunt eius amplitudinis $\alpha$, arcus omnes inter ſe ſint aequales. De quo quidem cum dubitari non poſſit, cum, ſi fiat $\alpha = 180°$, ellipſis et omnes curvae in ſe redeuntes centro praeditae huc ſint referendae; praecipuum quaeſtionis momentum in eo verſatur, ut omnes huius naturae curvas inveniendi methodus indagetur; atque huius problematis, maxime ſane ardui, completam ſolutionem haec ipſa ſiſtit Ill. *Euleri* diſſertatio. Primo ſcilicet formulae exhibentur generales ex ipſa amplitudinis natura deductae, omnes curvas complexae, in quibus ſinguli eiusdem amplitudinis arcus inter ſe ſunt aequales. Quae tamen cum ſint differentiales, ipſae curvae algebraicae, praecipue ſimpliciores, quae problemati ſatisfaciant, ſatis difficulter inde definiuntur. Peropportune autem et ad inſigne analyſeos incrementum accidit, ut Ill. Auctor radios oſculi harum curvarum contemplatus obſervaret, arcus in hiſce curvis, quorum eadem eſt amplitudo, non aequales modo, ſed et ſimiles eſſe; quae nova proprietas generalem ſuppeditavit methodum, ad aequationes univerſales pro omnibus eius naturae curvis algebraicis expedite perveniendi. Cum vero in ipſa argumenti evolutione appareat, amplitudinem $\alpha$ ita aſſumi debere, ut eius menſura ad angulum rectum rationalem rationem teneat; methodus propoſita per adplicationes ad caſus particulares, ponendo $\alpha = 2\,\pi;\ \pi;\ \frac{2}{3}\pi;\ \frac{2}{4}\pi;\ \frac{2}{5}\pi;\ \frac{2}{6}\pi$ $\ldots\ \frac{m}{n} : 2\,\pi$ ita eſt illuſtrata, ut nihil amplius in ar-



Digitized by Google

dua hac quaeſtione poſſit deſiderari. Denique ut moneatur operae pretium eſt, etiam hoc exemplo declarari, quantum ex conſiderationibus Geometricis in Analyſin emolumenti redundet, quamque idonea pateat Geometris ad hoc quoque artificium attentis Analyſin novis inventis amplificandi occaſio.

III. *Evolutio generalior formularum comparationi curvarum inſervientium.* Auct. L. EULERO. Inſignia ſunt et miro cum ingenii acumine excogitata, quae Ill Comes *Fagnanus* de comparatione arcuum curvae lemniſcatae elicuit, quaeque non minori ſagacitate circa arcus ellipticos atque etiam hyperbolicos inter ſe comparandos eſt commentatus. Methodum illius, Geometrarum attentione digniſſimam, iam pridem in hiſce Commentariis Ill. *Eulerus* ſuis meditationibus non illuſtravit modo, ſed longe etiam reddidit generaliorem methodum exponendo planam, a ſubſtitutionibus admodum moleſtis, quibus *Fagnanus* uſus eſt, et quarum ratio inventionis prorſus eſt obſcura, liberam, atque generaliſſime omnes iſtorum arcuum comparationes in ſe complexam, cuius ideo beneficio ipſi in graviſſimo hoc negotio multo longius progredi licuit. Ad duo vero potiſſimum capita arduam ſane hanc quaeſtionem revocare licet, dum ſcilicet demonſtravit Cel. *Eulerus* primo quidem, omnium curvarum, quarum rectificatio hac integrali formula contineatur

$$\int . \frac{\mathfrak{A}\, dz}{\sqrt{(A + Cz^2 + Ez^4)}},$$

arcus perinde atque circulares inter ſe comparari poſſe, ita, ut, ſumto in iſtis curvis arcu quocunque, ab alio quovis puncto arcus geometrice abſcindi poſſit, qui ad illum rationem quamcunque rationalem teneat; deinde vero in curvis, quarum rectificatio ab iſta formula

$$\int . \frac{dz(\mathfrak{A} + \mathfrak{B}z^2 + \mathfrak{C}z^4 + \mathfrak{D}z^6 \text{ etc.})}{\sqrt{(A + Cz^2 + Ez^4)}}$$

pendeat, omnia ea aeque felici ſucceſſu expediri, quae iam pridem circa compara-

parationem arcuum parabolicorum praeclara ſunt inventa ita, ut in modo memoratis curvis ſumto arcu quocunque ab alio quovis puncto arcus abſcindi poſſit, qui ab illo vel a quovis eius multiplo quantitate differat vel geometrice aſſignabili vel a circuli hyperbolaeve quadratura pendente.

Inſigne vero Ill. Auctor profundiſſimae huic inveſtigationi incrementum attulit, methodum ſuam ad iſtas quoque formulas extendendo, quae expreſſionem ſurdam magis complicatam $\sqrt{}(A+2Bz+Cz^2+2Dz^3+Ez^4)$ involuunt; quo ipſo latiſſimus aperitur campus, in aliis pluribus curvis ſimiles comparationes inſtituendi. Quod argumentum cum non ad curvarum modo naturam profundius ſcrutandam ſummum praeſtet uſum, ſed largiſſimam quoque graviſſimarum ad Analyſin perficiendam obſervationum meſſem ſiſtat, in praeſenti diſſertatione plene evoluitur; cui ſi addantur ea, quae Ill. *Eulerus* in Calculi ſui integralis typis in Academia noſtra exſcripti Vol. I. Sect. II. Cap. V. et VI. de iſtis formulis integralibus eſt commentatus; graviſſimam quaeſtionem ad inſigne Analyſeos incrementum in plena luce poſitam eſſe, eſt, quod laetentur Geometrae.

IV. *De uſu algorithmi infiniteſimalis in arte coniectandi.* Auctore DANIELE BERNOULLI. Calculi probabilium quisquis ad complura vitae negotia late patentem perpendit uſum; nobiliſſimam hanc ſcientiam non eo, quod ipſius meretur dignitas, ſtudio noſtris temporibus excoli, eſt, quod iure miretur. Ars enim coniectandi non de acumine ſolum ingenii humani praeclara ſiſtit ſpecimina, ſed eo ſe potiſſimum nomine commendat, quod, quae ad actiones provide utiliterque dirigendas et ad varias, easque ſummi nonnunquam ad civitatis ſalutem momenti, quaeſtiones politicas et morales dirimendas pertinent regulae, eae ſaepenumero inde ſint repetendae.



Digitized by Google

Hoſpes tamen in rerum mathematicarum hiſtoria ſit, quem praeclara lateant ſtudia, a ſummo Geometra, *Daniele Bernoulli*, dudum in ea excolenda novisque adaugenda methodis poſita, qui ſimul multiplicem eius uſum inter complura ſpecimina in gravisſima inprimis atque ad totius fere generis humani ſalutem pertinente diſquiſitione, de variolarum inſertione, inſolita Analyſeos ſpecie uſus abunde comprobavit Nova vero ſunt et a nemine adhuc in hoc calculi genere adhibita principia, quorum in amplificanda hac ſcientia uſum Cel. Vir in hac diſſertatione exponit, dum, quantum et in problematibus coniecturalibus Analyſis infinitorum utilitatis praeſtet, facili methodo demonſtrat. Obſervavit nempe, quotiescunque quaevis in circumſtantiis rei, de qua quaeritur, variatio tanquam infinite parva ſpectari poteſt, ita, ut quantitatis fluentis notionem ad eam adplicari conveniat, calculum infiniteſimalem ad expediendas quaeſtiones difficillimas felici ſucceſſu in ſubſidium vocari; quae quidem hypotheſis eo magis eſt admittenda, cum ante calculi differentialis inventionem veterum arithmetica infinitorum optime eidem fuerit ſuperſtructa. Quo igitur novae huius methodi vis pateat evidentius; duplex quaeſtionis cuiusdam propoſitae ſuppeditatur ſolutio, ex Analyſi vulgari una, altera ex infiniteſimali calculo deducta cum priori perfecte conſentiens. Cuius quidem problematis licet et ex aliis principiis obvia ſit ſolutio; id tamen ad probandam novae methodi praeſtantiam maxime eſt accommodatum, cum, adiectis novis quibusdam conditionibus, eius reſolutio vix aliter, quam novis his integralis methodi ſubſidiis obtineri poſſe videatur.

En igitur praeclarisſimam coniectandi ſcientiam novis incrementis auctam, quae Geometrarum attentione eo ſunt digniora, quo feliciorem eius ad gravisſimas quaeſtiones adplicationem ab acutisſimi Auctoris meditationibus merito ſperare licet; id quod in ſequente diſſertatione illuſtri comprobatur ſpecimine.

V. *De*

Digitized by Google

V. *De duratione matrimoniorum media pro quacunque coniugum aetate, aliisque quaeſtionibus affinibus.* Auctore DANIELE BERNOULLI. In omnibus rerum humanarum variationibus ac viciſsitudinibus, quantumvis in ſe incertis ac quaſi fortuitis, pro magna tamen hominum indiſcriminatim collectorum multitudine, in qua incertitudo ſortis ſingulorum, habita ratione totius, tanquam evaneſcens ſpectari poſsit, ſtatum medium conſtantes fere ſequi leges, multiplicibus obſervationibus dudum eſt confirmatum. Ita per longam tabularum natalium ſeriem fuit exploratum, ſingulis annis numerum filiorum natorum non ſuperare modo numerum filiarum natarum, ſed hanc ipſam quoque inaequalitatem ad numerum omnium natorum in eadem regione conſtantem fere ſervare proportionem. Ita etiam tabulae mortuales, pathologicis praeſertim notis inſtructae, definiendae mediae durationi vitae a quacunque aetate inſuper exſpectandae inſerviunt, multisque aliis egregiis uſibus, ſive ad medicinam ſpectes ſive ad politicam ob novarum veritatum ſolo ratiocinio inde eliciendarum copiam minime deſtituuntur. Neque minor tabularum matrimonialium, praeſertim ſi adcuratius conderentur, ad illuſtrandam oeconomiam politicam uſus eſt, licet ex iis de matrimoniorum duratione media difficillimum ſit iudicium. Haec ſcilicet intricatiſsima quaeſtio Analyſin requirit ex ſcientia coniecturali petitam, qua connubiorum duratio media pro quacunque coniugum aetate eaque vel diſpari ulterius exſpectanda definiatur, huiusque ope, dubium non eſt, quin multo determinetur exactius, quam quidem longiſsima obſervationum ſerie adhuc fieri potuit. Facile vero patet, hoc problema alia niti quaeſtione, pariter ex calculo probabilium petenda, quot nimirum ex dato magno aliquo connubiorum eodem tempore initorum numero pro data utriusque coniugis aetate poſt ſingulos annos matrimonia integra probabiliter ſint ſuperfutura; ubi quidem duos caſus diſtingui oportet, prouti utriusque coniugis vel aequalis fuerit aetas vel inaequalis; admiſſa inſuper hac una hypotheſi,

theſi, ut uterque ſexus aequali mortis periculo ſubiici ſupponatur, quamvis ſequioris ſexus vitam a morte tutiorem eſſe, tabulae mortuales oſtendant. Utriusque caſus ſolutio in ſuperiori diſſertatione a Cel. *Bernouillio* iam eſt data, adhibitis ibi terminis in arte coniecturali uſitatis Si enim in urna colligantur $n$ paria ſchedularum, ſuo quaeque a reliquis colore diſtincta, omnesque ſchedulae pari facilitate extrahi poſſe ſupponantur; tum, ſi poſt repetitam aliquoties unius ſchedulae extractionem numerus in urna reſiduarum ſit $= r$, ex calculis Cel. Auctoris numerus parium integrorum in urna ſuperſtitum probabiliter erit $x = \frac{r(r-1)}{4n-2}$. Quodſi vero una ſchedularum claſsis ſit altera ad egreſſum ex urna proclivior, ſitque numerus ex una claſſe in urna reſiduarum $= s$, ex altera $= t$; parium integrorum in urna reſiduorum erit numerus $x = \frac{st}{n}$, quarum iam formularum facilis eſt ad praeſentem quaeſtionem adplicatio; ita, ut tabulae conſtrui potuerint, in quibus, quot ex 500. matrimoniis primitivis pro quacunque utriusque coniugis aetate poſt ſingulos annos ſuperfutura ſint integra, indicetur; quo problemate ſoluto de connubiorum duratione media pro quavis connuptorum aetate facili ratiocinio iudicari poteſt. Alter caſus, ubi diſpar eſt coniugum aetas, quam ſit complicatus, nemo non videt; ſed in eo inprimis tam feliciter ſoluto novae methodi coniecturalis a Cel. Auctore explicatae vis et praeſtantia luculentisſime cernitur, cum eius ſolutionem ad aequationem differentialem trium variabilium perduxerit, quae non a permixtione ſolum variabilium liberari, ſed penitus integrari potuerit.

## PHYSICO-MATHEMATICA.

I. *Methodus facilis motus corporum caeleſtium utcunque perturbatos ad rationem calculi aſtronomici revocandi.* Auctore

L. EU-

Digitized by Google

L. EULERO. Cum dudum ſit ex ipſa attractionis theoria evictum, corpora coeleſtia ad ſua virium centra ſecundum *Newtoni* leges attracta in ſectionibus conicis ferri areasque circa alterutrum focum temporibus proportionales deſcribere debere: omnes, qui ab hac lege diſcrepant, planetarum motus pro irregularibus habent aſtronomi. Neque vero unam vim e ſole profectam planetae ſuſtinent, cum ſinguli ſingulos ſecundum directiones diverſas viribusque continue mutatis attrahant; unde inſignes in illorum motibus inaequalitates et continuae a *Newtoniana* lege aberrationes oriantur neceſſe eſt. A quarum exacta cognitione cum omnis pendeat aſtronomiae perfectio, ſummi dudum Geometrae in iis ad calculos revocandis omnem intenderunt ingenii vim; plerumque tamen in formulas delapſi ſunt, tanta elementorum multitudine obrutas, ut pro ipſa motus perturbati determinatione parum inde lucis affulſerit.

Quas cum moleſtas ambages Illuſtris *Eulerus* poſt multa tentamina felici tandem compendio ſuperaverit; methodum in praeſenti diſſertatione exponit planetarum motus a quibuscunque viribus perturbatos expedite et ſine omni elementorum confuſione ad calculi aſtronomici rationem revocandi. Duas nempe intricati huius negotii partes facit, mechanicam unam, alteram geometricam, quarum illa locum corporis, de cuius motu quaeritur, ad quodvis tempus per tres coordinatas ad ſe invicem normales definire, haec vero loca modo inventa per longitudines et latitudines more inter aſtronomos recepto exprimere docet. Definito ſcilicet per tres coordinatas corporis motu, nova iis elementa, longitudo nempe lineae nodorum, inclinatio orbitae et argumentum latitudinis, ſubſtituuntur, quorum ad tres iſtas coordinatas relatio in parte geometrica traditur.

Reſoluta igitur vi perturbatrice ſecundum directiones trium coordinatarum; cum tribus iſtis viribus ita inventis

 acce-

Digitized by Google

accelerationes corporis ſecundum easdem directiones ſint proportionales: principia mechanica tres praebent aequationes differentio-differentiales, quae totidem motus determinationes continent, in quibus commode inde derivandis omne conſiſtit artificium. Cum igitur planetarum motus irregulares ad orbitam variabilem reduci ſoleant, ut poſitio lineae abſidum, ſemiparameter orbitae et excentricitas pro variabilibus aſſumtae ad quodvis momentum ex datis viribus perturbantibus determinentur; Cel. Auctor facilem oſtendit methodum, ex aequationibus fundamentalibus modo inventis quinque alias primi gradus deducendi, quae totum corporis motum omniumque iſtorum elementorum variationes momentaneas exprimunt; quarum quidem formularum integratio cum Analyſeos adhuc excultae vires ſuperet, approximationibus uti conveniet, ita, ut pro temporum intervallis ſatis exiguis ſingulae variationes ex ipſis aequationibus differentialibus inveſtigentur iisque in ſummam colligendis integrationis negotium compenſetur.

II. *Disquiſitio de vera lege refractionis radiorum diverſi colorum.* Auctore L. EVLERO. Poſtquam diverſa radiorum lucis refrangibilitas a *Newtono* primum detecta eſt, duas radiorum ſolis ſimplicium claſſes diſtinguimus, heterogeneorum unam, id eſt magis aut minus refrangibilium, et alteram homogeneorum, qui ſub iisdem circumſtantiis eandem quoque ſubeunt refractionem; quae ipſa refractionis diverſitas cum diverſis quoque coloribus coniungitur, ita, ut ſinguli radii, prout magis aut minus refringuntur, colore ſibi proprio et prorſus immutabili gaudeant. Quanquam vero principalis totius dioptricae lex dudum ſit et experimentis et ratiociniis confirmata, quibus compertum eſt, radios eiusdem naturae, dum ex uno medio in aliud diverſae denſitatis tranſeunt, ita ſemper refringi, ut ſinus angulorum incidentiae et refractionis conſtantem inter ſe rationem ſervent; tamen multo obſtruſior illa disquiſitio eſt, qua de vera lege, quam refra-

Digitized by Google

refractiones radiorum diverſae indolis ſeu diverſicolorum ſequantur, quaeritur, utrum ſcilicet conſtans quaedam et perpetua inter eas proportio obtineat, ita, ut cognita pro datis duobus mediis refractione radiorum mediae naturae ex hac ſola ſine reſpectu ad illa media habito refractio radiorum rubrorum et violaceorum definiri poſſit, an vero haec determinatio a mediorum natura quodammodo pendeat, ita, ut eidem refractioni mediae non eaedem ſemper refractiones extremae reſpondeant? quae quidem inveſtigatio non ſubtiliſſima ſolum et ſumma cum cautione evoluenda, ſed in Dioptrica quoque gravisſimi omnino momenti eſt. Quanquam igitur non ſine ratione veroſimillimum et conſtantiae naturae maxime conforme videatur, refractiones extremas unice a media pendere, ita, ut cognita refractione media $m:1$ per eam ſolam refractio rubra $r:1$ et violacea $v:1$ definiatur, et quantitates $r$ et $v$ tanquam certae quaedam functiones ipſius $m$ ſpectari queant: dudum tamen ab acutisſimo Geometra *Clairaut* in Commentariis Academ. Pariſinae fuit oſtenſum, eam neutiquam neceſſariam eſſe naturae legem, ſed innumeras dari alias, quae pariter in natura locum habere poſſe videantur. Harum igitur hypotheſium potiores aliquot in hac diſſertatione Ill. *Eulerus* accuratiori ſubiecit examini, earumque demonſtrata posſibilitate, quaenam earum phaenomenis maxime ſatisfaciat, disquiſivit, quae una eſt in tam recondita quaeſtione ad veritatem perveniendi methodus. Inprimis vero ex diligentiori in oculi ſtructuram indagine firmisſimum de harum hypotheſium pretio iudicandi argumentum Cel. Auctor depromſit, quae cum abſolutisſimum opus ſit et omni humana arte ſublimius, quaecunque eius legi contrariatur, refractionis theoria merito erat explodenda. Stabilita igitur vera refractionis radiorum diverſicolorum lege Ill. Auctor tabulam ſubiungit, in qua pro ſingulis refractionibus mediis refractiones extremae computantur, ſi nimirum radii ex aëre in aliud quodcunque medium tranſire ſupponantur; unde facili negotio refractio radiorum diverſi-

colorum ex quocunque medio in quodcunque aliud tranſeuntium definitur, ſi modo refractio media ex aëre in ſingula iſta media fuerit cognita.

Quanti vero huius legis exacta determinatio uſus ſit, ex eo facile colligitur, quod lentium obiectivarum ex duplici materia pellucida compoſitarum conſtructio, unde inſignis inſtrumentorum dioptricorum perfectio dependet, huic ſit potiſſimum principio ſuperſtruenda.

III. *De novo microſcopiorum genere ex ſex lentibus compoſito.*

IV. *De Teleſcopiis quatuor pluribusque lentibus inſtructis eorumque perfectione.* Auctore L. EVLERO. Microſcopiis compoſitis inſignes dudum perfectiones in variis paſſim cum erudito orbe communicatis diſſertationibus, Ill. *Eulerus* conciliavit, dum veram et genuinis dioptricae principiis fundatam propoſuit methodum, qua non campus ſolum viſionis maximus obtineri isque multiplicando lentium ocularium numerum ſubinde amplificari, ſed ipſa quoque repraeſentatio a margine colorato ex diverſa radiorum indole oriundo feliciter liberari poſſit. In hac vero diſſertatione Cel. Auctor novam prorſus eorundem conſtructionem tradit, qua alii cuidam inſigni incommodo occurritur in vulgari conſtructione non evitando, quod ex radiis peregrinis obiecti repraeſentationem non mediocriter inquinantibus oritur. Quemadmodum ſcilicet in teleſcopiis anglicanis ex quinque vel ſex lentibus compoſitis repraeſentationis diſtinctio eo etiam egregie augetur, quod lens in iis occurrat, quae ob minimam, quam admittit, aperturam diaphragmatis quaſi vices ſuſtinens radios peregrinos feliciſſime excludit, neque tamen vel claritati vel campi conſpicui amplitudini ullam diminutionem adfert: ita idem artificium in microſcopiorum conſtructione optimo cum ſucceſſu adhibere licet; quae quidem ſtructura ad obtinendum campi augmentum ſex omnino lentibus abſolvitur,

Digitized by Google

ſolvitur; unde totum huius diſſertationis argumentum in eo verſatur, ut ſingularum harum lentium tam diſtantiae focales quam intervalla definiantur, quo microſcopium in ſuo genere perfectisſimum reddatur. Cum vero infinitae eiusmodi microſcopiorum formae ex diverſis formularum, quas Ill. Auctor dudum iam pro inſtrumentotum dioptricorum conſtructione omnibusque ad eorum perfectionem neceſſariis momentis in T. XIII. Acad. Berol. dedit, determinationibus deduci queant: eas, quae ſunt ad praxin accommodatisſimae, plene hic evolutas proponit, quae his inſignibus gaudent praerogativis, ut pro praegrandibus etiam multiplicationibus, veluti $m = 2480$, ſatis modica longitudine contineantur, neque tamen lenticulam obiectivam requirant minimam, unde artificis labor egregie ſublevatur. Eodem et ſtudio et ſucceſſu in perficiendis teleſcopiis plurium lentium in altera diſſertatione verſatur; cum enim artifices angli ſola experientia ducti et poſt innumera tentamina multiplicatione lentium haec inſtrumenta ad eum, quo hodie illa exhibent, perfectionis gradum perduxerint, dubitari nequit, quin ipſam theoriam genuinaque dioptrices principia in ſubſidium vocando haec eadem commoda mirifice augeri immo ad ſummum, quem quidem admittunt, gradum evehi queant. Ex inſigni igitur teleſcopiorum pluribus lentibus inſtructorum varietate Ill. Auctor eas potisſimum ſpecies, quae ceteris praeſtant et ad praxin potisſimum ſunt accommodatae, evoluit earumque totam ſtructuram in ſubiunctis tabulis ad artificum uſus expoſuit.

Quae dum tradimus erudito orbi, non poſſumus, quin eidem abſolutisſimum *Euleri* de univerſa dioptrica opus annunciemus, quod in Academia noſtra typis exſcribi coeptum eſt, in cuius primo volumine omnia, quae ad ſummam inſtrumentorum dioptricorum perfectionem pertinent, momenta exponuntur, in ſecundo autem et tertio eorundem ad teleſcopia et microſcopia adplicatio traditur, annexo ſub finem

de teleſcopiis catadioptricis appendice; cuius eo magis urgemus editionem, quo, nobilisſimam hanc ſcientiam, ſeparatis hucusque diſſertationibus ab Ill. Viro pasſim illuſtratam, in plena iam luce poſitam eſſe, peritisſimos quosque eius amatores impenſius laetaturos eſſe confidimus.

V. *De ratione ſolis circa axem ex motu macularum apparente determinanda.* Auctore IOH. ALB. EVLERO. Macularum heliacarum detectio, quae ex plurimorum Aſtronomorum ſententia *Scheinero*, Suevo, eas anno 1611. primum Ingolſtadii obſervanti debetur, memoratu dignam in aſtronomia epocham conſtituit. Ex eo enim tempore non de atmoſphaera modo ſolis, quam iam antea ſagacisſimus *Keplerus* ex aliis principiis fuerat ſuſpicatus, ſed de eius quoque circa axem ſuum converſione magni omnino momenti quaeſtio fere penitus confici potuerat. Inter varia ſcilicet ab aſtronomis ab eo inde tempore ad maculas ſolares maxime attentis obſervata phaenomena id inprimis notatu dignum eſt, quod non regularem modo in diſco ſolis percurrant orbitam, ſed ſtatis quoque redeant periodis; ut ex obſervationibus Cel. *Caſſini* tempus earum periodicum 27. propemodum dierum ſpatio contineri ſit ſtatuendum; unde, ſive eas ipſi ſolis ſuperficiei, ſive atmoſphaerae tantum ſolari inhaerere ſtatuamus, ſolem in centro ſyſtematis planetarii immobilem circa ſuum tamen axem motu vertiginis ferri, quod ante ratione fuerat aſſertum, ipſo iam ſenſu fuit comprobatum. Quanquam vero motus huius rotatorii exiſtentia extra dubium poſita eſt; ipſa tamen eum definiendi ratio, quae paſſim apud Auctores traditur, tam eſt complicatiſſimis figuris intricata, ut niſi ſingulari adhibita imaginationis vi parum inde lucis hauriri poſſe videatur. Rem igitur aſtronomiae perfectioni maxime proficuam feciſſe Cel. Auctor cenſendus eſt, qui in hac diſſertatione graviſſimi huius argumenti explicationem ab iſto inſigni incommodo penitus liberavit, dum non omnia modo, quae ad genuinam motus ſolis

ſolis rotatorii cognitionem pertinent, momenta dilucide explicavit, ſed ipſum quoque pro definiendo ſolis circa axem tempore periodico calculum facili et perſpicua methodo expedivit; cuius ope ſi plures plurium macularum obſervationes ſub examen revocentur, de axis ſolaris poſitione et gyrationis celeritate tutiſſimum ex plurium concluſionum conſenſu iudicium ferri poterit.

## P H Y S I C A.

I. *De caloris communicationis exceptione, Phaenomena nova experimentis elicita, et explicationes.* Auctore I. A. BRAUNIO. Quum in gradibus frigoris, ſub quibus fluida in ſtatum firmitatis tranſeunt, et caloris, ſub quibus ebulliunt, determinandis, Celeberrimus huius Diſſertationis Auctor occupatus eſſet; phaenomenon obſervavit ſingulare, licet non plane novum, quum Clariſſimus *Richmannus*, primus, ſine dubio eius inventor, in his Comment. eiusdem iam mentionem fecerit, quod a regula vulgari, qua ſcimus, calorem inter corpora contigua communicari, notabilem producit exceptionem; atque hoc phaenomenon in praeſenti diſſertatione exponit explicatque.

Vas, aqua ad duas tertias repletum, alii maiori, itidem aqua repleto, imponit, eaque vaſa igni exponit, adeo, ut aqua, in maiori vaſe contenta, ebullire incipiat, poſteaque gradum caloris ignis continue auget. Exſpectares, brevi fore, ut calor aquae bullientis, in maiori vaſe contentae, in aquam, in minori contentam, tranſeat, eandemque in ſimilem ebullitionem excitet. Verum hoc non factum eſt. Quin potius adhibito thermometro Cel. Auctor vidit, calorem in aqua bulliente exteriori ultra eum gradum, qui ad ebullitionem requiritur, augeri non poſſe, aquam vero in vaſe minori contentam, calore inferiorem eſſe aqua, in maiori contenta, gradibus novem, tantoque inferiorem perpetuo manere, ideoque ad ebullitionem nunquam pervenire.

Idem

Idem experimentum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo inſtituit, eademque phaenomena obſervavit. Verum cum vino, cum oleis aliisque fluidis idem non ſucceſſit. Tranſiit calor ex fluido exteriori in interius, donec hoc aeque ac illud ebullire coeperit. Caeterum notandum eſt, haec phaenomena ſupra dicta contingere, dum vaſa aperta ſunt; ſi clauſa fuerint, calor itidem ad ebullitionem requiſitus communicatur.

Poſt haec phaenomenorum relatorum explicationem Auctor ſubiungit, quam in eo invenit, quod aqua ad ebullitionem certum caloris gradum requirat, eumque, dum ſemel bullit, porro tranſcendere nequeat. Cum enim calor ex aqua vaſis maioris in aquam, in minori contentam, adeo usque tranſire non poſſit, quin ſemper differentia novem graduum inter utriusque aquae calorem maneat; patet, hoc modo calorem aquae in vaſe minori ſemper inferiorem manere eo, qui ad ebullitionem requiritur. Quoniam vero aqua in vaſis clauſis ſuper eum gradum, qui ad ebullitionem requiritur, calefieri poteſt; ratio ſimul conſtat, quare in vaſis clauſis fluidum interius aeque ac exterius ebullire coeperit. Denique cum fluida reliqua, in quibus phaenomenon non ſucceſſit, conſtantem itidem ebulliendo calorem haud ſervent, ſed is, qui ad bullitionem requiritur, longe augeri in iis poſſit, cauſa quoque manifeſta eſt, cur in his phaenomenon ſimiliter non ſucceſſerit.

II. *De Electricitate barometrorum disquiſitio.* Auctore I. V. T. AEPINO. Barometrorum quorundam ſingularis illa proprietas, ante hos fere centum annos a *Picardo* detecta, qua mercurii noctu agitati ſumma ſuperficies in deſcenſu lucem aliquam ipſi adhaerentem conſpiciendam praebet, ab eo inde tempore mirifice exercuit phyſicorum ingenia, in detegenda ſingularis huius phaenomeni ratione atque conficiendi barometra lucentia methodo fruſtra laborantium, donec ſummo tandem noſtri aevi Geometrae, *Io. Bernoullio*, genuinam eorum conſtructionem invenire licuerit. Barometris hiſce lucentibus miranda quaedam adfectio propria eſt,

eſt, cuius ignotus eſt primus inventor, prima vero in elementis phyſices *Hamburgeri* publica mentio fit; qua ſcilicet, ſi ad ſummitatem barometri, mercurio vacuam, leve aliquod pendulum admoveatur, id, deſcendente mercurio, attrahi, aſcendente repelli fuit obſervatum. Poſt varias pro utriusque huius phaenomeni explicatione effictas hypotheſes anno demum 1733, electricitatis theoria Ill. *du Fay* aliorumque experimentis amplificata, utrumque per vires electricas a phyſicorum aliquibus explicari coeptum eſt, aliis tamen minime conſentientibus. Cum igitur manca ſit de electricitate barometrorum theoria, quamdiu leges, quas vires attractivae barometrorum ſequuntur, non ſint penitus exploratae atque experimentis tanquam totidem ipſius naturae teſtimoniis comprobatae; dignum ſane argumentum hoc ea opera fuit, quam Celeberrimus Auctor in eo novis experimentis illuſtrando collocavit, quae cum genuina utriusque phaenomeni explicatione iis ſolide ſuperſtructa in praeſenti diſſertatione recenſentur. Praemiſſa ſcilicet eorum experimentorum, quae circa barometrorum lucem inſtituta ſunt, hiſtoria, quomodo ea phaenomena ab electrica vi oriantur, Cel. Auctor diſtincte exponit. In altera de vi attractiva barometrorum lucentium disquiſitione experimentis non aeque abundamus, neque talia adhuc inſtituta ſunt, ex quibus appareat, num iſta vis ex iis legibus, quas vis electrica ſequi ſolet, poſſit explicari; quod quidem experimentandi genus, quam ſit difficile, quamque artificioſe inſtituendum, facile intelligitur; atque in eiusmodi experimentorum ad explorandos ſingulares hos naturae effectus a Cel. Auctore pro ea, qua eſt, experimentandi dexteritate inſtitutorum explicatione potiſſimum huius diſſertationis caput verſatur. Cum ſcilicet attractionis huius effectus, quales ſeſe in iis barometris offerunt, debiliores ſint, quam ut inde quicquam poſſit concludi, Cel. Auctor, exemplo a lagena *Lugdunenſi* depromto, ſummitatem barometri mercurio vacuam exterius foliis metallicis tenuioribus obtegit, eoque id effecit, ut tubi

Zz z iſtius

iſtius vitrei electricitas omnis in metallum colligeretur, quae ad hunc ſtatum reducta ſatis fuit efficax, ut, inſtitutis circa eam experimentis, manifeſto oſtendi potuerit, vis iſtius attractricis explicationem utique eſſe ab electricitate repetendam. Interior ſcilicet tubi ſuperficies mercurii frictione poſitivam electricitatem nanciſcitur; unde repulſione ſua materiam electricam in vitri ſubſtantia latentem verſus exteriorem vitri ſuperficiem cedere cogit, quae ibi accumulata, ſuperficiem et metallum poſitive electrica reddit.

Quibus felici cum ſucceſſu expeditis ad theoriam hanc omnibus numeris abſolvendam Cel. Auctor electricitatem quoque negativam producere tentavit, idque ſingulari artificio feliciter praeſtitit; deſcendente ſcilicet mercurio, adeoque fluido electrico intus accumulato, ſummitatem tubi foliis metallicis obtectam corpore non per ſe electrico attigit; unde materia electrica in ſubſtantia vitri contenta, quanquam a vi interioris repulſa, tamen in exteriori ſuperficie accumulari non potuit, ſed in id ipſum corpus ipſi admotum tranſiens tubi ſuperficiem externam negative electricam reliquit.

En igitur omnem de luce et vi attractriva barometrorum theoriam egregiis Cel. Auctoris experimentis et meditationibus ita illuſtratam, ut nihil iam in ſubtiliſſima hac quaeſtione ulterius deſiderari poſſe videatur.

III. *Examen theoriae magneticae a Cel. Tob. Mayero propoſitae.* Auctore F. V. T. AEPINO. Graviſſimum in tota theoria magnetica problema, quo vis quaeritur, qua corpus magneticum in aliud in quacunque diſtantia ab ipſo remotum agit, reſolvi non poteſt; niſi aliis binis quaeſtionibus antea expeditis, una ſcilicet, quamnam diſtantiae functionem ſequatur vis, quam particula quaedam infinite parva, vi magnetica imbuta, in aliam itidem infinite parvam exerit; altera vero, quanam lege vis magnetica per corpus datae figurae

gurae diffundatur, unde illius intenſitas in quovis corporis puncto poſſit determinari; de his enim ſi conſtet, problematis completa ſolutio ex calculo integrali unice eſt repetenda. Pro utroque hoc momento Celeberrimus Vir, *Tob. Mayerus*, in diſſertatione quadam, de cuius contentis in novis litterariis Goettingenſibus fide digna occurrit recenſio, eam legem ſtabilivit, ut ſollicitationis intenſitatem in duplicata ratione diſtantiarum decreſcere; intenſitatem vero in quovis puncto, ſiquidem magnes prismaticae figurae ſupponatur, directam rationem diſtantiae a medio prismatis puncto ſequi aſſereret. Quarum legum cum examen exactius noſtram de magnete cognitionem non poſſit non plurimum illuſtrare, Cel. huius diſſertationis Auctor earum cum veritate conſenſum repetitis experimentis explorare conſtituit, quae una cum conſectariis inde deductis in praeſenti diſſertatione ordine et ſolide explicantur. Ac primo quidem quod ad ſitum centri magnetici attinet, ſeu illius loci qui partem boreali magnetismo praeditam ab altera auſtrali magnetismi ſeparat, et tranſitum quaſi illius ad hanc conſtituit; valde lubricam hanc eſſe inveſtigationem facile patet cum iſte tranſitus non ſubito, ſed legi continuitatis, quam natura, ſaltui inimica, conſtanter ſervat, conformiter fiat. Ex multis tamen experimentis ea methodo, quam Cel. Auctor hic exponit, inſtitutis abunde apparuit, ſuperficiem, qua utraque magnetismi ſpecies diſcernitur, irregulariter curvam eſſe poſſe, neque unquam fere prismatis longitudinem bifariam ſecare, ita ut *Mayeri* regula, qui id centrum cum centro longitudinis idem ſtatuit, vix unquam locum habeat, niſi in parallelepipedis chalybeis, quae per methodum duplicis contactus vi magnetica imbuuntur et communiter magnetum artificialium nomine veniunt.

Ad alteram de diſtributione vis magneticae per magnetem cuiuscunque figurae quaeſtionem primo notamus, eam ad ſolas virgas parallelepipedas duplici contactu magnetifica-

tas pertinere, cum in reliquis magnetibus, naturalibus ſeu artificialibus, vis iſta vel irregulariter ſit diffuſa vel adeo ab artificis quodammodo arbitrio pendeat. Cum igitur eiusmodi virgae, ſi magnetificantur, eo maiorem polorum alterno ordine ſe excipientium numerum adipiſcuntur, quo ſunt longiores, facile intelligitur, totidem quoque in iis centra magnetica dari, in quibus omnibus magnetiſmi nimirum expertibus, cum adplicatae ſcalae intenſitatum evaneſcere debeant, eam ſcalam curvam altioris ordinis eſſe liquet, neque vero rectam, ut *Mayerus* ſtatuit, niſi forte in virgis modice longis, quae ſolae eo reduci poſſunt, ut plures, quam binos polos, non nanciſcantur; quamvis et hoc in caſu fatendum ſit, conſtantiae naturae parum convenienter ſtatui, ſcalam intenſitatum, quae in virgis longioribus eſt curva ordinis altioris, ſubito, imminuta virgae longitudine, in rectam abire. Longe autem magis ardua de functione attractionum et repulſionum magneticarum quaeſtio eſt; ac *Mayerianam* quidem hypotheſin quod attinet, eam non multis ſolum dubiis eſſe obnoxiam, Cel. Auctor experimentis comprobat, ſed varia quoque contra experimentorum rationes a Cel. *Mayero* pro ſtabilienda hac hypotheſi inſtitutorum ſolide monenda invenit. Olim quidem ipſe in evolvenda theoria electricitatis et magnetiſmi occupatus in ſuſpicionem incidit, electricas actiones eam ſequi legem, ut in diſtantiarum ratione inverſa decreſcant, unde coniecturam aliquam deduxit, an forte magneticarum actionum eadem lex ſit, quae electricarum; nunquam tamen ex experimentis certi aliquid colligere licuit. Subtilisſima ergo haec inveſtigatio tantum abeſt ut pro confecta ſit habenda, ut potius ſummam phyſicorum attentionem et circumſpectionem exigat, cum peritisſimos naturae ſcrutatores vel in dubio reliquerit vel falſa adeo veritatis ſpecie deluſerit.

IV. *Deſcriptio novi phaenomeni electrici detecti in Chryſolitho ſive Smaragdo Braſilienſi.* Auctore F. V. T. AEPINO.

Quan-

Quanquam poſt publicatas a Cel. Auctore mirabiles *Tourmalini* proprietates variae variorum colorum gemmae *Topazio* analogae a Viro magnis in phyloſ. natural. meritis conſpicuo, *Wilſono*, ſunt detectae, quae in experimentis electricis *Tourmalino* prorſus ſimiles ſunt deprehenſae; earum tamen fere omnes etiam in reliquis proprietatibus tam cum *Tourmalino* conveniunt, ut eiusdem ſpeciei varietates potius, quam diverſum quoddam lapidum genus conſtituere videantur. Unus eſt Chryſolithus Americanus, a *Wilſono* in lucem productus, qui praeter electricas proprietates in omnibus a *Tourmalino* penitus diſcrepat, ita, ut eae lapidi huic Ceylonienſi non iam propriae ſint cenſendae. Huius igitur memoratu digni lapidis in praeſenti diſſertatione traditur deſcriptio una cum experimentis, quae Cel. Auctor circa eum inſtituit, quibus miranda ſane in chryſtalli huius et magnetum indole ſimilitudo illuſtri ſpecimine fuit comprobata.

V. *De vitro foſſili naturali ſive de Achate Islandico.* Auct. I. G. LEHMANNO. A ſimilitudine, quam inter artefactum vitrum et Islandicum Achatem intercedere chymica experimenta beat. *Lehmannum* docuerunt, novum huic lapidi, *foſſilis* ſcl. *vitri* nomen facere non dubitavit. Affinitatis illius vincula, praecipue in natura et indole lapidis quaerenda ſunt, aliqua tamen momenta addit quoque ipſius origo, nec contraria denique eſt novo nomini, externa lapidis facies. Ex hac enim, ſi fida ſit *Obſidiani lapidis* a PLINIO data deſcriptio, facile cum Auctore noſtro concludimus, non modo Islandico huic, aethiopicum illum lapidem plane eſſe ſimilem, ſed et novam denominationem ex antiquitate hauſtam et *Plinii* auctoritate eſſe probatam, qui nempe productum illud foſſile, iam olim vitris annumeraverat. Origo lapidis, propiorem paulo eius nexum cum vitro indicat: patet nimirum ex *Horrebowii* aliorumque peregrinatorum indubitatis teſtimoniis, ignivomum olim fuiſſe montem, qui hodie lapidis noſtri locus natalis eſt et in cuius ſuperficie magna

 copia

copia reperiri ſolet; nonne itaque licet ex hoc concludere, originem eius, actioni et vehementiae ſubterranei ignis eſſe adſcribendam? nonne omnes, aliorum quoque ignivomorum montium Lavae, vitreae ſunt naturae? nonne ergo hic lapis verum vitrum a natura, vulcani vehementer aeſtuantis ope productum? omnino id ex dictis veroſimillimum eſſe videtur, maxime ubi ſimul ponderaverimus, quae de natura lapidis, nunc brevibus recenſenda experimenta docebunt. Calcinatione leni nullo modo mutabatur, nec de pondere ſuo amiſit quidquam, fortiori autem, ſponte in fluorem abiit. Menſtruorum fluidorum, acidorum aeque ac alcalinorum actionem, immutatus pariter ſuſtinuit; unde eum natura ſua, propius ab aliis vitris tinctis, quam a reliquis lapidibus vitreſcibilibus abeſſe apparet, quod quidem illa quoque plane nihil, hi viro vel aliquid partium ſuarum metallicarum, vel et plurimas, in concentratiſſimis acidis deponere iisque privari ſoleant. Fuſiones denique inſtitutae variae: per ſe fuſus lapis, abiit in fluorem ſpongioſum et poroſum, ſed ut priſtino colore, ſic quoque priore ſua duritie ita donatum, ut non minus quam antea, chalybe percuſſus, ſcintillas daret: ſimile etiam vitrum, lapis cum pulvere carbonum commiſtus largiebatur; cum ſale tartari vero igni fuſorio expoſitus, vitrum dedit elegans ſubviride; cum borace cocta, vitrum diaphanum nigrum; cum Minio, vitrum obſcure hyacinthinum; denique cum viridi aeris, in vitrum mutabatur obſcure plumbeum. Ex hiſce fuſionibus duas potiſſimum ſequelas deduxit beat. Auctor, quarum altera docet, partes metallicas easque martiales huic lapidi ineſſe, quippe ſine quibus, nulla hoc modo tincta vitra oriri potuiſſent; altera vero eo redit, non lapidibus, ſed veris vitris annumerandum eſſe hocce productum foſſile, quod ſponte quaſi, nempe ſine aliis additamentis, idque moderato ſatis igne, in vitreum fluorem abierit, eventu ſane de aliis vitris artefactis denuo fuſis notiſſimo eisque communi, ſed quem, teſte experientia, nunquam a lapidibus cornuis vulgaribus, neque a

Quar-

Quarzis, multo minus a gemmis expectare licet. Ne vero lapidis cum chalybe ſcintillas excitandi facultas, cuiquam ſcrupulum moveat, monet poſt haec Auctor; duriora vitra, ea ſcil. quae absque calcibus ſaturninis, ex mera terra ſilicea et ex paucis partibus ſalino alcalinis fixis parata ſunt, idem plane exhibere phaenomenon; ſtringit hoc modo vinculum inter foſſile vitrum et hanc factitii vitri ſpeciem, et denique ſub finem diſſertationis ſuam quoque de materia, ex qua illud olim fuerit conflatum, ſententiam addit; eo illa redit: amianthinos et asbeſtinos lapides heic praeprimis in cenſum venire, id enim lapidum genus, fortiſſimo ignis gradu fuſum, prae reliquis in huiusmodi vitrum mutari atque huius rei luculentum haberi teſtimonium in ſcoriis illis probe vitrificatis, quae variis locis, ubi minerae metallicae ex matricibus asbeſtinis, vel amianthinis excoquuntur, e fuſoriis furnis effluere ſolent.

VI. *De Cupro et Orichalco magnetico.* Auctore I. G. LEHMANNO. Cum magnetica quarundam orichalci ſpecierum virtus, non ſua tantum novitate ſed et ſua quoque utilitate, mechanicis praeſertim artibus ſeſe commendare queat, dignam illam iudicavit, beat. Auctor, ut et in eius inquireret originem, et varias eius exploraret ac per experimenta definiret gradus. Hoc itaque ſcopo, quum ſtatim viderit, cauſam iſtius phaenomeni non in modo componendi orichalcum, quippe qui omnibus ſpeciebus fere idem, nec in cupro puro, quod pariter eiusdem ſemper ſit naturae, ſed maxime in diverſa zinci indole eſſe quaerendam, varias huius ſemimetalli ſpecies, lapides ſcil. calaminares varii generis, cadmias fornacum, et diverſas Pſeudogalenas, primo loco examini chymico ſubiecit. Docuerunt haec tentamina, varias ex iſtis mineris martialis eſſe indolis, alias contra, nullis ferri particulis inquinatas eſſe; docuerunt, calaminares lapides, quo maiorem a calcinatione contraxerint ruborem, eo magis quoque eos eſſe martiales; porro, quo fortius et diutius

diutius lapides iſti calaminares, cum vel abſque phlogiſto fuerint calcinati, eo maiorem eos acquirere magnetismum, praeterea, mineras et cadmias zinci plurima ex parte vel ferro deſtitutas, vel parum tantum eius continentes, aut nullum plane, aut debilisſimum ſaltem monſtrare magnetismum; ultimo denique, extingui iſtam magneticam vim minerarum zincinarum, ubi eo usque proceſſerit calcinatio, ut in vitrum abierint. His ita peractis atque cognita cuiusvis iſtarum zinci ſpecierum indole, ſecundo loco, variae earundem miſcelae cum cupro, anatica plerumque quantitate inſtitutae, additoque, ut fieri ſolet, carbonum pulvere, variae exinde orichalci ſpecies productae fuerunt. Non licet heic, ſingulae compoſitionis, magneticas proprietates vel earundem inertiam recenſere, aut per ſingula ire experimenta, ſequelas tantum ex eis deductas, breviter indicaſſe ſufficiat: nimirum 1°. orichalcum ex cupro et zinco purisſimis, elaboratum, nullum erga magnetem monſtrare obſequium, neque hinc in acum magneticam ullo agere modo; 2°. quo magis vero minerae zincinae partibus abundant martialibus, eo maiorem et fortiorem naſci in Orichalco magnetismum; hinc quoque a partibus illis martialibus lapidi calaminari, cadmiis fornacum et Pſeudogalenis admixtis et in praeparatione orichalci per phlogiſton reductis, unice pendere originem et cauſam magnetismi diverſarum orichalci ſpecierum. Explicata ſic, et ab omni dubio liberata phaenomeni iſtius cauſa, ultimo denique loco, agitur de quantitate ferri, ad producendum in cupro magnetismum ſufficiente. Vario itaque pondere inter ſe miſcebantur iſta metalla et varia quoque inde cupro magnetica acceſſit virtus: minima, ſi ratio ferri ad cuprum fuerit uti 1 : 32, maior gradatim, prout iſtius augebatur quantitas, maxima denique in utriusque metalli aequipondio conſtitit. Intermedios gradus exhibet tabula ad calcem diſſertationis adiecta, ex qua inſuper omnium hunc in finem inſtitutorum tentaminum ratio uno intuitu cognoſci poteſt.

VII.

V.I. *Specimen Oryctographiae Stara-Ruſſienſis et Lacus Ilmen.* Auctore I. G. LEHMANNO. Ultima haec, quam proponimus, b. Auctoris diſſertatio, itineris, quod Stara-Ruſſam, ex mandato AUGUSTISSIMAE ſuſcepit, relationem, variasque hac occaſione inſtitutas obſervationes, praeſertim oryctologicas exhibet. Huc pertinent ſtrata illa horizontalia ſchiſti albi calcarei, quae prope pagum Tſchedowam b. Auctor obſervavit, porro minera martialis lacuſtris, quae ibidem in fluvii cognominis fundo reperta eſt, et crebra denique veſtigia lapidis calcarei, quae ubique circa Novogrodum occurrebant. Pariter huc referendi ſunt calcarei lapides, ex quibus Novogrodenſis caſtelli moenia exſtructa ſunt, vario conchyliorum petrefactorum genere, Pectunculis nempe, Mytulis, Strombis etc. refertisſimi, quorum non circa iſtam urbem, ſed ad littora Ilmenſis lacus, natalem locum eſſe b. Auctor oſtendit. Accedunt quoque porro, ſtrata ſchiſti calcarei albi, reperti prope pagum Ugla dictum, et ſcaturigo aquae ſalſae ibidem in campis obvia. Maxime vero Salinae ipſae Stara-Rusſienſes eo ſpectant, utpote praecipua et notatu dignisſima pars mineralium iſtius regionis. Hinc quoque omni cura eas inveſtigavit b. Auctor, quae ad hiſtoriam earundem faciunt allegavit; ſcaturiginum ſitum, numerum, conditionem explicavit; denique aquarum ipſarum indolem ita expoſuit, ut appareat, illas praeter ſalem communem, ſal quoddam medium, mirabili ſali analogum, ſed impurum, continere. His factis, ad reliquorum fosſilium agri Stara-Rusſienſis, fluminum Poliſſae ac Lowat, et denique lacus Ilmenſis inveſtigationem ſe ſe contulit. Merentur ex illis heic annotari ſequentia, et quidem 1°. Terra nigra, pinguis ubique circa locum ſalſum oppidi Stara-Ruſſae reperiunda; penetrantisſimum illa ſpirat hepatis ſulphuris odorem, et hinc confirmare videtur opinionem: inveniri ſcl. nullam ſalis nativi fodinam aut muriae ſcaturiginem, quae non veſtigia ſulphuris et acidi vitriolici exhibeat. 2°. Terra martialis ochracea, et alia pinguis nigra, ad ripas fluviorum

rum Poliſſae et Lowat, in ſtratis ſub humo vegetabili latentes, quarum prior parum ferro dives, altera vero mere argilloſa eſt. 3°. Lapis calcareus, ad ſuperiorem partem Poliſſae fluvii repertus, ideo praeſertim notabilis, quod conchyliis teſta ſua naturali ex parte adhuc donatis, totus refertus ſit; in ſtratis ille occurrit horizontalibus, quae intertexta ſunt ubique aliis ſtratis argilloſis varii coloris et praeter micam albam, vera quoque terra calcarea remixtis. 4°. Denique ſchiſti rubri ſtrata, Calcarei-petrificatis condecorati et martiales lapides in omni littore Ilmenſis lacus obvii, qui horum foſſilium agmen claudunt. De veritate concluſionis, quam ex ingenti, hiſce in regionibus, petrificatorum copia et ex praeſentia modo dicti ſchiſti rubri, in fine huius diſſertationis deduxit b. Auctor, nemo facile dubitabit, nempe omnes iſtas regiones, Novogrodienſem principatum, Eſtoniam, Ingriamque olim fuiſſe inundatas et aquis-marinis ſubmerſas.

VIII. *De Formatione Inteſtinorum Obſervationes in ovis incubatis inſtitutae.* Auctore C. F. WOLFF. Ova incubata fontem nobis ſuppeditare, unde multa praeclara et utilisſima, tam generatim ad univerſam phyſiologiam, quam in ſpecie ad theoriam generationis ſpectantia dogmata hauriri poſſent, una cum *Harvaeo*, *Malpighio*, *Hallero*, ſummis in obſervanda natura viris, Auctor merito credidit; ideoque a quovis phyſiologo nunquam ſatis perſpici poſſe has animantium volatilium officinas, recte perſuaſus eſt.

Nunc iam ſeriem obſervationum, inde petitarum offert, quarum primarius finis eſt, ut, quomodo inteſtina in corpore animali formentur, inde eluceſcat, ſimulque adeo exemplum exſtet alicuius partis, manifeſto formatae, quo ſua de generatione theoria magis corroboretur, et amplificetur; deinde ut variae in ovis incubatis partes, quae aut nondum obſervatae, aut tamen non ſatis, quid vere ſint, et

cuinam

ouinam uſui inſerviant; cognitae ſunt atque perſpectae, innoteſcant. Ad illas praecipue ſingulare embryonis involucrum pertinet, quod, dum magnam cum amnio ſimilitudinem habet, eidemque exterius circumducitur, amnium ſpurium Auctor vocavit. Ad haſce areola pellucida ſpectat, peculiare interſtitium inter utramque areae vaſculoſae membranam, in quo embryo continetur, et quod primo tempore unicum eius habitaculum eſt. Die incubationis ſecundo finito intra hoc interſtitium amnium ſpurium formari incipit, et quando hoc novum embryonis habitaculum perfectum eſt, areola pellucida evaneſcit. Simili modo intra amnium ſpurium amnium verum oritur, quo plane perfecto et confirmato, ipſum quoque amnium ſpurium adeo reſolvitur, ut nullum eius veſtigium remaneat, quod poſt diem ſextum incubationis fieri ſolet.

Cum ipſa haec embryonis involucra, inprimis amnium ſpurium eiusque in ſpecie partes interiores, quae intra embryonem continuantur, formandis inteſtinis anſam praebeant; horumque igitur modus formationis haud intelligi queat, niſi prius natura et fabrica involucrorum perſpecta habeatur; idcirco neceſſe fuit, ut deſcriptio harum partium et quae ad eas pertinent, explicationi formationis inteſtinorum praemitteretur. Poſtquam igitur de differentia inter formationem partium, quae animalibus prae plantis propriae ſunt, veluti inteſtina ſunt, et earum partium formationem, quae utrisque communes ſunt, nonnulla generatim praefatus eſt Auctor; aream vaſculoſam, imprimis eius conſtructionem et diſtributionem vaſorum in ea deſcribere incipit. Inde areolam pellucidam, quae interior areae vaſculoſae pars eſt, eius phaenomena, figuram, mutationes, veramque conſtructionem et uſum explicat. Denique amnium ſpurium exponit ſecundum figuram, varias, quibus componitur, partes et conſtructionem.



Digitized by Google

Haec conſtituunt partem theoriae formationis inteſtinorum primam. In parte ſecunda ad interiores illas amnii ſpurii partes tranſit, quae intra embryonem producuntur, et quae ipſa iam inteſtinorum primordia ſunt. In regione amnii ſpurii, quae regioni embryonis cardiacae reſpondet, fovea eſt valde exigua, a membranae amnii ſpurii parte, intra embryonem producta, formata. Foveola eſt orificium ſpeluncae, quae ſurſum in embryone continuatur. Haec ſpelunca microſcopica ventriculum refert, adeo, ut eius cavitas ventriculi ſit cavitas; membranae pars, qua ſpelunca formatur, ipſa membrana ventriculi ſit, et ventriculus igitur ſub primo hoc ſuo initio anterius apertus exiſtat. A fovea illa cardiaca deorſum rima continuatur, ante ſpinam dorſalem poſita, eique parallela, ſimili modo a membranae amnii ſpurii media parte, quae utrinque ad ſpinam dorſalem ſe applicat, formata. Haec rima tubum inteſtinorum refert, qui primo tempore rectilineus eſt, et nonniſi ſucceſſive, dum creſcit, longitudinemque abdominis ſuperare incipit, curvaturas et convolutiones illas producit. Rimae cavitas eſt cavitas inteſtini, et membranae pars, qua rima formatur, eſt inteſtini membrana villoſa, adeo, ut inteſtinum, aeque ac ventriculus, anterius apertum ſit, et plane ſingulari ac miro ſpectaculo in exteriori embryonis involucro, in amnio ſpurio nempe, cavitas inteſtini appareat. Denique rima ad finem inferiorem terminatur foveola, quae ſuperiori foveae ſimilis eſt, atque eodem prorſus modo, quo illa ventriculum, inteſtinum rectum exhibet. Haec phaenomena ſingula, quae tertio ſcilicet incubationis die finito in ovis apparent, Auctor uberius deſcribit, et deinde eorum aeque ac amnii ſpurii, in quo illa apparent, ipſius prima initia, mutationesque, quas ad diem tertium usque ſubeunt, repetit. Denique illas mutationes eorum ſubiungit, quae a die tertio contingunt, donec vel prorſus evaneſcunt, vel in alia phaenomena tranſeunt.

Super-

Digitized by Google

Supereſt, ut haec inteſtinorum primordia, quae hactenus exterius tantum in integro amnio ſpurio conſiderata ſunt, interius quoque in amnio ſpurio aperto et in eorum ſuperficie poſteriori conſiderentur, quo, quod vera inteſtinorum primordia ſint, evidentius appareat; atque hoc in tertia theoriae parte Auctor ſe praeſtiturum eſſe promittit.

IX. *Deſcriptiones et obſervationes botanicae.* Auctore S. G. GMELIN. Novas aliquas, aliquas vero iam cognitas, ſed ulterioribus obſervationibus illuſtratas plantas, Cl. Auctor in in hac diſſertatione proponit. Prioribus annumeranda, primo venit planta aegyptiaca, Scandix *infeſta* Cl. Auctori dicta. Ex eius deſcriptione diſcimus, illam a reliquis huius generis ſpeciebus, in eo maxime differre, quod umbellarum ſemina exteriora hirſutisſima, intima autem glabra ſint, caeterum vero, propter eorundem ſeminum figuram, hanc magis quam ullam aliam ad Scandicem Anthriſcum accedere, licet non leve in foliis et in diſpoſitione umbellarum, inter utramque diſcrimen ſit. Altera novarum plantarum, Buniadis ſpecies eſt, cui a patria ſua, *aegyptiacae* nomen fecit noſter; externo equidem habitu haud multum a Buniade orientali diſtare videtur, verum pro nova ſpecie habendam eſſe, non tantum foliorum diverſa nonnihil figura, ſed praeſertim ſiliculae ſtructura ſuadet, quae in *orientali* tantum verrucoſa, in *aegyptiaca* vero mollibus ſpinis evidentius muricata eſt. Has ſequitur Piperis *longi arborei* ſpecies, inter ſiccas plantas ditiſſimi Academiae theſauri herbarii reperta et ab Ill. SLOANEO iam olim, ſed minus accurate delineata; huius itaque et novam Cl. Auctor concinnavit deſcriptionem et novam quoque fieri curavit iconem, ut rite hoc modo determinata, reliquis ſpeciebus Piperis addi, inſerique poſſit. Triumfettae genus, poſt haec, Cl. Auctor examini ſubiicit, atque in plures ſpecies, quam ab Ill. von LINNE factum, diſtinguendum eſſe cenſet; hinc, quae ſub Triumf. *Bartramiae* ſignis apud Ill. LINNAEVM hucusque

que militavit Agrimonia maderaſpatana PETIV. Gaz. t. 32. f. 10. in novam ſpeciem mutat et Triumfettae *ſpicatae* nomine proponit; *rhomboidalem* et *ſemitrilobam* praeeunte JACQUINIO a Triumfetta *Lappula* ſeparat, denique *laciniatam* dicit Triumfettam, quae RUMPHII Lappago amboinica eſt, et ab Ill. von LINNE pariter pro varietate Triumf. *Lappulae* habetur. Ex cryptogamiis plantis, ad quas cum Auctore progredimur, primo occurrit Aſplenium iamaicenſe PLUKNETII Phytogr. t. 53. f. 1. cuius mentio, cum nec a BRAWNIO, nec a JACQUINIO, nec denique ab Ill. von LINNE facta ſit, non ſupervacaneum fore duxit noſter, accuratam eius exarare deſcriptionem, ex qua haec planta ab aliis Adianti ſpeciebus, praeſertim ab Adianto criſtato SLOANEI, cui multum analoga eſt, diſtingui poſſit; hac itaque data, duas Osmundae ſpecies proponit Cl. Auctor, perperam, ut ipſi videtur, pro Lunariae vulgaris varietatibus ab aliis habitas; mavult ergo hac in re ſequi BREYNIUM, qui illas quoque a *communi* diſtinxit, atque alteram Lunariam *racemoſam minorem*, alteram vero *racemoſam multifido folio* dixit; priori Auctor Osmundae *lanceolatae* et poſteriori Osmundae *multifidae* nomen fecit. Denique ex eadem plantarum triba, duas quoque Pteridis ſpecies addit, a beat. STELLERO olim ex Sibiria miſſas, hinc quoque alteri nomen Pteridis *Stelleri*, quae Filiculae montanae, folio vario TOURN. ſimilis, alteri autem Pteridis *argenteae*, datum eſt, atque hanc poſteriorem cum Hemionitide profunde laciniata et ad oras pulverulenta convenire Cl. Auctor aſſerit. Claudit denique agmen Liquidambar *aſplenifolium*, cuius notabilis varietatis exemplum in fine diſſertationis deſcriptum exhibetur.

X. *De Proprietatibus plantarum ex charactere botanico cognoſcendis.* Auctore S. G. GMELIN. Scopus eſt Cl. Auctoris, in hac diſſertatione exemplis probare, evidentes illos characteres, quos natura plurimis plantis impreſſit, et ex qui-

quibus ſpecies, genera, familias, claſſes denique earum primo ſaepe intuitu cognoſcimus, non ſoli tantum botanico uſui eſſe dicatos, ſed ex iis, utiliſſimam quoque proprietatum plantarum cognitionem hauriri atque deduci poſſe.

Antequam ad probationem huius aſſertionis accedat Cl. Auctor, monet primo, non de *artificialibus* plantarum characteribus, quippe ad hunc ſcopum parum aut nihil facientibus, hic eſſe ſermonem, ſed de *naturalibus*, qui in complexu partium omnium ad plantas ſpectantium conſiſtunt; ſecundo, quasdam virtutes, determinatae cuidam plantarum familiae eſſe *proprias*, quasdam vero et aliis *communes*. His praemiſſis, ipſa proponit exempla demonſtrationi inſervientia. Deſumta illa ſunt a familiis quibusdam naturalibus plantarum, quibus ſingulis brevem virtutum medicatarum, nam de aliis alio tempore aget, explicationem Cl. Auctor addit. Ab Algis facit initium, ſpeciatim a *Byſſis*, *Conſervis* et *Fucis*, quibus omnino adeo evidentes a natura impreſſas eſſe notas patet, ut ab omnibus facile agnoscantur; his quoque omnibus adſcribit noſter, vim ſaponaceam et deobſtruentem, in aliis magis evidentem, in aliis minus, at confirmatam et probatam, per chymicam analyſin atque per experimenta cum Fuco *ſargaſſo*, Quercu *marina*, et Lactuca *marina*, inſtituta. Poſt has, *Lichenes* citat, atque uti omnibus eadem fere facies eademque ſtructura eſt, ſic quoque omnibus materiem quandam acrem, ſalino-reſinoſam, fixam, cum phlogiſto ita intime coniunctam, ineſſe docet, ut vis emergat incidens, calida, irritans, ſtimulans. Sequuntur *Muſci*; auſteros omnes eſſe, acidum terrae iunctum in ſe fovere atque hinc adſtringendi vim ipſis competere aſſerit. *Filices* quarto loco in ſcenam provocat, omnibus idem character botanicus, ſic quoque omnibus, virtutem roborantem, incidentem, aperitivam, adſcribit noſter, natam ex gummoſis partibus, cum reſinoſis mixtis, quibus terra et martiales atomi per magnetem extrahendae, pro baſi

baſi inſerviant. Ad *Gramina* porro procedit, ac ſeminum illorum, notisſimam, farinaceam, mucilaginoſo - oleoſam et nutrientem, foliorum et radicum vero ſaponaceam, aperitivam demulcentem virtutem confirmat. *Leguminoſas* graminibus proximas facit, propter ſeminum pariter nutrientem facultatem; abſtergentem vero, reſolventem et diureticam, radicibus, foliis et floribus earundum adſcribit. *Liliis* vim aperitivam variae modificatam tribuit. *Scitamina*, aethereo oleo ſtipata, omnia aromatica eſſe concludit. *Umbelliferas* omnes calidas atque ſudoriferas praedicat. *Compoſitas*, ſalutares, aperientes, reſolventes laudat, et ſpeciatim *Radiatas* blandisſime, *Capitatas* intenſius, *Corymboſas* vero, propter innatum calidum, vehementisſime agere aſſerit. *Cucurbitaceis*, ſecundum Cl. Auctorem, mucilago et periculoſa frigiditas ineſt; *Orchidibus* contra calor, et cum nutriente, aphrodiſiaca quoque virtus. *Maluae* omnes, emollientes ſunt. *Solana*, veneno narcotico ſcatent, atque his *Aſclepiadeae*, propter eandem qualitatem ſimiles ſunt cenſendae. In *Oleraceis* digeſtivam, emollientem et temperantem facultatem, quotidianus earundam probat uſus, ad quas etiam *Aſperifoliae* accedunt, niſi quod ſint magis mucilaginoſae. *Gentianas* porro laudat, propter virtutem tonicam et aromaticam; *Anagallides* propter analepticam, reficientem, et excitantem; *Ringentes verticillatas*, propter aromaticam et reſtaurantem. *Perſonatis* tribuit reſolventem, abſtergentem, diureticam atque tonicam; denique *Naſturcinis*, quas ultimo loco proponit, notisſimam illam et omnibus huius familiae plantis competentem facultatem antiſcorbuticam. Exceptiones nonnullas, a variis partium plantas conſtituentium modificationibus proficiſcentes ipſe Cl. Auctor ſuis locis indicavit; hinc misſis aliis, properabimus ad concluſionem, quam ipſe quoque ex antecedentibus deduxit, et quae eo redit: innuere ſcilicet botanicam faciem, qualis oblatae plantae competat virtus generaliter, reliqua vero ex uſu atque experientia eſſe diſcenda.

XI.

XI. *De Glacie Mariae Ruthenica.* Auctore S. G. GMELIN. Exhibet Cl. Auctor in hac diſſertatione, hiſtoriam utiliſſimi producti foſſilis, Glaciei ſcl. Mariae ruthenicae, ex obſervationibus et relationibus itinerariis beat. GMELINI atque STELLERI excerptam. Primo, de natali eius loco refert noſter, illam et copioſe ſatis et optimae notae, in ea Sibiriae regione reperiri, quae ad Witimum fluvium ſita eſt, infra hunc vero, illam prorſus exſpirare, ut neque ad Oceanum ſeptentrionalem usque, neque abhinc orientem verſus, ullum eius appareat veſtigium. Varia deinde, quae Glaciei huic data fuerunt nomina recenſet; genus foſſilium, ad quod referenda ſit, docet, et modum denique in illam inquirendi eamque effodiendi, ruthenis Glaciei M. foſſoribus uſitatum, dilucide exponit. His deinceps addit Cl. Auctor, varias obſervationes ad cognoſcendum creſcendi modum huius Micae ſpectantes, et ex quibus diſcimus, rupes ingentes, umbroſas et irriguas eſſe, in quibus creſcere ſoleat; verſus omnes plagas illam quidem occurrere, ſed quae ſeptentrioni obverſa ſit, gignere meliorem copioſioremque, in meridionali autem plerumque reperiri rubiginoſam et viliorem; non in venis illam creſcere, ſed haberi in nidis ſparſis, quibus evacuatis nulla amplius ſuccreſcat; ſignum proximum inveniendi Glaciem iſtam, materiam quandam eſſe inter micam et talcum mediam, friabilem, *Barga* a foſſoribus dictam; hac enim remota, Glaciei ſtrata in conſpectum venire, atque his ablatis, iterum *Bargam* ſequi, ſub qua denuo alia Micae ſtrata ſint; ſitum ſtratorum varium eſſe, nunc perpendicularem, nunc varie ad horizontem inclinatum; denique in vertice montium illam rariſſime reperiri, ſed copioſam et optimam aut in medio, aut circa radices rupium creſcere. His expoſitis diverſas ſpecies atque varietates Glaciei, varia nempe pelluciditate, magnitudine et colore differentis, Cl. Auctor recenſet, et dari pellucidiſſimam, albam, viridem, nigram, rubiginoſam, maculatam, ſtriatam, dari denique attactu in fruſtra acuta collabentem, refert: addit quoque remedium vetuſtam



Digitized by Google

et rubiginoſam purificandi, ac ultimo loco ſuam de geneſi huius Micae explicat ſententiam: conſiſtere nimirum materiam illius proximam in ſubſtantia terrea, a gypſea non multum abludente, atque hanc ab humiditate ſubterranea ita emolliri, ſolui et elutriri cenſet, ut leviores deinde partes cum portione ſua acido ſalina, cremoris inſtar, ſurſum emergant atque hac ratione ſucceſſive et poſt longum tempus in laminas illas concreſcant, glaciemque conſtituant.

XII. *Deſcriptio Tubulariae Fungoſae prope Wolodimerum menſe Iulio 1763. obſervatae.* Auctore P. S. PALLAS. Nova eſt Tubulariae ſpecies, quam Cl. Auctor in hac diſſertatione proponit, eſtque illa eo magis notatu digna, quod omnia reliqua aquarum dulcium hucusque cognita Zoophyta, ſua mole, ſuaque conſiſtentia ita ſuperet, ut marini potius producti, quam mediterranei fluminis incolae prae ſe ferat ſpeciem. Deſcriptio, quam Cl. Auctor de illa dedit, ita perſpicua, concinna et omnibus numeris abſoluta eſt, ut omnino labore, eam heic explicandi vel in compendium redigendi ſuperſedere queamus; id ergo unicum ex obſervationibus Cl. Auctoris heic addidiſſe ſufficiat: intercedere quidem affinitatem quandam inter novam hanc atque illam Tubulariam, quam in Elencho ſuo *gelatinoſam* aut *coralloideam* dixit, ſed priorem ab hac in eo maxime differre, quod in maius volumen excreſcere ſoleat, quod multo ſit ſolidior, et denique quod nunquam reptantibus tubulis, ſed ſemper in glomeres collecta, fungoidea cruſta conchylia obvoluentes, ſit reperta.

## ASTRONOMICA.

I. *Animadverſiones in ſupplementum Cel.* Pingre *ad diſſertationem eius de Parallaxi Solis.* Auctore STEPH. RVMOVSKI. Anſam huic lucubrationi praebuit ſupplementum Cel. *Pingre* ad diſſertationem de parallaxi Solis Vol. LIV. Transactionum Societatis Londinenſis inſertum. Ibi cum Cl. Auctor videret, Cel. *Pingre*, poſita longitudine urbis Selenginsk

ginsk $6^h . 57'. 50''$, ex combinatione obſervationum Selenginski et in Inſula Rodrigues ſuper Venere habitarum parallaxin Solis elicere $10'', 1$, conſtituit penitius inquirere, utrum aſſumta a Cel. *Pingre* Longitudo urbis Selenginsk cum obſervationibus ibi habitis conſiſtere poſſit? Idcirco brevibus commemorat, ex obſervationibus Satellitum Iovis, unica excepta, nec non ex occultatione φ Sagittarii a Luna, eandem fere ſe invenire Longitudinem urbis Selenginsk, ac Cel. *Pingre* reperit.

Praecipuum autem argumentum aſſumtae a Cel. *Pingre* Longitudinis in eo poſitum eſt, quod in computo Longitudinis ex obſervatione Eclipſeos Solis Selenginski habita ſtatuerit errores Tabularum Lunarium *Maieri* in Longitudinem $- 30'', 9$ et in Latitudinem $+ 3''$, quantos ex obſervatione quarundam phaſium eiusdem deliquii Caianeburgi obſervati deduxerat. At cum in eruendo Tabularum errore aſſumta a Cel. *Pingre* differentia meridianorum Pariſienſis et Caianeburgenſis $1^h . 41', 5''$ a vera $29''$ et amplius deficiat, indagat Cl. Auctor, quantus error Tabulis Lunaribus tribuendus ſit, ſi in computo ſi non vera, aſt certe vero propior, Longitudo Caianeburgi $1^h . 41'. 44''$ adhibeatur. Calculo peracto ex combinatione earundem phaſium cum fine Eclipſeos errorem Tabularum in Longitudinem $- 39''$ et in Latitudinem $+ 14''$, quibus adhibitis Longitudinem Selenginsk invenit $6^h . 57'. 35''$.

Combinatio diverſarum phaſium cum fine Eclipſeos Caianeburgi obſervato diverſos praebet Tabularum errores: Cel. *Pingre* videntur praeferendae combinationes binarum ultimarum; Cl. vero Auctori combinatio ſecundae phaſeos cum fine deliquii, quippe quae errorem tabularum Lunarium in Longitudinem dat $- 43'', 6$ et in Latitudinem $+ 26'', 1$ medium inter omnes reliquas combinationes; unde longitudo urbis Selenginsk reſultat $6^h . 57' 15''$. Hinc

 con-

Digitized by Google

concludit, differentiam meridianorum Selenginſkenſis et Pariſienſis a Cel. *Pingre* non recte eſſe ſtabilitam, et obſervationem Veneris Selenginski inſtitutam collatam cum obſervatione in inſula Rodrigues habita nullatenus parallaxin Solis 10″, 1 praebere poſſe.

II. *Obſervationes non nullae in obſervatorio Imperiali Petropoli habitae.* Auctore STEPH. RVMOVSKI. Hic primum comparet obſervatio ſolſtitii aeſtivi anno 1763. habita; ubi recenſentur cautelae quae in obſervatione peragenda adhibitae ſunt. Altitudo Solis ſolſtitialis media ex quatuor obſervationibus fluit 53°. 31′. 56″, 2 et altitudo Poli obſervatorii Petropolitani 59. 56. 22, 8 poſita obliquitate Eclipticae 23°. 28′. 19″.

Dein occurrunt obſervationes Satellitum Iovis Anno 1766. habitae, occultationis non nullarum ſtellarum e Pleyadibus a Luna, et denique obſervatio Eclipſis Solis, quae contigit Die $\frac{25}{5}$ $\frac{\textit{Iulii}}{\textit{Aug.}}$. Lectorem, harum obſervationum cupidum ad ipſas obſervationes ablegamus.

## *IN ELIAE PALAIRETI, SACERD. TORNAV. Obſervationes in N. T. Philologico-Criticas, Stricturarum PERICULUM I. CAROLI LUDOVICI BAUERI A. M. et Scholae Hirſchbergenſis Sileſiae Rectoris.*

Lectio libri, cui maxime ſucciſivis, quaſi furtim, vacarem horis, ab *Elia Palaireto*, Viro Cl. ac Rever. Eccleſiae Gallicae Tornavienſis Antiſtite, *Obſervationum Philologico-Criticarum* nomine, Lugduni Bat. 1752. apud. Corn. Haakium eo conſilio evulgati, ut puram Vir doctiſſimus graecae orationis elegantiam N. T. libris aſſereret, immo affingeret, ſtricturas iſtas peperit. Noviſſimus eorum repertus eſt,

eſt, qui cum Pſocheniis, Blackewallis, aliisque, inviſam atque intolerandam ſanis omnibus ſententiam, tot iam firmiſſimorum argumentorum telis confoſſam, refoverent, inflictumque ſanae interpretationi vulnus refricarent; quod dudum coaluiſſe, quo dignius huius aevi ſtudiis videbatur, eo magis mirari, atque indignari adeo, ſubiit, exſtitiſſe in hac literarum luce, tam pravae cauſſae, tot iudiciis laceratae ac condemnatae, ſerum vindicem, qui tam infeliciter egregiis doctrinae copiis abuteretur. Nam, ut, praeclare in iſto libro obſervari, aut omnia, per ſe quidem, aut plurima certe, agnoſco lubens et fateor: ſic, quam incommode, ut leniſſime dicam, ad obtundendam Viris divinis elegantiam cuncta fere contuliſſet, ſtatui, cum praeſertim ſuaderi illud et commendari nuper in Commentar. Literar. Halenſ. vidiſſem, vel integro libro, vel, ſubinde data occaſione, carptim notare.

Atque illis quidem commemorandis ac notandis merito ac libenter ſuperſedeo, quia translatitia et vulgata ſunt, quae cum aliis huius cauſſae patronis communia Noſter habet: ut impietatis crimine Hebraiſmi vindices aſpergat, ut in ſingulis vocabulis loquendique formis haereat, univerſae orationis colore, conſtruendi componendi ac nectendi colligendique modis plane neglectis: ubi tamen et vocabula phraſeſque evidentiſſima Hebraiſmi nota inſignes, ne tactas quidem a Viro doctiſſ. ſubinde monendi erit locus, ut, quae pro Hellenismo aſſerit, e poetis, Pindaro, Sophocle, Anacreonte, e ſcriptoribus virorum divinorum aetate aliquanto poſterioribus, Dione Caſſio, Aeliano, Laertio, Maximo Tyrio, quin ex feris et Hebraismo propioribus, Porphyrio, Achmete, et Anthologicis quoque Agathia, Pallada, aliisque auctoribus defendat, quorum auctoritatem fruſtra adhiberi, dudum et ſaepe diverſae partis principes monuere. Eo tamen amore ſuſcepti negotii prolapſurum non credideram, ut etiam e V. T. et LXX. Interpretibus in N. T. allata, quaſi Lucae aut Paulli ipſorum verba promiſcue cum horum

verbis Hebraiſmi nota purgaret; quod vix unquam, quid ageret, reputanti in mentem venire poſſe videretur. Sed iam, ne cauſſae ipſi locum minus neceſſaria praefatio eripiat, ad ſingula loca veniamus.

Rom. I, 4. *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν.* Quot Hebraismos hic tranſierit Autor, cui intelligenti non apparet? Iam ante haec verba quomodo defendet, *δοῦλον Θεοῦ, κατὰ σάρκα, πνεῦμα ἁγιωσύνης,* qua ſtructuram, qua ſenſum; et hic, *ὁρίζειν* pro *ἀποδεικνύναι*, *probare*, confirmare, declarare, *ἐν δυνάμει*, *potenter*, efficaciter; *ἀναστ. νεκρῶν*; unum illud *ἐκ* tangit, quod, ut pro *poſt* poni ſaepe facile conceſſerim, non tamen aſſequor, quid ſit Chriſtum *poſt* reditum in vitam declaratum eſſe filium DEI? Immo *per* reditum illud factum, hoc eſſe e loco germano, Act. 17, 31. ſole clarius patet. Cum Graecismo autem *ἐκ* pro *διὰ* poſitum, vereor ut defendat; immo Hebraismus eſt, praepoſ. מן uſui reſpondens, ut Rom. 5, 1. *δικαιωθέντες ἐκ πίστεως*, Matth. 12, 37. *ἐκ τῶν ἔργων σόυ δικαιωθήσῃ κ. τ. λ.*

Equidem, illud *ὁρίζειν* cui Hebraismo hic componam, vix video. Nam, ut typos, niſi ab ipſa Sc. S. monſtratos, ita et Hebraismos, niſi quos *οἱ ὁ* commonſtrent, temere adſciſcendos non puto: poſſimque, quam cupide in hanc partem abierint Hebraismi vindices, multis exemplis, ſi patiatur locus, oſtendere. Latinismum hic eſſe puto, Paullo non alienum: qui cum huic verbo Ebr. 2, 7. *deſtinandi* et *conſtituendi* notionem tribuat, latinum autem *deſtinandi* voc. eo tempore ſaepe ſignificarit, *habere, deſignare*, creare, nominare, iudicare, ut apud Tac. An. 1, 3. *conſules deſtinari*, Hiſt. 3, 12. *Cornelium praefectum ſibi deſtinat;* (v. et Hiſt. 1, 26.) inprimis c. 21. *qui proximus* (a principibus,) *deſtinaretur*, i. e. haberetur: poteſt et hic Chriſtum dicere *ὁρισθέντα* filium D. *deſtinatum*, i. e. declaratum publice ac ſollemniter, deſignatum, quem haberemus et agnoſceremus filium ipſius, quia ſcil.

erat,

erat, et per reditum in vitam probatus erat. Nam, quod *natura* Chriſtus erat Dei filius, id publicam *declarationem*, quae ex Pſ. 2, 7. חוק, *decretum*, imperium vocatur, oeconomicam minime impedit: qua conditione, qua noſtram ſcil. agnitionem venerationemque, etiam *omnium rerum heres, vel dominus*, τεθεὶς, *inſtitutus* dicitur, Ebr. 1, 2. et ἁγιασθεὶς, (υἱὸς,) Ioh. 10, 36. quem tamen ab aeterno fuiſſe, e ſequ. et Col. 1, 15. 16. 17. apparet.

1, 23. ἤλλαξαν κ. τ. λ. Haec verba plane ita leguntur Pſ. 106, 20. unde haud dubie ducta eſſe videntur, multiplici Hebraismo, ἐν pro εἰς, ὁμοίωμα εἰκόνος, per pleonasmum. Quid Noſter? Silet: De re ipſa Maximi Tyrii locum affert: quaſi argumentis res indigeret.

vſ. 26. παρὰ φύσιν ἡδοναὶ apud Lyſin, quas hic affert, ſunt voluptates immodicae, animales, corporeae, cui magis, quam menti, ſervire, *contra naturam* eſſe, Salluſt. ait, Iug. 1. Nec Senecae locus huc facit: nam Hippolytus de *inceſtu* inter conſanguineos loquitur. Aptius poſuiſſet Epigr. ult. Anthol. 1, 78.

Θηλυτέρας φιλέειν, ὀλίγον κακόν· οὕνεκ' ἐκείναις
Κοπριδίους 'σάρους πότνα δέδωκε φύσις.

v. 19. μεστοὺς φθόνου, φόνου. Quam hic paronomaſiam invenit auctor, non agnoſco, cum neque disiunctio ſit, neque comparatio, ut in allatis locis, τόπον, οὐ τρόπον, vel, et alia verba hic ſint cumulata, in quae Paronomaſia non cadat, alioquin nec Paullo, neque omnino ſacris infrequens literis, ut vel Glaſſius docet, in Rhet. S.

C. II. 2. το κρῖμα τοῦ Θ. κατ' ἀλήθειαν, ſi κατ' ἀλήθ. ſecundum Noſtrum h. l. ſign. *vere, certo*, quod per ſe poteſt, et allata declarant loca: Hebraismum quo pacto effugiet in phraſi, quae remanet: *iudicium Dei eſt ſuper facientes iſta?* Quod, amore ſuſcepti deceptus, non ſenſit. Immo κατ' ἀλήθ. reſpondet Hebr. אמת et ſic iam expl. Glaſſius.

vſ. 5.

vſ. 5. ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς. ὀργὴν pro *poena* et *vindicta* poſitam Hebraismo non eximunt loca allata. Nam ὀργὴν φήναντι Θεῷ, apud Philoſtrat. eſt, *iram* ſuam (in Iudaeos) oſtendenti Deo. Et ὀργὴν ἀναβάλλεσθαι, apud Dion. Halic. Latinorum more dictum, *iram, dolorem differre*, i. e. condere, erumpere non pati: ſicut et rei in iudiciis, *debitores*, petitores, aliique homines *differri, ampliari* dicuntur, i. e. non illico abſolvi, expectare iuberi.

v. 15. Emphaſium commenta non amo; hic tamen, ſine Emphaſi ſcilicet, ipſo vocabuli uſu, ἔργον νόμου opponitur *legi ſcriptae*, quam habere pagani h. l. negantur; eſt ergo *vis* legis, opera et officia legi conſentanea quaſi *materia* legis, quibus *formam* praeſtaret, lex Moſaica. Neque in locis ab auctore poſitis, ut ἔργον νόμου explicaret νόμον, quod, ſi conſtare ſibi vellet, ut Hebraismo propius, non probaret aliter interpretes. Nam Epheſ. 4, 12. ἔργον διακονίας, eſt aut pro ἔργον καὶ διακονίαν, cuius rei exempla dedi. in Spec. II. Obſſ. ad Glaſſii Phil. 5. aut ſign. *opus ad miniſterium*, v. uſum miniſterii ſacri, 1 Theſſ. 1, 3. ἔργον πίστεως, non magis quam ſequ. κόπος ἀγάπης, ὑπομονὴ ἐλπίδος, redundant, ſed abſtracta pro concretis poſita, notant, fidem operoſam, efficacem, caritatem laborioſam et occupatam, ſpem patientem. Apud Polyaen. 1, 18. ἔργον τοῦ λογίου eſt res oraculo praedicta, quam vere innuerat, etſi *verbis* ambiguis expreſſa. Apud Laert. Prooem. τὸ ἔργον τῆς φιλοσοφίας eſt philoſophiae materia, cui forma ratioque deeſſet, philoſophia non artificialis, ſed ſimplex et naturalis: qualis, ut hoc utar, Logica fuit ipſis philoſophis, antequam ab Ariſtothele per praecepta in formam artis redigeretur. Sic Barbari habuerunt ἔργον φιλοσ. ut pagani τὸ ἔργ. τοῦ νόμου. ἔργα μάχης ſunt opera bellica.

C. III. 2. κατὰ ἄνθρωπον λέγω. Etiamſi haec verba, ſecundum V. doctiſſ. ſignificent, *ut homo loquor:* quod tamen obſcure dictum, ac reddendum potius videtur: ex illorum hoc

hoc perſona et re dico, qui mihi repugnant, et Dei conſilia e ſuis metiuntur moribus: loca tamen allata huc non quadrant. Nam apud Diod. Sic. L. I. μακρόβιον, ὡς κατ' ἄνθρωπον, ſign. *longae vitae, ſi cum hominis aetate compares:* et μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖν, ſignif. *ultra humanitatis modum ac faſtigium ſeſe tollere,* mortalis conditionis immemorem, Deo ſeſe exaequare.

vſ. 23. ὑστερ. τῆς δόξης τοῦ Θ. Concedi poteſt Noſtro, per ſe quidem τῆς δόξης τοῦ Θ. poſitum pro, θεοῦ τῆς δόξης, quod mere tamen Hebraicum eſſe adeo non vidit, ut etiam Plautinum *ſcelus vir,* reſolveret, *vir ſceleris:* quaſi quiſquam latinorum ita uti Genitivo poſſit. Nec tamen video, quid deinde ſit, ὑστερεῖσθαι τοῦ Θ. *carere Deo,* quod nec ipſe tangit. Neque apud Lucianum ναοῦ ὄλβον περικρεμῆ ἀγάλμασιν, explicem ὄλβον ναοῦ περικρεμοῦς; nam hoc foret e quovis quidvis facere. Neque δόξα θεοῦ eſt hypallage caſuum, pro θεὸς δόξης, ſed abſtractum pro concreto. Sed ὄλβον apud Luc. iungo ἀγάλμασιν, templum, circa quod ſuſpenſa ſint ἀγάλματα ὄλβον, donaria et monumenta opum felicis vitae ſigna et ornamenta, a beatis conſecrata.

C. IV. 1. quod εὑρηκέναι expl. *conſecutum eſſe,* bene habet; ſed cur Hebraiſmum non tangit, κατὰ σάρκα?

vſ. 6. λέγει τὸν μακαρ. τ. ἀνθρ. Plura hic uno loco perperam iudicata invenias. Primo, quod citra neceſſitatem ſupplet, εἰς τὸν μακαρ. vel πρὸς μ. *Quid* enim dicat Paullus *in* hanc *felicitatem,* vel *de illa?* Nam nec Ioh. 6, 71. in verbis ἔλεγε τὸν Ἰούδαν, ſuppleri opus eſt πρὸς, ſed Latinorum pariter ac Graecorum more ſatis noto dictum eſt, ut *M. Craſſum patrem dico,* i. e. *intelligo,* indicatum volo. Et quod ibi Ciceronis affert: *ne ſemper Curios ac Luſcinos loquamur,* alienum eſt; ſign. enim commemoremus, crepemus, in ore habeamus; ut apud Horat. Serm.

*Modo reges atque tetrarchas,*
*Omnia magna, loquens,* i. e. crepans.

Deinde, quod hic affert ex Heraclide Allegor. Homer. λέγει τὴν ἐν τοῖς πάθεσιν ἀφροσύνην, ſign. *intelligi vult*, *innuit;* quod ab hoc alienum eſt: multo alienius e Dion. Halic. L. 3. πολλὰ εἶχον-πρὸς τὰς δικαιώσεις λέγειν. ubi πρὸς eſt, *contra*, ut Latinis: *ad haec, nil habeo, quod dicam.* Quin Hebraismum agnovit, etiam citra τοὺς ὁ expreſſum אשרי־האיש, ſcil. אני אומר. Etiam μακαρισμὸς, opus pro conditione vel ſtatu poſitum habet.

C. V. v. 12. ὥσπερ καὶ οὕτως εἰσπ. ἀνθρ. Quomodo exemplis, ubi οὕτω καὶ reſpondet τῷ ὥσπερ, pleonasmum τῷ καὶ vitare atque exterminare velit Vir Rever. non video: nam alia profecto ſtructura eſt, *et ſic*, alia, *ſic etiam.* Quod ſi καὶ οὕτως reſpondet τῷ ὥσπερ, utique καὶ redundat: quod tamen, ut, Hebraismi memor, non vereare: ita h. l. opus eſſe non videtur, cum οὕτως nondum apodoſin incipiat, quod credere videtur Vir. Cl. ſed ad antecedens ſit referendum, quod ab ὥσπερ pendet, cui, qua formam, at non qua rem ipſam, quam vſ. 18. poſt parentheſin per Epanalepſin habet, conſequens deeſt.

vſ. 15. ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρ. χάριν καὶ δωρεὰν per Hendiadyn pro *dono benigno* poſitum, tantiſper concedam: quod tamen praemiſſus articulus ἡ pati non magis videtur, quam, ut Ioh. 1. χάρις καὶ ἀλήθεια ſit χάρις ἀληθὴς quod in eiusmodi attributo, non arbitrario, ſed neceſſario atque eſſentiali, quin paene ſupervacaneo, locum haud habet; nam ſi χάρις eſt, profecto *vera* eſt χάρις; nec, cur addi debuerit, ut νόμῳ opponeretur, *veritatis* notio, video; ſed ἀλήθεια ibi, ad Hebr. אמת, τῷ חסד iunctum eſt *benignitas;* loca tamen commemorata ſimplicem habent Dativum, χάριτι, vel εἰς χάριν, adde et, πρὸς χάριν, ἐν χάριτι autem Hebraismum evidenter habet. Nec video, quid ſit, nobis *in gratiam Ieſu Chr.* (Chriſto zu Liebe, zu Gefallen,) ſalutem dari. Immo ſicut χάρις manifeſto opponitur τῷ παραπτώματι cui vſ. init. opp. χάρισμα, h. e. δωρεά, haec ἐν χάρ. Ἰησ. χρ. nihil aliud eſt, niſi conſequens

quens et coniunctum τῇ χάριτι τοῦ Θ. immo cauſſa: *donum, beneficium*, per reconciliatum a Chriſto favorem nobis partum. Neque vero οἱ πολλοὶ pure Graecis *ſunt omnes*, ſed tantum multitudo, populus; ut in Luciani loco allato, μάρτυρα πρὸς τοὺς πολλοὺς, teſtem ad populum vel apud alios. Ad ſuperius ἓν διὰ δυοῖν quod attinet, omnino liberalior eſt, quam par erat, in hac figura admittenda, quae tamen, ut omnes figurae Grammaticae ſemper in ſe abſurditatis aliquid habet. Sed longius progreditur. Novitne aliquis Hendiatrion? neque ego; et Noſter dabit, ad Ioh. 14, 6. *via veritas et vita* illi eſt *via viva et vera*. Nonne hoc eſt Hendiatrion? At quid durius? Ne apud Horat. quidem Od. 2, 1. 2. belli vitia et modos, cur *vitioſos modos* explicet, video. *Vitia belli* ſunt *peccata ducum*, *modi* ſunt *artes, furta bellica*, quin ipſa proelia, loco et ratione varia, itinera, rel.

C. VI. 5. ἀλλὰ καὶ τῆς ἀνας. ἐσόμ. Ut ἅμα pro ἀλλὰ inſerentem Bezam recte repudiat Noſter: ſic ἀλλὰ pro *utique* poſitum, vereor, ut adhibita loca apte monſtrent. Nam apud Aelian. V. H. 4, 13. ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανὸν, ἀλλὰ τούτῳγε οὐδὲν ἱκανὸν, cui germanus eſt locus 14, 4. ἀλλὰ reſpondet Latinorum *vero*: cui parum non ſufficit, ei *vero* nil ſatis eſt: cui nil ſatis eſt, ei *vero* nil turpe. Et videtur utrumque vim quandam et quaſi alacritatem habere, ut et in his: *indignum vero facinus; ſolamen vero familiae*, apud Terent. Phorm. Nam apud Dion. Halic. L. 6. ἀλλ' οὐκ ἔχω, εἰπεῖν, ſimpliciter eſt, enim. In loco Paullino poſſit verti *porro*, *deinde*, ut 2 Cor. 7, 11. ubi ſaepius iteratum vix aliter verti poſſe videtur; certe, ut dixi, vim quamdam et vigorem orationi addit. Similem quodammodo, vim dicam, an redundantiam, habet *ergo*, apud Lact. de Vit. b. 1, 18. *ſi virtus tolerantia malorum eſt: non capiunt* ERGO *virtutem, qui ſemper in bonis fuerunt;* et καὶ apud Paullum 2 Cor. 2, 2. εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς, καὶ τίς ἐστιν ὁ εὐφραίνων με.

C. VII. v. 24. ἐκ τοῦ σώμ. τοῦ θαν. τούτου, σῶμα τοῦ θανάτου. Auctor Cl. recte expl. *corpus mortale;* etſi primo hoc

 non-

nondum conſilio ſufficit Paulli, de peccati et inſitae pravitatis miſeria univerſa loquentis: deinde non modo non vidit Hebraismum hunc eſſe manifeſtiſſimum, qua vocabuli θανάτου notionem, qua genitivum ſubſtantivi, pro adiectivo, poſitum; ſed et locum Palladae ex Anthologia, hoc eſt, recentiſſimi ſcriptoris, illuſtrandi cauſſa attulit: quam ſimiliter, Lectores iudicent,

Ἀλλ' ὅταν ἐξέλθῃ τοῦ σώματος, ὡς ἀπὸ δεσμῶν
Τοῦ θανάτου, φεύγει πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Quis non videt, δεσμῶν τοῦ θανάτου iungendum eſſe? Quid Noſter? A Paullo ut amioliatur Hebraismum, Palladae obtrudit σώματος τοῦ θανάτου iungens. Certe debebat iungere, ſi, *planisſime ita loqui Palladam*, contendebat. Nam ipſe *vincula mortis* interpretatione ſua, certe interpunctione, iungit.

C. VIII. v. 26. ςεναγμοῖς ἀλαλήτοις. Neſcio cur tam duram et contortam interpretationem huic loco obtundat Vir Cl. ut inter haec duo vocabula ſubintelligi velit καί. Nec ſatis hoc: ἀλαλήτοις legit, poetis quoque ratum vocabulum, quod *bellicum clamorem* aggredientium et pugnantium denotet. Hunc ſcilicet, et cum gemitu, eidem Sp. ſ. tribuit. Eiusmodi commenta commemoratione ipſa refutantur.

Addere animus geſtiebat cenſuram explicationis Rom. 9. οὐχ οἷον δὲ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θ. ubi poſt οἷον δὲ repetit, λύπη μοί ἐςιν. Quod non uno vitio laborare, oſtendam; nec non 1 Cor. 15. βαπτιζομένους ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, expl. *qui calamitates patiantur ob paganorum idola non adorata.* Quo quid contortius fingi poteſt? Ego, ut hoc interim addam, νεκρῶν in h. l. explico θανάτου, ut Rom. 1, 4. 11. 15. Epheſ. 5, 14. in primis Ebr. 9, 17. Sic omnia ſimpliciter procedent. Quid agent, quid commodi habebunt, quomodo ratio conſtabit his, qui iam in mortis articulo, mortis cauſſa, ut tuti et beati moriantur, baptismo utuntur, ſi ſpem redeundi in vitam non habent?

Sed quae plura et, pro locorum conditione, graviora etiam ſeſe offerunt, alii occaſioni reſervanda exiſtimo.

LECTO-

## *LECTORI ERUDITO S.*

Fuit a pluribus annis ad hunc uſque diem, non modo in Germania, verum etiam in exteris regionibus, magna Corporis Iuris Civilis Romani a D. GEORGIO CHRISTIANO GEBAVERO, Iuris in hac Georgia Auguſta Anteceſſore primario, edendi exſpectatio, quod omnibus conſtabat, iſtum ICtum celebratiſſima MSSta Brenkmanniana non levi 1050. Florenorum Hollandicorum pretio, Hagae Comitum ex publica Bynkershoekianae Bibliothecae auctione, quondam coemiſſe, iſtorum ope Digeſta, potiſſimam Iuris Civilis Romani partem, mirum in modum exornaſſe, etiam in Inſtitutionibus, Codice, et Feudis emendandis illuſtrandisque plurimum ſtudii atque operae poſuiſſe; quare ſaepe numero Viri Illuſtres et Docti, Legum Romanarum cupidi, et periti, ſunt ſciſcitati, annon praeclarum Opus tandem in lucem ſit proditurum? Maxime quod publicae rei intereſſe videretur, ut illud, vivente adhuc Editore, typis excuderetur.

Hoc deſiderium edoctus Ego, huius Univerſitatis Bibliopola, in fine nominandus, non modo conſilium cepi, ſed ipſam rem, etiam gratiosisſime, immo longe clementiſſime probatam, iam ſum aggreſſus, certa ſpe, Deo adiuvante, fretus, fore, ut iſtud Corpus Iuris Civilis Romani Gebaueranum, *Tomis duobus*, in *forma quarta* maxima, quam vulgo *medianam* appellant, chartae ſcriptoriae, eique candidiſſimae impreſſum, venui a me exhiberi poſſit.

Hunc in finem Typi prorſus novi, et ſat elegantes iam funduntur, neutiquam oculorum offendicula, ut in magnae molis Operibus fieri aſſolet, ſed tales, qui etiam Senum lumina non morabuntur, typographi *corpus antiqua* appellant. Fervet iam opus, et dubium mihi non eſt, circa inſtans S. Iohannis Baptiſtae Feſtum laboris fieri poſſe initium. Ego ſane, ad conciliandam Libro praeclaro et parem non habenti, omnem pulchritudinem, elegantiam et munditiem, nihil



Digitized by Google

in me deſiderari patiar, ſed et, ut quam emendatiſſime prodeat, a Correctore non uno ſumma cura elaborabitur.

Indolem totius Operis et interiorem eius praeſtantiam Editor ad meas preces ſequentem in modum delineavit:

*Corpus Iuris Civilis Romani*, Deo annuente, propediem et quam curatiſſime typis mandandum conſtabit quinque illis notiſſimis partibus: Inſtitutionibus, Pandectis, Codice, Novellis, et Feudorum Conſuetudinibus.

I. *Inſtitutiones* exhibebunt Textum a Iac. Cuiacio emendatum, notulae vero ſubiectae *a*) Obſervationes criticas Everardi Ottonis denuo recognitas et in loco non uno emendatiores; *b*) variantes lectiones ex Gregor. Haloandri longe rariſſima editione Inſtitutionum, Noribergae 1529. 8. vulgata depromtas; *c*) Notulas denique ex praeſtantiſſimis Interpretibus collectas.

II. *Pandectae* ſeu Digeſta ſiſtent in ipſo textu *genuinam literam Florentinam*, *ſignis* etiam *Taurellianis* quantivis pretii ubique reſtitutis. In Notis offendes 1) Omnes *Editionis Noricae* ſive Haloandri diverſitates accuratiſſime annotatas; 2) *Vulgatam* lectionem infinitis in locis a Brenkmanno cum Taurelliana et Haloandrina collatam; 3) Plurimorum *MSS. varias lectiones* a Brenkmanno in locis difficilioribus inſpectorum, a me ex eiusdem Collatione MSS. reviſas et ſuppletas; 4) *Variantes Codicis Rehdigerani* ad Digeſtum Novum ſuis in locis ſtudioſe inſertas; 5) *Brenkmanni Notas* ad L. libros Digeſtorum perpetuas, in quibus omne id ſanctiſſime comprehenſum eſt, quicquid a Brenkmanno, comite et adiutore Abbate Salvinio, ex ipſis membranis Hetruſcis eſt obſervatum. 6) *Notulas* Cornel. a *Bynkershoek* et Car. Andr. *Dukeri* ineditas; 7) *Notulas* etiam *meas* paſſim adiectas.

III. *Co-*

Digitized by Google

III. *Codex* apparebit ab innumeris mendis futilibusque ſignis purgatus, et cum *Editione Haloandri Norica* Anni 1536. in folio impreſſa diligentiſſime collatus.

IV. *Novellas* Conſtitutiones Imper. Iuſtiniani ita dabimus, ut in medio paginae ſiſtatur *Graecus Textus*, in dextro eius latere *Vetus Verſio*, in foro *Authentica*, in ſiniſtro latere celeberrimi ICti Marpurgenſis *Io. Friderici Hombergkii zu Vach*, nova longe accuratior *Interpretatio*, quas aliorum Imperatorum *Novellae Conſtitutiones Graece et Latine* inſequentur.

V. *Feudorum* denique Conſuetudines totum Opus more ſolito claudent, ſed et hae *Variantibus Lectionibus* ex tribus Codicibus MSS. *Auguſtanis*, quarto, quem *Schwarzianum* appello, ex *Editione prima*, quae inſtar MSti eſt, et eximio *Codice Rehdigerano* locupletiores.

Mihi nullum dubium eſt, multos Operis praeclari et dudum deſiderati fore emtores; ſed et neminem fugit, absque magnis impenſis a me hoc non poſſe effici; quare ut illorum et meis ſimul commodis inſerviam, apud animum meum conſtitui, admittere, quas vocant, *praenumerationes*, ea nempe lege, ut cuicunque lubuerit, per inſtantem aeſtatem usque *ad feſtum S. Michaelis diem*, ſive, quod eodem redit, usque ad nundinas autumnales Lipſienſes *decem Imperii Thaleros*, aut duos aureos nummos, quos Vulgo *Piſtoles* appellant, mihi, accepto meo ſuper facta ſolutione chirographo, exſolvere, illi, poſt Operas typographicas finitas, quae, quicunque demum fuerit huius mei conſilii exitus, absque ulla mora et ſtrenue continuabuntur, integrum Exemplum memorati Corporis Iuris chartae magnae ſcriptoriae candidiſſimae impreſſum, reddito meo chirographo, *absque ullo pretii ſtatuti ſolutique augmento*, e veſtigio tradatur. In gratiam emtorum, quibus hoc conſilium non arridebit, pauciora Exemplaria in charta etiam magna et candida, ſed ea, quam vulgo impreſ-

impreſſoriam vocant, confici curabo, quibus tamen levius dretium quam *15 Talerorum* vel *3 Aureorum*, a me ſtatui poſſe non exiſtimo.

Quotquot erunt Bibliopolae vel alii mei Conſilii Fautores, in Germania vel extra eam, quibus lubebit plures colligere praenumerationes, ſi eorum numerus *ad 12 Exemplaria* aſcenderit, *tertium decimum gratis* habebunt.

Rogo autem omnes, quibus praenumeratio placebit, ut ſua nomina, etiam dignitates vel munera, ſimul indicare non dedignentur; animus enim eſt, ex iis Catalogum conficere, quem ad perpetuam rei eximiae ſua facilitate promotae memoriam ipſi Operi inſeri curabo.

Opus eſſe finitum, ſtatim in omnibus publicis Novellis annunciabitur, ipſe quoque Bibliopolis, et quorum intererit, idem indicabo.

*Gottingae d. 4. April.*
1770.

IOANNES CHRISTIANVS DIETERICH,
Bibliopola Univerſit Gotting.

Digitized by Google

# INDEX AUCTORUM,
## quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

### I. *Libri Theologici et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*


Bahrdtii (*Car. Frid.*) *Commentarius in Malachiam, cum examine critico verſionum veterum et lectionum variarum Houbigantii.* 128

Baueri (*Car. Ludov.*) *Stricturarum Periculum I. in* Eliae Palair et *Obſervationes in N. T. philologico-criticas.* 564

Bryennii (*Ioſephi Monachi*) *quae exſtant, cura* Eugenii. *Tomi duo.* 7

Ianſſen (*Petr.*) *Corpora Angelorum* ex Luc. XX, 27-39. *mero in die collocata, contraque virorum celeberrimorum, Viti, Moshemii, Odei oppugnationes defenſa.* 97

Semleri (*Io. Salom.*) *Hiſtoriae Eccleſiaſticae Selecta Capita, cum epitome Canonum, excerptis dogmaticis, et tabulis chronologicis.* Tomus I. *Sexſeculorum.* 268

— — — *Paraphraſis Epiſtolae ad Romanos, cum notis, tranſlatione vetuſta, et Diſſertatione de Appendice* Cap. XV. et XVI. 452


Dddd *II. Libri*

## II. *Libri Iuridici.*

van Dorp (*Adriani*) *Obſervationes ad quaedam Iuris Civilis aliorumque Auctorum loca.* 305

Gebaueri (*Georg. Chriſtiani*) *Corpus Iuris Civilis Romani duobus Tomis edendum.* 573

Goveani (*Antonii*) *Opera Iuridica, Philologica, Philoſophica. Edidit* Iac. van Vaaſſen. 433

Vlpiani (*Domitii*) *Fragmenta Libri ſingularis regularum, et incerti Auctoris collatio Legum Moſaicarum et Romanarum, quibus notas adiecit* Ioannes Cannegieter. *Accedunt eiusdem Disquiſitio de notis et ſiglis veterum, et obſervationum miſcellanearum Liber ſingularis.* 193

## III. *Libri Medici et Phyſici.*

*Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii.* Tomus XII. ad a. 1766. et 1767. 529

Soldi (*Mauri*) *Deſcriptio inſtrumentorum, machinarum, et ſupellectilis, ad uſum chirurgicum et medicum collectae a* P. Hippolyto Rondinelli. 207

Transactiones *Philoſophicae recuſae.* Vol. XLVIII. Pars I. *ad* A. 1753. 289

— — — Pars II. ad a. 1754. 504

## IV. *Libri Mathematici.*

*Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii.* Tomus XII. ad a. 1766. et 1767. 529

Lambert (*I. H.*) *Adnotata quaedam de numeris, eorumque anatomia.* 107

— — — *Solutio Problematis ad methodum tangentium inverſam pertinentis.* 356

Proprie-

Proprietates *quaedam Sectionum Conicarum.* 445

Taurinenſis *Societatis Regiae Miſcellanea Philoſophica et Mathematica.* Tomus II. 89
— — — Tomus III. 136

Tetens (*Io. Nicol.*) *de via facillima in motu corporum.* 481

Tranſactiones *Philoſophicae recuſae.* Vol. XLVIII. Pars I. ad a. 1753. 289
— — — Pars II. ad a. 1754. 504

Winckleri (*Io. Dieter.*) *Tentamina, Quaeſtiones et Coniecturae circa Electricitatem Animantium.* 471

## V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Bardetti (*Stanislai*) *de primis Incolis Italiae.* 140
Boehmii (*Io. Gottlob*) *Acta Pacis Olivenſis inedita,* Tomus II. 359
Bruckeri (*Iac.*) *Hiſtoria Critica Philoſophiae, a mundi incunabulis ad noſtram usque aetatem deducta.* Editio ſecunda. 156
Gerberti (*Martini*) *Iter Alemannicum: Accedunt Italicum et Gallicum. Sequuntur Gloſſaria Theotiſca, ex Codd. MSStis a Sec. IX. usque ad XIII.* 145
Harenbergii (*Io. Chriſtoph.*) *de vitis Patrum, Norimbergae 1478. evulgatis, Commentariolus.* 22
Iablonovii (*Ioſephi Alexandri Principis*) *Quaeſtiones hiſtoricae ad diſceptandum propoſitae.* 47
de Stetten (*Pauli*) *Illuſtrationes quorundam, quae ad hiſtoriam Auguſtae Vindelicorum pertinent, imaginum.* 14
Tiraboſchii (*Hieronymi*) *Vetera Humiliatorum Monumenta, Annotationibus ac Diſſertationibus prodromis illuſtrata, quibus multa ſacrae, civilis ac litterariae medii aevi hiſtoriae capita explicantur.* Vol. II. III. 255
Welleri (*Io. Gothofr.*) *Vetera ex omnibus hiſtoriae generibus.* 275

## VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Auctores Claſſici, Philologici, Miſcellanei.*

Anonymi *Secunda Epiſtola ad Ruſſavium, in qua methodus educandorum liberorum ab eo propoſita examinatur.* 179

Carpenterii (D.P.) *Gloſſarium novum ad Scriptores medii aevi, cum latinos, tum gallicos, ſeu Supplementum ad auctiorem Gloſſarii Cangiani editionem.* Tomi Quatuor. 370

Erneſti (*Io. Aug.*) *Archaeologia Litteraria.* 428

Gotleber (*Io. Chriſtoph.*) Argumentorum aliquot in Platonis Phaedone de animi immortalitate illuſtratio et diſcuſſio. 52

— — — *Obſervationes in Platonis Alcibiadem ſecundum* 187. 218

Heuſingeri (*Iac. Frid.*) *Memoria Gymnaſii Polyidei refecti, ex Ancyrani marmoris fragmento.* 173

Heſychii *Lexicon, cum notis doctorum virorum integris, vel editis antehac, nunc auctis et emendatis. Edidit* Ioannes Alberti. Tomus Secundus. 337

Hindenburgii (*Car. Frider.*) *Animadverſiones quibus Xenophontis Memorabilium Socratis dictorum et factorum Libri emendantur, illuſtrantur.* 332

ab Hoven (*Io. Dan.*) *Campenſia, ſeu Spicilegia Critico Antiquaria.* Faſcic. II. 49

Kluit (*Adriani*) *Vindiciae Articuli ὁ, ἡ, το in Novo Teſtamento.* Pars Prior. Tomus Primus. 323

Kollarii (*Adami Franciſci*) *Analecta Monumentorum omnis aevi Vindobonenſia.* Tomus I. 311

Kulenkamp (*L.*) *Specimen Emendationum et Obſervationum in Etymologicum Magnum, maximam partem petitarum ex Codice Gudiano.* 1

T. Livii *Patavini Hiſtoriarum Libri, qui ſuperſunt omnes, ex recenſione Arn. Drakenborchii. Acceſſit Gloſſarium Livianum. Ed.* A. G. Erneſti. Tomi III. 420

Lon-

Digitized by Google

Longinus (*Dionyſ.*) *de Sublimitate, ex recenſione* Zach. Pearcii. *Animadverſiones Interpretum excerpſit, ſuas, et novam verſionem adiecit* Sam. Frid. Nathan. Morus. 516
Michaelis (*Io. David.*) *Commentationes Societati Regiae Scientiarum Göttingenſi per annos 1763. 1764. 1765. et 1768. oblatae.* 385
*Miſcellanea Philoſophica et Mathematica Societatis Regiae Taurinenſis.* Tomus II. 89
— — — Tomus III. 136
Philae (*Manuelis*) *Carmina Graeca, maximam partem e Codd. Auguſtanis et* Oxonienſibus *nunc primum in lucem producta. Cura* Gottlieb Wernsdorfii. 463
Rutilii *Lupi de Figuris Sententiarum et Elocutionis* Libri II. *Recenſuit et annotationes adiecit* David Ruhnkenius. *Accedunt* Aquilae Romani *et* Iul. Rufiniani *de eodem argumento libri.* 246
Saxii (*Chriſtoph.*) *Diatribe Academica de Dea Angerona.* 241
Schirach (*Gottl. Benedicti*) *Clavis Poetarum claſſicorum, ſive Index philologico-criticus.* Pars I. *in Horatium, Terentium ac Phaedrum.* Pars II. *in Ovidium ac Virgilium.* 376
— — — *Ephemerides Literariae Helmſtadienſes.* 523
*Speculum Regale. Cum interpretatione Danica et Latina, variis lectionibus notis* etc. *edidit* Halfdan Einerſen. 438
Tyrtaei *quae ſuperſunt omnia. Collegit, commentario illuſtravit, edidit* Chriſtianus Adolphus Klotzius. 39
Vidae (*M. Hieron.*) *de Arte Poetica Libri Tres. Commentarium de poetae vita et carminibus addidit* C. A. Klotzius 94

# INDEX
## RERVM NOTABILIORUM.

A.

*de* Abbacomitibus *quaedam* 371 ſq.
Abyſſi *vox apud ſcriptores medii aevi* 372
Accentuare *ſenſu ſingulari* 373

 *de*

*de* Adrazero *rege quaedam* 405 ſq.
*de* Aegyptiis *monachis nonnulla* 28
*de* Aegyptiorum *philoſophia* 159
*de* Aequalibus *rebus quaedam* 61
*de* Aequinoctiorum *praeceſſione* 505
*de* S. Afra *hiſtoriola* 16
*de* Agrifolii *ſexu* 510
*Io.* Alberti *in Heſychium merita* 338 ſq.
*de* Alcuino *nonnulla* 280
Alemannicum *iter Gerberti* 145
Algebrae *philoſophicae in uſum artis inveniendi ſpecimen* 93
*de* Algorithmi *infiniteſimalis uſu in arte conieƈtandi* 533
*de* Ammonii *religione obſervationes* 162
Amoris *et* Amaſiorum *diſcrimen* 191
*de* Anatomia *numerorum* 107
Ancyranum *marmor illuſtratum* 173
Angelorum *corpora defenſa a Ianſſenio* 97
*de* Angerona *Dea* 241
*de* Angitia *Dea quaedam* 244
*de* Animantium *electricitate* 471
Animi *humani curapes dicti?* 78 ſq.
*pro* Animorum *immortalitate argumenta apud Platonem illuſtrata* 52 ſq.
Animus *an amiſſo corpore felicior?* 58
Anni *a morte I. C. numerati* 373
Antiquitatis *litterariae delineatio* 428 ſq.
*de* Apum πολιτεια 73
*de* Aqua *marina dulci reddenda* 300
Aquilae *Romani liber de figuris ſententiarum?* 246
Arae *Romanae deſcriptio* 303
Archaeologia *litteraria* 428
*de* Argentorato *obſervationes variae* 152
Ariſtotelis *de mente ſententia* 68
Articuli ὁ, ἡ, το, *in N. Teſtam. vindiciae* 323
Aſtronomicae *obſervationes* 291
*de* Aſcodrogitis 374
*de* Arcubus *curvarum aeque amplis, eorumque comparatione* 530
Attila *num a vaſtanda Auguſta Vindelicorum deterritus fuerit?* 16
Augienſis *bibliothecae codices* 151
Auguſtae *Vindelicorum hiſtoria illuſtrata* 14
— — — *Codd. MSS.* 149

Auſtriae

Digitized by Google

Auſtriae et Styriae *rationarium* 813

B.

Badae *oppidi deſcriptio* 146
*de* Barometrorum *electricitate* 544
Baſileenſes *duo Codices* 153
Beatorum *hominum cum Angelis quae ſit ſimilitudo futura?* 98
*de* Belemnitis *obſervationes* 512
*de* Beryto *ſeu* Baruto *oppido* 409
Bibliorum *Polyglottorum ſpecimen* 128. 135
Bolingbrokius *notatus* 57
*de S.* Bonifacii *conſiliis* 170
Botanicae *deſcriptiones et obſervationes* 557
*de S.* Brigittae *bonis in pace Olivenſi controverſis* 365
Briſtolienſis *urbis incolae* 304
Bruckeri (*Iac.*) *laudes* 156 ſq.
Bryennii *opera nunc primum edita* 7
— — — *vita enarrata* 8
*de* Bullis *Pontificum* 374

C.

*de* Cainane *in textu Hebraico V. T.* 418
*de* Caloris *communicationis exceptione* 543
*de* Calcis *vivae actione in diverſa corpora* 138
*de* Calculo *integrali quaedam* 139
*de* Calculi *extractione* 215
Calendarii *medii aevi Specimina* 260
*de* Campiduno *urbe quaedam* 149
Cangiani *Gloſſarii ſupplementum* 370
*Io.* Cannegieter *laudatus* 206
*de* Carminibus *bellicis quaedam* 44
*de* Carnuti *urbis reliquiis* 319
*de* Carolo M. *quaedam* 315
*de Io.* Caſſiano *quaedam* 35
*de* Chaldaeorum *philoſophia quaedam* 158
Chirurgicorum *inſtrumentorum, deſcriptio* 207
*de* Chordarum *vibrantium motu* 138
*de* Chriſtianae *ſocietatis forma et ſtatu interno quaedam* 271
*de* Chronologia *Moſis ante diluvium* 416
*de* Chryſolitho *ſeu Smaragdo Braſileenſi* 548
*ad* Ciceronis *libros obſervata* 52
Clementis *Alexandr. loci emendati* 345
*de* Conſtantini M. *Epiſcopatu* 52
Conicarum *ſectionum proprietates quaedam* 445

*de* Co-

*de* Codicibus *quibusdam MS. Graecis* 3. 4
— — — *Bibliothecarum multarum* 147 ſq.
*de* Conciliorum *indole quaedam* 274
Concubinae *anteceſſorum cur a Regg. Perſarum adſcitae?* 391
*de* Corallina *obſervatio* 297
*de* Corneae *aperiendae nova methodo* 302
Corpora *angelis an tribuenda ſint?* 97
*de* Corporis *duratione Socratis ſententia* 70
*in* Corporum *motu via facillima* 481
*de* Corporum *coeleſtium motibus utcunque perturbatis ad rationem calculi aſtronomici revocandis* 536
Corpus *Iuris Civilis Romani Gebauerianum* 573
*de* Criticae *officio quaedam* 305. 306
Criticae *ſacrae Specimina* 12
Criticae *in Xenophontem obſervationes* 333
— — — *in Virgilium et alios poetas obſervationes* 376
— — — *obſervationes in libros Samuelis et Chronicorum* 411
*de* Cupro *magnetico* 551
Curvarum *comparationi inſervientes formulae* 532
*de* Cutis *morbo extraordinario* 512
*de* Crypta *quadam Hiberniae* 297
Cygni *cantus apud Socratem* 75

D.

*de* Daemoniis *quaedam* 72
Danicum *Diarium pacis Olivenſis* 361
Dantiſcanum *Diarium, Pacis Olivenſis* 362
*de* Davidis *bellis cum Rege Neſibeno* 409
*de* Dei *providentia ſpeciali* 183
Dentes *gigantei quid?* 322
*Deus* precibus *impiorum laeſus* 231
Diogenes *Laertius illuſtratus* 51
*de* Diogeniani *lexico quaedam* 341
Dionyſii *Halicarnaſſ. auctoritas* 50
*de* Dionyſiis *diſputatio Ruhnkenii* 355
*de* Dionyſio, *Abbate Romano quaedam* 37
*de* Dracone *electrico* 507
*de Guil.* Durando *quaedam* 170


E.

Digitized by Google

E.

Eclipſeos *ſolaris tempus et duratio qua machina determinanda?* 505
*de* Eclipſi *Solis a Thalete praedicta* 292
*de* Educatione *obſervationes* 180 ſq.
*de* Electricitate *animantium obſervationes* 471
Electrica *quaedam experimenta* 137
*de* Electricis *motibus experimentum* 89
*de* Electricitate quaedam 295. 296. 507. 508. 548
*de Io.* Eleemone, *Epiſcopo Alexandrino* 26
*de S.* Eliſabethae *vita et miraculis* 318
Emendationes *variae refutatae* 307 ſq.
— — — *Heſychii* 341 ſq.
*de* Empyematis *operatione feliciter peracta* 302
Ephemerides *litterariae Helmſtadienſes* 523
*de* Ephraemo *Syro quaedam* 26
Epiſtolae *virorum doctorum editae* 276. 320. 321
*de* Fremitarum *quorundam vita* 23
*in* Etymologicum *Magnum emendationes et obſervationes* 1
Euripidis *locus illuſtratus* 238 ſq.

F.

*de* Faba *veterum* 378
Facillimum *aliquod in natura, minimi ſpecies* 493
*de* Febre *carcerum* 301
*de* S. Firmini, *Epiſcopi et Confeſſoris, vita* 319
*de* Fiſtula *ani curanda* 217
*cur* Flamma *et animalia in aëre interclusa exſtinguantur?* 91
*de* Fonte *cupreo Hiberniae* 299
*de* Foſſilibus *nonnullis ſingularibus* 299
*de* Franciſcanorum *controverſiis* 276
*de* Frigore *ex evaporatione* 90
*de* Fürſtenbergiae *gentis cum Caeſarea cognatione* 321

G.

S. Gallenſis *bibliothecae codices* 148
Gallicum iter *Gerberti* 145
*de* Gallorum *re litteraria quaedam* 155
Garzatus *quid?* 265
Gennadii *locus illuſtratus* 33
*de* Germanici *Imperii iure in Livoniam* 363

*de* Glacie *Mariae Ruthenica* 561

Gloſſarium *novum ad Scriptores medii aevi* 317

— — — *Livianum Erneſtii* 420

Goveani *Opera iuridica edita, et vita deſcripta* 433 ſq.

*de* Graecae *et Latinae Eccleſiae controverſiis* 9 ſq.

Graecae *voces et phraſes explicatae* 5 ſq. 43. 49. 59 ſq. 64 ſq. 99. 105. 188 ſq. 219 ſq. 323 ſq. 335 ſq. 349 ſq. 453 ſq. 469 ſq. 519 ſq. 566 ſq.

*de* Graecis *Lexicis editis atque ineditis* 1 ſq.

Graecorum *oratorum hiſtoria critica* 250. 349 ſq.

Grammaticae *obſervationes quaedam* 252 ſq.

Granſeenſis *proelii deſcriptio* 317

*de* Gregorii M. *ingenio* 171

*de* Gregorio *Turonenſi nonnulla* 36-38

Grotii *liber de Iure Belli et Pacis defenſus* 128 ſq.

*de* Gudiano *Codice Etymologici Magni* 4

*de Sigism.* Guldenſternio *quaedam* 365

Gundelfingii *hiſtoriae Auſtriacae pars tertia edita* 317

Gwidonis *Cardinalis quaedam* 312

## H.

*in* Haemorrhagiis *ſiſtendis agarici querni uſus* 510

*de* Haereticis *et* Haereſibus *obſervationes* 272

Hebraicae *voces et phraſes explicatae* 130 ſq. 395. 407

*de* Hebraeorum *menſibus* 392

Heliometri *Bougueriani emendatio* 504

Helmſtadienſes *ephemerides litterariae* 523

Heneti *in Moravia vel Moraviae confiniis quinam ſint* 47

*de* Herculaneis *antiquitatibus* 303. 304. 514. 515

*de* Hernia *et inſtrumentis eius curationi inſervientibus* 214

Heſiodi *aetas indagata* 514

Heſychii *Lexicon cum doctorum virorum notis plurimis editum* 337

*de* Hieronymo *Stridonienſi quaedam* 28. 29

— — — *Dalmata* 32

Hilarionis *Anachoretae vita* 24

Hiſtoriae *Eccleſiaſticae ſelecta capita* 268

*ad* Hiſtoriam *antiquiorem ſymbolae variae* 276

Homeri *fabula de campis Elyſiis* 53

— — — *loci illuſtrati* 349

Homeri

Homeri *aetas indagatur* 514
*de vocibus* Homo *et* Humanus 379
*in* Horatium *Index philologico-criticus* 376
Humiliatorum *vetera monumenta illuſtrata* 255
*de* Humoribus *animalibus* 138
Hyginí *locus adhuc deſideratus iam reſtitutus* 284

I.

*a* Iablonovio *Principe quaeſtiones viris doctis propoſitae* 47
Ianſenii *ſumma fidentia notata* 99
— — — *idem refutatus* 100 ſq.
*in* Ieſu *Chriſti hiſtoriam obſervationes* 269. 270
Impotentia *apud Terentium quid?* 378
*de* Infinito *abſoluto in quantitate conſiderato* 93
Inſcriptio *Graeca illuſtrata* 173 ſq.
— — — *Latina declarata* 177 ſq. 179
Inſcriptiones *Germanicae* 283
Integratio *aequationis differentialis* 529
*de* Inteſtinorum *formatione* 554
*de* Ioſephi *conſilio in ſcribenda hiſtoria* 168
Ioſephi *loci varii illuſtrati* 399 ſq.
*de* Italiae *incolis primis opus poſthumum Bardetti* 140
Italicum *iter Gerberti* 145
*de* Iudaicis *quibusdam libris* 283
Iuris *Romani capita varia illuſtrata* 201
Iuris *Civilis Romani Corpus a Gebauero edendum* 573
*ad* Ius *Civile obſervationes* 305

K.

*Thom.* Kempenſis *utrum auctor librorum de imitatione Chriſti?* 150

L.

Lampridii *locus quidam an emendandus?* 309
Latinae *voces explicatae* 203. 205. 308 ſq. 377 ſq. 424 ſq.
Lechus *qua ratione in hiſtoria Polonica ſervari poſſit?* 47
*in* Legibus *eligendis Italorum libertas* 259
Legum *Moſaicarum et Romanarum collatio edita* 193
*de* Leibnitii *ſententia de monadibus* 184
Leviratus *Iſraelitarum ius explicatum* 386

*de* Lexicis *quibusdam Graecis* 3
Librorum *rariorum recenſio* 278. 287 ſq.
*de voce* Linea *obſervatio* 379
Livii *Hiſtoriarum libri editi et illuſtrati ab Erneſtio* 420
*de* Livonia *obſervationes variae* 363 ſq.
*de* Logarithmis *quantitatum negativarum* 92
— — — *computo definiendis* 290
*de* Londinenſium *incolarum numero* 513
Longinus *de ſublimitate editus a Moro* 516
*de* Luminis *quod noctu gignitur in oculo humano, natura* 475
*Rutilii* Lupi *de figuris ſententiarum et elocutionis, Libri duo editi* 246

M.

*de* Macularum *ſolis uſu* 542
Madeirae *tempeſtates* 506
*de* Magneticae *acus variatione* 509
Magneticae *theoriae examen* 546
*in* Malachiam *Prophetam commentarius* 128
Mallexardi *quinam?* 262
*de* Manichaeis *iudicium* 272
*de* Marmoribus *obſervationes quaedam* 430
Mathematicae *diſputationes* 91
*de* Matrimoniis *quaeſtiones variae* 535
*de* Maturitate *frugum in Palaeſtina* 396 ſq.
*de* Maximiliano I. *Caeſare quaedam* 19. 20
Mechanices *principia fundamentalia* 92
Medica *ſupellex deſcripta* 207
*ad* Mellicenſis *zoenobii hiſtoriam quaedam* 317
*de* Menſibus *Hebraeorum* 392
*de* Mercatura *Auguſtae Vindelicorum* 19
*de* Mercurii *tranſitu per Solem* 292
Meſtralis *quid?* 261
*de* Micrometri *inventione* 290 ſq.
*de* Militaribus *carminibus* 43
Minucii *Felicis locus illuſtratus* 50
— — — *emendatus* 200
*de* Miraculis *obſervationes* 184 ſq.
*de* Monachis *Aegyptiis quaedam* 28
Moſaicarum *legum cum Romanis collatio* 197
*de* Moſis *chronologia ante diluvium* 416
— — — *a Davide ad Abrahamum* 418

*in* Mo-

*in* Motu *corporum via facilliſma* 481
*de* Murbacenſi *bibliotheca quaedam* 153
*de* Io. Muslero, *eiusque libris quibusdam* 279

N.

Navis *in mari via qua machina metienda?* 504
Necrologium *Humiliatorum Brixienſium et Novarentium* 266
*de* Negligentia *grata Livii* 427
*de* Neſibi *urbe quaedam* 408 ſq.
*de* Neſtoriana *controverſia iudicium* 273
*de* Niſan *Hebraeorum menſe* 394
*de* Notis *et Siglis veterum libellus* 193
*de* Numeris, *eorumque anatomia, adnotata* 107
*de* Numismatibus *medii aevi* 375
*de* Nymphis *obſervata quaedam* 78

O.

Obſervationes *aſtronomicae* 564
*de* Obtoletis *vocabulis obſervatio* 195
*de* Oculorum *morbis et inſtrumentis eo ſpectantibus* 209
— — — *vi noctu* 475
*de* Oedipi *precibus quaedam* 188
Olivenſis. *Pacis Acta edita a Boehmio* 359
Oratorum *Graecorum hiſtoria critica* 250
*de* Orichalco *magnetico* 551
*de* Orientali *philoſophia obſervata* 164 ſq.
*de* Origene *obſervationes quaedam* 169
*ex* Orpheo *quae hauſerit Plato?* 53
*de* Oryctographia *Stara-Ruſſienſi et Lacus Ilmen* 551
*de* Oſſibus *diſtortis et emollitis* 300
— — — *elephantinis variis* 509
Ovidii *locus duplex illuſtratus* 51
*de* Ovidii *crimine coniectura* 382
*in* Ovidium *index philologico-criticus* 376

P.

*in* Palaireti *Obſervationes in N. T. ſtricturae* 564
*de* Palmyrenorum *lingua quaedam* 515

*de* Parallaxi *Solis* 562
Pariſinae *Academiae Statuta et Privilegia* 314
*de* Paſchate *Iudaeorum* 398
*de* Patriarcharum *et Hebraeorum philoſophia* 158
*de* Patrum *Vitis libellus* 22
Pauli *Epiſtola ad Romanos paraphraſi illuſtrata* 452
*Pauli* Eremitae *vita* 24
*de* Pelagiana *haereſi quaedam* 273
*de* S. Pelagiae *vita* 25
*de* Petri et Pauli *imaginibus coniunctis* 277
Phaſiani *Penſylvaniae hiſtoria* 509
*in* Phaedrum *index philologico-criticus* 376
*de* Pherecydis *doctrinae fontibus* 160
*Manuel.* Philae *carmina* edita et *illuſtrata a Wernsdorfio* 463
Philoſophiae *Hiſtoria Critica pleniſſima* 156
Philoſophorum *veterum ſuperbia* 57
— — — *vita commentatio mortis* 71
*de* Philoſophia *Orientali diſputatio* 164 ſq.
*in* Pilis *capilli humani electricitas* 474
Piſcium *caſtrandorum methodus* 510
*de* Plantarum *proprietatibus* 558
Platinae *del Pinto ſubſtantia* 511
*in* Platonis *Phaedonem obſervationes* 52 ſq.
— — — *Alcibiadem ſecundum obſervationes* 187 ſq. 218 ſq.
*in* Plinii *locum tentata emendatio* 310
Plutarchi *locus declaratus* 74
*de* Pluviae *quantitate* 295
*de* Poeſia *aenigmatica* 224
Poeſeos *contemtus unde?* 94
*de arte* Poetica *Vidae liber recuſus* 94
*de* Polygamia *apud Hebraeos* 387
*de* Polypo *racemoſo* 297
*de* Polyidei *gymnaſii reſtauratione* 173
*de* Pompis *veterum* 228
*de* Precibus *Socraticis.* 187. 218 ſq.
*de* Priſcillianiſtis *obſervatio* 278
Problema *geometricum ſolutum* 356
*de* Proceſsione *Spiritus S. a Patre et Filio Bryennii diſputatio* 9. 10
*de* Providentia *Dei ſpeciali* 183
*de* Pulveris *pyrii inventione* 18. 19



Digitized by Google

de Pulveris *fluido elaſtico* 90
de Putrefactione *humorum animalium* 89
Pyrometrum *novum* 506
de Pythagorica *metempſychoſi* 72
ad Pythagorae *hiſtoriam obſervationes* 161

Q.

de Quaeſitoribus *in cauſa Chriſtianorum* 50
de Quirini *cenſu quaedam* 324. 330

R.

de Radiorum *lucis refrangibilitate diverſa* 506
— — — *diverſicolorum refractione, eiusque vera lege* 538
Ravennenſis *charta* 320
de S. Remigii, *Rothomagenſis Epiſcopi, vita* 318
Romanarum *legum cum Moſaicis collatio* 197
Romani *Iuris Civilis Corpus edendum a Gebauero* 573
de Romanorum *coloniis et ſtativis in Comitatibus Ceſtrienſi et Lancaſtrienſi* 305
ad Romanos *epiſtola paraphraſtice illuſtrata* 452
Romanum *Calendarium aetatis Conſtantii* 319
*Iulii* Rufiniani *de figuris ſententiarum liber editus* 246
Ruhnkenii *in Heſychium merita* 339
Ruſſavius *refutatus* 179 ſq.

S.

Salisburgenſis *bibliothecae codices* 154
de Salium *neutrorum ſeu mediorum diſſolubilitate in ſpiritu vini* 136
Satellitum *Iovis obſervationes* 564
Sauromatae *reges veteres in Bosphoro cuius ſint originis?* 47
de Scacchia *ludo carmen princeps Vidae* 96
Scientia *omnis in homine utrum ſit recordatio?* 61
Scriptorum *veterum per Indices, Claves et Gloſſaria apta explicatio* 423
Script. S. *loca explicata aut illuſtrata:*
*Geneſ. III, 15.* 147
*XLVI, 26.* 99
*Numer. XIII, 21.* 399
*Deuter. XXV, 5-10.* 386

*1 Sam.*

*1 Sam. XIX, 13. 16.* 344
*2 Sam. VIII, 3.* 404
*VIII, 12.* 412
*X, 16. 19.* 407
*XII, 8.* 390
*1 Reg. VIII, 2.* 395
*1* Chron. *XVI, 3.* 5
*XVIII, 3.* 410
— — *11.* 412
*Pſalm. LXXXIII, 3-9.* 414
*Pſalm XCI, 6.* 71
*Ieſ. LXV, 4.* 72
*Ezech. XXVIII, 9.* 414
*Amos V, 25-27.* 409
*Malach. I, 1. 2.* 130
*8.* 131
*II, 3. 7.* 131
*10, 15.* 132
*III, 1-3.* 132
*15. 18.* 133
*2 Maccab. IX, 15.* 100
*Matth. V, 48.* 102
*VI, 16.* 188
*X, 25.* 102
*XVIII, 23.* 6
*XX, 12.* 100
*Marc. V, 3.* 72
*Luc. II, 1-2.* 324
*15.* 330
*Luc. XX, 27-39.* 97
*Iohann III, 6.* 12
*XIV, 2.* 196
*Act. VII, 14.* 99
*XXVII, 4.* 330
*Rom. I, 4.* 566
*17.* 456
*23. 26.* 567
*II, 5-15.* 568
*17.* 330
*III, 1-3.* 456-568
*23.* 569
*IV, 1-17.* 453
*V, 2.* 458
*6-7.* 454
*12-15.* 570
*14.* 454
*VI, 5.* 571
*VII, 6.* 455
*24.* 571
*VII. VIII.* 459
*VIII, 26.* 572
*IX, 3.* 459
*5.* 460
*13.* 130
*XI, 6.* 455
*XIII, 25* ſq. 461
*XV-XVI.* 462
*1* Cor. *I, 8.* 12

*1* Cor.

1 Cor. X, 24. 12
XI, 7. 66
XV, 8. 330
29. 49
Phil. II, 20. 100
1 Theſſ. IV, 6. 330
2 Theſſ. I, 10. 457
2 Timoth. II, 19. 326
1 Ioh. V, 7. 12
Apoc. V, 12. 12
XXI, 9. 330
Sectionum *conicarum proprietates quaedam* 445
de Septentrionalium *populorum religione et moribus antiquioribus* 443
de Sibiricis *floribus* 298
Sigla *a notis quomodo differant?* 198
Silentii *praeſes Angerona dea* 243
de Simeone *Stylita quaedam* 25
de Simplicitate *animi apud veteres Philoſophos* 67
de Sinarum *ſcientia politico-morali* 321
Sinici *veſtitus ſpecimina* 322
de Socraticis *argumentis pro immortalitate animorum* 54
Socratis *morientis conſtantia* 80
— — — *ſententia de precibus* 187 ſq.
de Soni *natura et propagatione* 92
Spartiani *locus an emendandus* 307
Speculum *Regale Danice et Latine editum* 438
de Spiritus S. *a Patre Proceſſione* 9 ſq.
Stataria *fabula quid?* 378
de Stirpibus *Helveticis et Taurinenſibus* 89
Stoicorum *ſententia de immortalitate animorum* 54
de Sphondylio *vulgari hirſuto* 298
Suidae *locus emendatus et illuſtratus* 344
Suecicum *diarium pacis Olivenſis* 360
in Sulpicii Severi *hiſtoriam ſacram obſervationes* 50

*de* Sylley *inſulae mutationibus* 302

*de* Syria *Sobaea* 404

*de* Syrorum *calendario* 402

T.

*in* Taciti *locum quaedam* 308

*ad* Tangentium *methodum inverſam pertinens problema* 856

Teleſcopia *refringentia quomodo emendanda?* 294

*de* Teleſcopiis *ex quinque vel ſex lentibus conſtruendis.* 139. 540

*de* Telluris *noſtrae figura et magnitudine* 293

*de* Templorum *donariis* 227

*in* Terentium *Index philologico-criticus* 376

Terentii *locus emendatus* 205

Tetrici *Imperatoris hiſtoria* 303

Thermometricae *obſervationes* 294

Theocriti *locus emendatus* 345

*de* Thoracis *morbis, et inſtrumentis eo pertinentibus* 212

*in* Tibialibus *electricitas* 479

Tigurini *Codices quidam* 147

*de* Trabeationis *anno* 373

Transactiones *Philoſophicae iterum editae* 289

Triumphus *equeſtris* 50

Tubulariae *fungoſae deſcriptio* 562

*a* Tuto *argumentum apud Socratem* 86

Tyrtaei *quae ſuperſunt, edita et illuſtrata a Klotzio* 39

V.

*de* Variolarum *inoculatione Genevae proſpera* 518

*de* Varronis *bibliotheca quaedam* 50

*de* Vectigalibus *Pomeranicis inter Suecos et Elect. Brandenburg. controverſis* 366

*de* Verſionibus *antiquis Malachiae quaedam* 133

*de* Ver-

Digitized by Google

*de* Verſionibus *graecorum librorum* 518

Verſus *pro ordine remorum et remigum* 384

*de* Veſtium *ſubſtratione* 50

Vidae *liber de Arte Poetica editus et illuſtratus a Klotzio* 94

*de* Vindelicorum *vita et moribus* 15

Vindobonenſis *Caeſareae Bibliothecae analecta* 311

— — — *Concilii a. 1267. conſtitutiones* 312

— — — *Academiae ſtatuta et privilegia* 313

*de* Vortice *extraordinario in Hibernia* 295

Virgilii *locus duplex illuſtratus* 67. 69

*in* Virgilium *index philologico-criticus* 376

*de* Vitis *Patrum, Norimbergae A., 1478. evulgatis* 22

*de* Vitro *foſſili naturali* 549

Ulmenſes *Codices quidam* 150

*Domit.* Ulpiani *fragmenta libri ſingularis regularum edita* 193

*de* Ulrico, *Epiſcopo Auguſtano, quaedam* 17

W.

Weingartenſis *monaſterii codices* 151

*Philippinae* Welſeriae *vita* 20

Weſtphalicae *et Olwenſis pacis comparatio* 368 ſq.

X.

Xenophontis *Libri memorabilium Socratis emendati et illuſtrati* 331 ſq.

Z.

*de* Zurzach, *vico, quaedam* 146

Zwinglius *fruſtra accuſatus* 147



Digitized by Google

## *Tabulae figurarum aere expreſſarum.*

Tabula I. ad Menſ. *Iunium.* — — pag. 241
— — II. ad Menſ. *Auguſtum.* — — 356
— — III. ad Menſ. *Octobrem.* — — 445
— — IV. ad Menſ. *Novembrem.* — — 481

Digitized by Google

Digitized by Google

…sche Nationalbibliothek

Digitized by Google



Digitized by Google